Prov Calif
348.71
S 121

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionumiur0001jose

INSTITUTIONUM IURIS CANONICI

COMMUNIS ET NEAPOLITANI

AUCTORE

CAROLO GAGLIARDO

OLIM IN REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

PROFESSORE IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPO MURANO

LIBER I.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ACCESSERUNT

ANIMADVERSIONES ET ADDITIONES

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

TOMUS I.

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
Alma, California

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVIII

3089

INSTITUTIONUM

IURIS CANONICI

LIBER I.

Quamquam vos, optimae spei adolescentes, bonis primum artibus perdiu excultos, tum philosophicis, ac theologicis doctrinis bene auctos iam esse oportet ob insignem , et eruditorum docentium sedulitatem, et addiscentium studiosorum laborem : tamen superest, ut animos viresque ad Iuris ecclesiastici scientiam mox comparandam adiungatis. Si huius vel auctoritatem , vel materiem, vel scopum spectaveritis, maxima ipsius utilitas, et praestantia inter ceteras omnes disciplinas apparebit extemplo. Sacros enim canones non humanitus adinventos , sed divinis oraculis, et apostolicis traditionibus initio proditos, Pastores dominici gregis , in vices Apostolorum suffecti sanxerunt , et sensim pro temporum necessitate ampliarunt ea spirituali potestate, quam a Christo Domino traditam Ecclesiae suae nullus catholicorum inficiatur. Doctrinam Fidei pertractant, morumque disciplinam ad formam praeceptorum naturalium, et divinorum. Orthodoxam in primis veritatem tuentur in Ecclesia Dei vivi, quae ab Apostolo dicitur *columna, et firmamentum veritatis* (1). Tum hierarchiam, velut castrorum aciem, coordinant ex Episcopis , Presbyteris, et ministris, sua cuique munia distribuendo; rebus divinis, et sacris et religiosis quo pacto Clerus, et populus utantur, ut pie, honesteque conversentur, et laedant neminem, et suum cuique tribuant, disponunt; quaestiones denique ad forum Ecclesiae pertinentes diiudicandi normam statuunt , et crimina coercendi , et criminosos plectendi ad emendationem. Eoque collineant,ut christicolae neque a recta Fide, neque ab operibus iustitiae declinantes tuto dirigantur ad sedes coelitum. Quid ergo

(1) *Epist.* 1 ad Timoth. *cap. 3 vers. 15.*

hoc ipso iure praestantius, quod ab auctoritate divina, et apostolica profectum est? Quid iucundius, quam sapere quod circa Fidem, et hierarchicum regimen, resque divinas, et sacras, et iudicia Ecclesiae versatur? Quid utilius, quam verae, aeternaeque felicitatis captandae regulas tutissimas perscrutari? Affinibus idcirco disciplinis praesertim ethicae, theologiae, iurique civili, ut ceteras praeteream, idipsum dominari, nemo in Ecclesia vel hospes nescius est. Moralia sane philosophorum praecepta, quae christianae doctrinae non semel adversantur, vitiaque multoties pro virtutibus commendant, ad rectam sacrorum canonum amussim corrigenda sunt, et adaequanda. Theologi assertiones, et argumenta e sacris conciliorum, Sedisque Apostolicae dogmatibus, et definitionibus plerunque desumunt ad profligandas haereses, perversasque fanaticorum opiniones. Iurisprudentes demum, nisi divinarum rerum notitia praeter humanas praepolleant, scientiam iusti, atque iniusti, nec satis dignoscere, nec tuto poterunt adhibere. Propterea *sacros canones non minus, quam leges valere: quodque sacri canones prohibent, id etiam per leges aboleri*, Iustinianus asseruit apertissime (1). Idemque saniori consilio pronunciavit, quod ubi humanis, et civilibus legibus adversentur canones: hos quidem in iis, quae ad animarum salutem pertinent, *sequi non dedignantur leges* (2). Quotus igitur quisque vestrum erit, qui iuris pontificii neglexerit scientiam? *Nulli sacerdotum licet canones ignorare*, secundum Coelestini Papae sententiam (3). Et Patres concilii Carthaginensis, inter quos effulsit S. Augustinus, constituere simul duxerunt, ut ordinandis clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcarentur (4). *Sciant* clerici in sorte dominica permansuri, ex decreto concilii Toletani IV (5), *Scripturas et canones, ut aedificent cunctos tam Fidei scientia, quam operum disciplina*. Laici vero obtemperent Imperatori praecipienti, *plus studii adhibendum esse circa sacrorum canonum, et divinarum legum custodiam, quae super salute animarum definitae sunt, quam circa leges civiles* (6). Agedum alacri assiduoque studio haec sacrorum canonum prima elementa accipite, quibus praecognitis, ad pervia sacri iuris penetralia veluti per tritam semitam progrediamini. Virtute, atque ingenio macti estote.

Quatuor in libros distribuuntur. In primo ad totius operis apparatum, nomina, definitiones, divisiones, origo, progressus, volumina, collectiones Iuris canonici explicantur: tum sermo erit de *personis*, de gradibus nimirum hierarchiae ecclesiasticae a Summo Pontifice ad clericos, et ministros usque infimos tam saeculares, quam regulares, eorumque dignitatibus et officiis. In II. de *rebus* tam spiritualibus, quam temporalibus Ecclesiae, et clericorum: videlicet de Sacramentis, et sacramentalibus, de Ecclesiis, earumque privilegiis, et bonis, de beneficiis, decimis, aliisque iuribus clericalibus. In III. de *iudiciis*, de foro competenti, et forma ci-

(1) *L. sacris 45 C. de Episcopis, et clericis.*
(2) Nov. 83, *cap. 1*, quam Lucius III. spectasse videtur in *cap. 1. de novi oper. nunc.*
(3) *In ep.* ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos in *can. nulli 4 dist. 38.* — (4) *Can. placuit 7 ead. dist.*
(5) *An. 633 in can. 1 ibidem.* — (6) *Nov. 137. in praefat.*

vilium disceptationum. In IV. denique de *iudiciis criminalibus*, eorumque forma, de criminibus, eorumque poenis, et censuris.

In his utcunque conscribendis praecepta communia tam veteris, quam novae disciplinae ordinatim sub singulis rubricis, et capitibus tradere satagam, et rationes utriusque patefacere: ut inde appareat, cur vetustum rigorem temperare, formamque regiminis, et iudiciorum primitivae Ecclesiae simpliciorem, et paupertati evangelicae magis consentaneam coacti sint sensim novare Patres, et Pontifices aevi recentioris, ut tempori servirent, ac necessitatibus in dies emergentibus consulerent. Veneranda quidem antiquitas est, eiusque ipsius felicitas nunquam satis praedicabitur. At *constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt* (1). Vetustas porro leges emendari, et suppleri novis placitis debere, ubi necessitas, vel utilitas Reipublicae postulaverit, aequi rerum aestimatores suadent consultissime.

Communi iuri quum veteri, tum novo adnectam in locis opportunis municipales leges, concordata, mores, resque iudicatas, quae peculiarem huius regni neapolitani politiam ecclesiasticam spectant; et uberius quae vim probato usu obtinent, quam obsoleta commemorabo: ratus Iurisprudentiam canonicam, non secus ac civilem, ad rationem agendi practicam potius pertinere, quam speculativam. Nam *scire leges non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem* (2), usumque moribus praesertim nostris consentaneum. Haec vos initio praemonenda putavi. Si tamen quid fortasse adversum orthodoxae Fdei, Sedive Apostolicae, vel receptis huiusce regni iuribus imprudens protulero: id ego penitus nec dictum, nec scriptum volo.

TIT. I.

De Iure Canonico.

I. Ius a iusto dictum est ars boni, et aequi.

II. Uti canon regulam, sic et canonicus regularem sonat. Regulam vero quum mechanici, tum liberalium artium magistri appellant, quae recte ducit.

III. Iureconsulti canonem saepe nuncupant certam pecuniarum pensionem, aut praebendam, aut peculiarem sacrificii ritum.

IV. Hic speciatim accipitur pro praecepto, quod hominum Fidem, et mores dirigit.

(1) Inquit Modestinus In *l. ult. D. de conflit. Princip.* Scite clarissimus parisiensis Archiepiscopus P. de Marca *lib. 3 de concord. sacerd. et imp. cap. 6. Si quis* (ait) *res accurate expendat, non adeo laborabit de discrimine antiqui Iuris, et recentioris: quod rerum, et negotiorum varietas ab invitis Pontificibus pro utilitate Reipublicae Christianae extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiae nunc positae sunt, ut si quis de absoluta, et integra restitutione iuris antiqui, et novi abolitione contendat; perinde agat, ac si imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quae in ipsis regnorum initus obtinebat.* — (2) Ex Celso in *l. scire leges 17 D. de legibus.*

V. Ius canonicum esse statuimus, quod leges, et instituta Ecclesiae circa Fidem, mores, iudicia, personas, resque sacras complectitur.

VI. Illudque sacrum, ecclesiasticum, divinum, pontificium quoque vocitant.

VII. Finis, materies, auctoritas canonum a civili iure distinguitur.

VIII. In rebus omnino ecclesiasticis ius canonicum potiorem civili auctoritatem habet.

IX. *Utrumque vero ius publicam salutem spectat, et alteri alterum plerumque favet.*

X. *Bipartita sacri Iuris praecepta, aut Fidem immutabilem docent, aut mores mobiles reformant.*

XI. Scriptum *Ius nostrum divina, et ecclesiastica praecepta exhibet*, non scriptum *traditiones, et consuetudines.*

I. Ius ideo dictum, quia iustum est, tradit S. Isidorus (1); et Ulpianus a iustitia ius appellatum ante docuerat (2), etymologiam e phylosophia, non e grammatica repetentes. Definitur autem, quod sit *ars boni, et aequi* (3): quod scilicet arctis praeceptis regulas aequitatis, et iustitiae concludat.

II. *Canonicum* sonat, idem ac regulare: derivatum a graeca voce κανων, quam latini regulam dicunt: *Canonis* et *regulae* notio bene lata est. Nam usurpatur tam in mechanicis artibus, quam liberalibus, et moralibus disciplinis ad significandam normam, ad quam unumquodque opus exigitur. Regula porro dicta est, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt *regulam*, quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat, vel quod distortum, pravumque corrigat (4).

III. Peculiares autem *canonis* acceptiones plurimae sunt, quarum nonnullas in voluminibus utriusque Iuris frequentiores advertere mox iuvat; aliis praetermissis, quae nihil ad rem faciunt nostram. Saepe *canon* dicitur ea pecuniarum, vel frugum *pensitatio* modo annua, modo menstrua, quam emphiteutae, aliique id genus debitores censuales dominis fundorum directis, et creditoribus persolvunt; quemadmodum et ea, quam subditi pro tributis Principi, Reique publicae praestant (5). Quo sensu Iustinianus *canonicarios* nuncupavit exactores eiusmodi tributorum (6). In antiquis conciliis haud raro sumptus est pro matricula, seu syllabo clericorum, qui necessaria vitae subsidia dietim, vel praebendas regulares a suis accipiebant Ecclesiis: ipsasque praebendas *canonicas* appellabant (7). In sacris ritibus canon Missae vocitatur passim ordinaria et immutabilis sacrificii confectio, quae a divo Ambrosio dicta est *regula consecrationis*, a divo Basilio *secretum*.

IV. Hoc autem titulo, et saepissime apud auctores utriusque iuris an-

(1) *Can. 1 dist. 3.* — (2) *In l. 1 D. de iust. et iur.*

(3) In eadem *l. 1*, *Sapientia* ars *est: certum petat, non casu tentet*, ait Seneca *ep. 28.* — (4) Isid. in *can. 2 dist. 3.*

(5) Ad hanc notionem pertinet *tit. C. de canonum largitione lib. 10* aliusque *de canone frumentario urbis Romae lib. 11.*

(6) Nov. *128 cap. 16.* — (7) Ciron. *ad paratitl. de praebendis.*

tonomastice canones significant ecclesiastica praecepta, quibus Fides, moresque mortalium ad vitam instituuntur aeternam (1).

V. Paulus Lancellottus Ius canonicum esse definivit, *quod civium actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit.* Definitionem hanc nemo logicorum probaverit. Ea enim quod ad genus spectat, pluribus convenit, praesertim eloquentiae sacrae concionantium, asceticorum, sacrorumque librorum lectioni, catechismo, ac theologiae morali, homines perinde dirigentibus ad sempiternam felicitatem, ac sacris canonibus: at vero differentiam, quae specialem canonici Iuris naturam exprimeret, nullo penitus verbo designavit. Finem potius, quam essentiam inditam,et constituentem Lancellottus descripsisse videtur. Aliae aliis definitiones arridenl : haec mihi. Ius canonicum est, *quod leges et instituta Ecclesiae circa Fidem, mores, iudicia, personas, resque sacras patefacit. Leges* (quae scilicet scripto feruntur), et *instituta*, scilicet mores, et consuetudines, ut genus, perinde civili, ac canonico Iuri conveniunt. Reliqua definitionis verba specialem canonici Iuris formam exprimunt, et huius ab illo adstruunt differentiam.

VI. Nuncupari etiam solet ius *sacrum*, *ecclesiasticum*, *divinum* (2), et *pontificium*.

VII. Ab iure civili ecclesiasticum discrepat fine, materia, auctoritate. Nam illud in temporaneam civium felicitatem, hoc in aeternam intendit. Illud caduca, et profana mundi, hoc spiritualia, et sacra disponit. Illud regia, et imperiali, hoc pontificia nititur potestate (3). Alterutrum suos habet limites a D.O.M. distinctos, quos transgredi haud

(1) Hoc sensus usus est Apostolus ad Galathas *cap. 6 vers. 16.* scribens. *Quicunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, et misericordia.* Atque ad Philipp. *cap. 3 vers 16. In eadem permaneamus regula. Non quam memoria teneant* (inquit Aug. *in ps. 118*), *et vita negligant, sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo. Memoria lapis est quodammodo scriptus, non quo adornetur, sed quo prematur ; pondus oneris, non titulus honoris.*

(2) Innocentius IV. in *cap. cum de diversis* 2. *de privileg. in VI.* vigere statuit in urbe studium *divini, et humani* iuris.

(3) *Duo quippe sunt* (scripsit Gelasius Papa ad Anastasium Imp. in *ep.*, quam integram legere est *to.* 4 Conc. gen. edit. Labbaeanae col. 1181, mutilam in *can. duo sunt dist. 96*). *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotii, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino* in *divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen divinarum Praesulibus devotus colla submittis ; atque ab eis causas tuae salutis expectas ; inque sumendis coelestibus Sacramentis, eisque (ut competit) disponendis subdi te debere cognoscis Religionis ordine potius, quam praeesse. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae: quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis ?*

fas est. *Quae sunt Caesaris Caesari*, *quae sunt Dei Deo*, reddenda Christus Dominus iussit (1).

VIII. Ex isto inter ecclesiasticam, regiamque potestatem, atque inter canones, et leges discrimine hoc fluit consectarium. Dum canones, et Pontifices de rebus spiritualibus, et mere ecclesiasticis aliud a legibus, et mandatis Principum constituerint, obtemperandum est sacris canonibus, et pontificiis sententiis. Plures inde leges civiles abrogavit, correxitque Ius canonicum : quae scilicet dirimebant matrimonia filiorum familias, et servorum sine consensu parentum, et dominorum inita; quaeque moderatas usuras, concubinatum, viris coniugatis cum solutis mulieribus maechiam, necem uxoris in adulterio deprehensae, mutuam in contractibus fallaciam, malam in usucapionibus, et praescriptionibus fidem permittebant; vel contra vetabant, et viduis secundas nuptias intra annum luctus, et filiis incestuosis alimenta; ceterae id genus plurimae, quas in locis opportunis singulas expendam commodius. Has quidem, quas modo delibavi, canonicas legum correctiones, aequo animo tulerunt catholici Principes, ususque populorum comprobavit.

IX. Maxima nihilo minus inter utrumque Ius affinitas est. Utrumque civium salutem intendit (2): externam nempe Ius civile, internam vero canonicum. Quum enim Ecclesia Dei in terreno imperio consistat, ad societatem humanam felici omine tuendam, et conservandam opus habet auxilio potestatis imperialis, et regiae; quemadmodum e contrario regnum, et imperium pro rebus sacris indiget ministerio, et potestate sacerdotali : non aliter quam in homine corpus anima, et anima vicissim corpore sustinetur. *Res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et regia, et sacerdotalis defendat auctoritas*, fassus est S. Leo m. (3). Ad coercendos porro contu-

(1) Matth. 22 *vers.* 21. Basilius Imperator in fine VIII. Synodi oecumenicae hanc Christiano Imperatore dignam protulit sententiam. *De nobis quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo nobis licet de ecclesiasticis causis sermonem habere : hoc enim investigare et quaerere Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt; qui sanctificandi, ligandi atque solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas, et coelestes adepti sunt claves : non nostrum, qui pasci debemus.* Hac in re unanimis est Patrum consensus. D. Athanasius in *ep. ad solitariam vitam agentes*, Osium ita loquutum esse Constantio Imperatori tradit. *Ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe : sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit; nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae : ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. De te scriptum est*, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. *Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes Imperator.* Hucusque Athanasius. Cui consonat S. Ambrosius *ep.* 33. ad Marcellinam sororem suam in *can. convenior ipse* 21 C. XXIII *qu.* 8, et Ioannes Papa in *can. 11. dist. 96.*, ceteri apud Gratianum *dist. 10.* — (2) Quo spectat illud Ciceronis effatum *lib. 1. de legibus: salus populi suprema lex esto.*

(3) Ad Pulcheriam Augustam scribens in *can. res autem 21.* C. XXII. *qu. 5.* Et S. Augustinus verbis Apostoli ad Romanos comprobat regiae severitatis utilitatem in Ecclesia, *can. prodest, et severitas vestra 4. eadem c. et qu.*

maces, ac refractarios quum clericos, tum laicos, ut regulas apostolicas custodiant, et Praelatis pareant suis: Ecclesia consuevit brachium secularis potestatis implorare (1). Eamque ob rem Constantinus m. se quoque Episcopum, at extra, non intra Ecclesiam dixit (2). Inde fit, ut sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuventur; quodque in uno deest iure, suppleatur ex altero (3). Concilia, decretales, ceterae constitutiones ecclesiasticae legibus, et placitis Principum redundant, quarum auctoritate saepenumero patres usi sunt non sine magno Ecclesiarum bono. Interpretes autem, et glossae rationes passim, et auctoritates ab altero iure mutuantur ad alterius vel dilucidandas, vel firmandas sententias. Haec obiter de civilium legum utilitate ad Ecclesiam profluente. Quanta vero sit earum auctoritas, infra in titulo *de constitutionibus* edisseretur.

X. Praecepta, et instituta Iuris ecclesiastici duas in classes potissimum dividuntur. Priora doctrinam Fidei immutabilem, et dogmata aeterna tradunt. Posteriora disciplinam morum, et politiam reformabilem moderantur. *Regula fidei una omnino est, sola, immobilis, et irreformabilis*, ait Tertullianus (4): quae nullam passa est unquam, nec patietur mutationem, vel dispensationem, vel varietatem. Secus disciplinae canones tot tantisque vicissitudinibus affecti. In omnibus conciliis qua generalibus, qua localibus discrimen istud occurrit inter canones Fidei, et canones disciplinae: etiamsi initium sumatur a synodis Apostolorum usque ad Tridentinam. Hinc Ecclesiae per orbem dissitae varios quidem ritus, mores, et modos regiminis servant ab Ecclesia catholica Romana diversissimos sine schismate unam Fidei doctrinam profitentes, et communionem cum ipsa omnium magistra, et parente confoventes. Hinc veteris disciplinae tot conciliis institutae, totque saeculis observatae commutatio in recentiorem; hinc antiquatio, et abolitio novarum constitutionum etiam synodicarum.

XI. Omnem veritatem, et morum disciplinam contineri in *libris scriptis*, et sine scripto *traditionibus*, monuit Tridentina synodus (5) Et S. Isidorus omne ius scriptis *legibus*, et *moribus* non scriptis constare

(1) *Principes saeculi* (ait S. Isidorus) *nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut, quod non praevalet Sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem, et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore Principum conterantur: ipsamque disciplinam, quam Ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superborum Potestas principalis imponat, can. Principes 2. eadem c. et qu.*

(2) Eusebius *lib. 4. cap. 29.* in vita Constantini, ad Episcopos ita loquutum Imperatorem tradit. *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam a Deo* Episcopus *constitutus sum.* Et rursus *lib. 3. cap. 26. Ipse tanquam unus e vestrum numero praesto adfui una: non enim recusabam, sed gaudebam esse vobiscum minister* συνθεράπων ὑμέτερος. Dartis ad *can. 4. dist. 10.*

(3) Luc. III. in *cap. intelleximus 1. de nov. oper. nunc.*

(4) Tertullian. in *lib. de vergin. velan.*

(5) Trid. *sess. 4 in decr. de canonicis Scripturis.*

dixit (1). Itaque forma, et origine Iuris canonici inspecta, aliud *scriptum*, aliud *non scriptum* est. *Scriptum* constat *divinis*, et *humanis* praeceptis. *Non scriptum vero traditionibus, et moribus*, seu *consuetudinibus*. Ad ius divinum non scriptum traditiones, ad humanum consuetudines referuntur. De omnibus sigillatim.

TIT. II.

De Sacris Scripturis.

I. Sacra Biblia ius divinum scriptum *continent.*
II. Eorum veritas, et numerus olim incertus.
III. Alios enim libros authenticos, *alios* apocryphos, medios *alios prisci habebant.*
IV. In catalogis eorundem contexendis Latini a Graecis dissentiebant.
V. Index tandem Tridentinus XLIV. veteris Testamenti, et XXVII. Novi libros authenticos recensuit.
VI. Manassae orationem, et Esdrae tertium, et quartum inter sacros mediae fidei libros reliquit.
VII. Ceteros omnes inter apocryphos nunc accensent catholici.
VIII. Veterem, et vulgatam Latinam Tridentinum comprobavit, sed fidem Hebraei, et Graeci textus antiquiorem nil deminuit.
IX. Detorquentes S. Scripturam a communi Ecclesiae et Patrum sensu ad diversum, vel ad scurrilia damnat, et coercet.
X. Litteralis sensus divina dogmata, et regulas morum exhibet, secus mysticus, et allegoricus.
XI. Rerum sacrarum scriptores sine licentia Ordinarii, typographos, et venditores anathemate, ac mulcta pecuniaria Synodi Lateranensis, et Tridentina comprimunt.
** Leges municipales impressionem librorum sine regio permissu vetant.*
XII. Hoc in regno Episcopis permittitur laicos impressores, ac bibliopolas censura tantum ecclesiastica punire.
XIII. Ordinariorum revisio, et licentia in profanis etiam libris vulgandis requiritur.
XIV. Ius divinum vel naturale, *et immutabile, quod in Decalogo, et moralibus praeceptis continetur, vel* positivum est.
XV. Naturale divinum ratio ipsa naturalis dictat mentibus hominum.
XVI. Positivum cetera utriusque Testamenti praecepta promunt; aliud in veteri, aliud in nova Lege a Deo imperatum.

I. Quod in sacris Bibliis, et canonicis utriusque Testamenti Scripturis Deo auctore, eo scilicet inspirante conscriptis continetur, illud revera, et proprie *divinum Ius scriptum* (2) dicitur; cuius oraculis, et

(1) S. Isidor. in *can. 2, et seq. dist. 1.*
(2) Digito Dei scriptum Ius divinum ne putetis. Nam lapideis Decalogi tabulis exceptis, quas Dei viventis digito sculptas accepit Moyses, reliqua omnia legis veteris praecepta dedit hominibus Deus per linguas, et calamos Moysis, Io-

sententiis maxime redundant concilia, summorum Pontificum responsa et placita, omniaque Iuris canonici volumina.

II. Quinam, quotque sint utriusque Testamenti codices infallibiles, saepe inter catholicos quoque disputatum est acerrime. Eos plura in diversas abduxerunt sententias. I, quia aliquot Ecclesiae primitivis seculis sine ulla Scriptura sacra substiterunt; aliae non agnoverunt libros omnes canonicos (1); aliae ob apocryphos, vel fraude inimicorum Fidei corruptos de veritate, ac puritate hagiographorum addubitarunt. II, quia in hagiographorum syllabo nonnullos non referebant Hebraei. III, quia ipsi non hebraica lingua ad formam Pentateuchi, sed Chaldaica, vel Graeca conscripti circunferebantur.

III. Hinc apud patres triplex librorum genus. Primum *authenticos et canonicos* habebant, ab omnibus ecclesiis aut sacris canonibus receptos. II, inter *apocryphos* referebant ab omnibus unanimi sententia Ecclesiis, vel sacris canonibus reiectos. III, *medios* collocabant inter canonicos et apocryphos, quos aliae admittebant, aliae reiiciebant Eccle-

sue, Samuelis, Davidis, Salomonis, aliorumque Prophetarum. *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis*, de semetipso ait regius Psaltes *ps. 44. Loquutus sum* (inquit Dominus per Oseam *cap. 12*) *super Prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Zacharias apud Lucam *cap. 2*, locutum esse Dominum affirmavit *per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum ejus.* Praecusor Christi se Dei vocem in deserto clamantem appellavit Ioan. cap. 1. Apostolorum princeps in sua *ep. cap. 2*, *non voluntate humana* (inquit) *allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Itaque *omnis Scriptura divinitus inspirata est*, concludam verbis Apostoli 2. ad Thimoth. cap. 3. *Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur*, S. Aug. ait, *cum tamen auctor Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit: ipse scripsit, qui et illius operis inspirator extitit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset, si non epistolarum, et auctorem scire, et sensum cognoscere: sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus:* ita S. Augustinus *de libro Iob in proemio Moralium.* Idipsum de novi Testamenti Scripturis sentiendum, quos Evangelistae, atque Apostoli nonnisi divino Spiritu afflati confecerunt, alieno etiam calamo et opera usi. Profecto divus *Marcus* evangelicos Domini sermones conscripsit, non quia eos a Christi ore audiverit, quem nunquam vidit: sed a divo Petro acceptos, vel dictatos, ut piis fidelium votis indulgeret, Euseb. *lib. 11. hist. cap. 14.* Quam ob rem divo Petro potius Evangelium Marci adscripserunt Tertull. *lib. 4 contra Marcion. cap. 5*, Clem. Alexandr. apud Euseb. *lib. 11. hist. cap. 15*, August. *lib. 1. de conserv. Evang. cap. 2 num. 4.* Idemque S. Marcus canonicam S. Petri epistolam vel scripsit, vel traduxit, Fleury *lib. 1. hist. pag. 48. Titus* divi Pauli discipulus, et interpres, et amanuensis perhibetur: tum *Tertius*, de quo ita in *cap. ult. ep.* ad Romanos *vers. 22: Saluto vos ego* Tertius, *qui scripsi epistolam, in Domino.* Christus autem servator os suum in terris aperire dignatus est, scribere nunquam, praeter Samaritanae absolutoriam sententiam. Mutuas Abgari Edessenorum Principis ad Iesum, et Iesu ad Abgarum epistolas, quarum integra exempla inseruit Eusebius *lib. 1. hist. cap. 13*, uti apocryphas, et commentitias respuit Ecclesia in Synodo Romana an. 494 sub Gelasio.

(1) Id tradit S. Irenaeus Episcopus, et martyr secundi saeculi scriptor *lib. 3 cap. 4*, Fleury *lib. 4 hist. n. 3.*

siae; eorumque auctoritas minus idonea erat, puta probabilis, non item certa (1): cuiusmodi erant duo Machabaeorum libri in Africana Ecclesia accepti velut canonici; in orientalibus autem, ceterisque Ecclesiis velut dubii, et incertae fidei.

IV. Diversitas inde catalogorum promanavit inter Graecos, Latinosque Patres nedum in privatis Patrum scriptis, verum etiam in synodis (2), quae theologorum, sacrorumque interpretum ingenia bene exercuit. Iidem spartam hanc ipsi ornent, quam nacti sunt. Sine piaculo tamen praeterire non posse videor, quae Tridentinum concilium decrevit de sacrarum Scripturarum indice, versionibus, interpretatione, ac sensu, et typographorum libertate.

V. Cum novatores impii, ac turbulenti plures ex canonicis utriusque Testamenti libros repudiarent, ab Ecclesia probatos, et agnitos pluribus sententiis synodorum, et Sedis Apostolicae, abutentes discrepantia Patrum in eorum syllabis conscribendis: synodus Tridentina ad tuendam veritatem contra haereticorum calumnias, easque consulto refellendas, ne cui dubitatio suboriri posset, quinam ab ipsa synodo susciperentur indicem sacrorum librorum edidit, in eoque quadraginta quatuor veteris Testamenti, et viginti septem novi sigillatim recensuit. *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina edi-*

(1) S. August. in *can. in canonicis 6, dist. 19*, et S. Hieronym. *prolog.* in Iudith, Innoc. I in *ep.* ad Exuperium Tolosanum Episcopum *cap. 27.*

(2) Quum Hebraei hagiographorum codicum alios intra Arcam Testamenti servarent, quibus summa, et divina erat fides: alios extra Arcam, magnae quidem auctoritatis, sed supparis, non item aequalis prioribus, quod tradit S. Epiphanius *in lib. de ponder. et mensur.* factum est, ut dubia olim fuisset veritas nonnullorum ex istis secundi generis sacris Scripturis veteris Testamenti. Augebatque dubitationem lingua vel chaldaica, vel graeca, quam sacri Scriptores in iis primum componendis usurpaverant: dum Pentatheucum, aliosque primi ordinis divinas Scripturas hebraeo sermone accepissent. Meliton Sardorum Episcopus secundo saeculo primus omnium inter Christianos texuit catalogum sacrorum librorum illi Hebraeorum conformem, omisso *Estheris* libro: in eoque desiderari etiam *Nehemiae* librum, sub *Ezrae* nomine olim comprehensum, observavit Guil. Caue *in Melitone.* S. Athanasius in *Synopsi*, et Synodus Laodicaena *can. 59.* extra canonicorum album adlocarunt velut dubios *Sapientiam, Ecclesiasticum, Iudith, Tobiam, et Apocalypsin.* Auctor canonum vulgo apostolicorum *can. 84*, et Synodus Cartaginensis III. canonicis adcensuit *Iudith, et Tobiam:* secus *Sapientiam, et Ecclesiasticum.* Idem insuper apostolicorum canonum auctor ab authenticis exclusit Apocalypsim, quem ipsis adiunxere Patres Carthaginenses. Innocentius I. Pontifex *ep. 3* hos omnes inter canonicos adnumeravit, praetermissis tamen duobus prioribus Machabaeorum. Cui consonat index Gelasii editus in synodo Romana an. 494, tum Eugenii IV. in synodo Florentina post discessum Graecorum. *Baruch* item veluti appendicem ad Ieremiae Prophetiam, cuius amanuensis erat, conscripserunt alii, puta ex graecis Clemens Alexandrinus *lib. 1. paedagogi cap. 10.* S. Basilius *lib. 4. contra Eunomium*, S. Io. Chrysostomus *or. quod Christus sit Deus;* ex latinis S. Cyprianus *lib. de orat. dominica*, *et* alibi, Synodus Laodicaena *dict. can. 59.* et Synodus Florentina. Alii reticuere, sc. Auctor canonum apostolicorum, Synodus Carthaginensis III, Innocentius I. et Gelasius I.

tione habentur pro sacris, et canonicis non susceperit, anathema in eum fulminavit (1).

VI. Non abs re hic quaeritur, an post Tridentinum adhuc consistat tertium genus librorum, dubiae scilicet, mediaeque fidei inter canonicos, et apocryphos. Anastasius bibliothecarius genus istud reiicit, libros-que dubiae auctoritatis perinde habet, atque apocryphos. Sed alii cordatiores aliter sentiunt, et adhuc superesse contendunt nonnullos codices mediae auctoritatis, puta *orationem Manassae*, tertium, et quartum quum *Esdrae*, tum *Machabaeorum*, in fine Bibliorum vulgatos, ne penitus interirent: utpote quos nonnulli veterum Patrum collaudarunt, atque in vetustis sacrae Scripturae codicibus quandoque inseruerunt. Nec e contrario eos Tridentina synodus, neque alibi Ecclesia mater expresse ad spurios ablegavit. *Omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor*, Synodus ipsa suscipere, ac venerari declaravit: quos tamen recensuit in suo indice, omnes esse non dixit, nec nos dicere debemus. *Omnia* igitur *probate*, *quod bonum est*, *tenete*, ex Apostoli monitu (2), quod Gelasius ad rem hanc recitavit in synodo Romana (3).

VII. Ceteros sacris scriptoribus falso inscriptos libros, velut supposititios Ecclesia catholica palam damnavit. Quales sunt (4) libri de poenitentia, et filiabus Adae, Ogiae gigantis pugna cum dracone post diluvium, testamentum Iacob, testamentum Moysis, eiusque assumptio, libri Enoch, conditio Salomonis, epistola Iesu D. N. ad Agbarum, itinerarium Petri, actus Andreae, Philippi, Petri, Thomae, Teclae, et Pauli: Evangelia Thaddaei, Thomae, Barnabae, Bartholomaei, Andreae: de Salvatoris infantia, nativitate, obstetrice: revelationes Pauli, Thomae, Stephani: transitus S. Mariae, sortes Apostolorum, ceteri eiusdem furfuris a callidis impostoribus conficti.

VIII. Ad versiones quod attinet, synodus Tridentina veterem vulgatam latinam (quam *Italam* vocant) ex omnibus latinis editionibus probavit

(1) Trid, *sess. 4.* in decreto *de canonicis scripturis*. Qui a Tridentina synodo suscipiuntur libri sacri Testamenti veteris sunt, Genesis, Exodus, Leviticus Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenum, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Macabaeorum, primus, et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim epistolae Pauli Apostoli ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli.

(2) Ad Thessal. *1. cap. 5 vers. 21.*

(3) Gelas. in *can. sancta Romana 3. dist. 15.*

(4) Ex ep- Innoc. I ad Exuperium Tolosanum Episcopum, et synodico decreto Gelasii in *cit. can. Sancta Romana.*

nedum verbis paulo ante recitatis ex priori decreto *sessionis* 4, sed posteriori etiam eiusdem sessionis, ubi declaravit, *ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat, vel praesumat* (1). At vero textui vel Hebraeo vel Graeco utriusque Testamenti vulgatam hanc latinam nullo modo praetulit, nec eius maiori dignitati vel unguem obrogavit. Hanc enim authenticam, nullisque erroribus aut Fidem, aut mores laedentibus corruptam pronunciavit: verum non vetuit, quin primaevos textus velut fontes magis limpidos, ac nitidiores appetant, ut puriorem inde doctrinam hauriant, in versionibus velut rivis quandoque limosam.

IX. Praeterea *ad coercenda petulantia ingenia*, itidem decrevit S. Synodus, *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus Fidei, et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet s. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum* (2) *ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*.

(1) Permultis Bibliorum latinis editionibus, quas prope innumeras fuisse contestantur SS. Hieronymus *praefat. in Iosue*, et Augustinus *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11*, vulgata vetus Itala praecellit semper, propterea *quod verborum tenacior sit cum perspicuitate sententiae*, ut Augustinus monet. Videsis praefationem ad lectorem sacris editionis Bibliis latinis adiectam. [illegible] aliam a nostra vulgatae editionis priscam Italam fuisse, id sed non satis probant coniecturis cum ambiguis, tum levibus, et [illegible], perpetuo Romanae Ecclesiae usu penitus elisis.

(2) Quod praedocuit s. Augustinus in *cap.* [illegible] [illegible] ab Ecclesia universa, quam concilium oecumenicum repraesentat, et ab [illegible] Ecclesiarum parente, ac magistro summo Pontifice [illegible] auctoritatem declarandi sensum Scripturae sacrae. Blasphemabat impudentissimus Lutherus, [illegible] habenti auctoritatem Scripturae plus credendum, quam Papae, quam concilio, quam Ecclesiae universae. Ob idque in Germanicam linguam his translatis Novum testamentum [illegible] erroribus [illegible] numeravit Hieronymus Emser, atque [illegible] haeresiarcha, ex eo expunctis epistola Pauli ad Hebraeos, alia Iacobi, alia S. Iudae, et Apocalypsi. Sileat Gentiletus Lutheri asseca, qui contra [illegible] decretum Tridentini obiicit *can.* [illegible] *14. dist. 37*, ubi haec habentur: *Multa sunt verba in Scripturis divinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpserit, sed non oportet. Non enim sensum extraneum* [illegible] *debetis quaerere,* [illegible] *ex Scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet.* Sileat, inquam Gentiletus. Si enim genuina esset, qualis non est, Clementis l. ep. 5. *ad discipulos suos*, unde canon iste in Decreto excerptus est, non [illegible] ipsa refelleret, qui mutilum exinde fragmentum desumpsit, [illegible] verbis obiectionem suam palam diluentibus, et sententiam [illegible] ex diametro oppositam sic exponentibus: [illegible] *Scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servaverit, ut ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter asserere.* [illegible] cunque sit auctoritas epistolae pseudo Clementis, [illegible] Gentileto, et Luthero privatis quibuslibet hominibus [illegible] sensum Scripturarum ex

etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur. Item arbitrariis poenis coercendos sancivit velut violatores verbi Dei, qui ad profana, scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos famosos verba, et sententias sacrae Scripturae convertunt, ac detorquent.

X. Sensus quidem litteralis sacrae Scripturae fidem facit divinam, eamque infallibilem ad dogmata declaranda, moresque instituendos: secus sensus mysticus, et allegoricus plerunque varius humano ingenio, non sancto Spiritu intentus. S. Hieronymus (1) docuit *Fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.* S. Augustinus (2) derisit Donatistas, qui ex illis verbis explicatis: *indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie*: colligebant Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse. *Quis non impudentissime* (ait S. Doctor) *nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpetrari, nisi habeat, et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* E recentioribus Card. Bellarminus ad rem inquit (3): *Convenit inter nos, et adversarios ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est sensum esse Spiritus Sancti: at sensus mystici, et spirituales varii sunt; et licet aedificent, cum non sunt contra Fidem, aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint a Spiritu Sancto intenti.* Dum littera Scripturae occiderit, sensus vivificabit (4). Plane stupidos occidit miserrime littera de primogenito Deiparae (5), de mysterio Fidei in Sacramento Eucharistiae, de beatitudine eorum, qui seipsos castraverint ob regnum coelorum, de superlucro boni trapezitae, de sacro epithalamio Cantici Canticorum, deque sexcentis id genus. S. Petrus in epistolis a divo Paulo scriptis monuit esse *quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* (6). Ecquis negaverit haereses ex prava sacrae Scripturae intelligentia derivatas? *Ne putemus* ergo *in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis*, inquam cum divo Hieronymo (7). Ob id sacra Biblia in linguam vernaculam translata interdicta sunt, quae ne Episcopo quidem permittente licent (8).

semetipsis sumere, ut etiam eos contra moneat a maioribus, scilicet Ecclesiae Patribus sensum veritatis discere debere.

(1) In *comm. ad cap. 13. S. Matthaei.*
(2) *Ep. 48. ad Vincentium.* (3) *Lib. 3. de verbo Dei cap. 3.*
(4) Hilarius in *cap. intelligentia 6 de verb. sign.* cum conc.
(5) Hieronym. in *cap. Ioseph. 5 eodem tit.*
(6) *2. Petri cap. 4. v. 16.*
(7) In *cap. 1. ep. ad Galatas in can. Marcion 64. C. 1. qu. 1.*
(8) Ex reg. 4 Indicis, et Provinc. Conc. Neap. Card. Cantelmi *tit. 1 cap. 5 n. 7*, in Italicum sermonem sacras Scripturas primus omnium traduxit Iacobus de Voragine prope finem seculi XIII: huius versionis lectio proinde Italis vetita. Isthaec prohibitio eatenus displicuit P. Quesnellio, ut asseverare non dubi-

XI. Typographorum secundum haec libertatem effraenam coercuit synodus Tridentina, qui sacros libros, et super iisdem adnotationes, et expositiones quorumlibet saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, aut sine auctoris nomine imprimerent, aut alibi impressos haberent venales. Vetuit sane (1) *quosvis libros de rebus sacris* sine nomine auctoris et imprimi et vendi et retineri, et legi, et communicari et emulgari, nisi de licentia Episcopi, seu Ordinarii gratis, et scripto danda post eorum examen, quae in fronte libri authentice appareat: et si regulares fuerint auctores, suorum quoque Superiorum licentiam superaddendam iussit sub poena in canone concilii Lateranensis V. (2), adposita *anathe-*

taverit eam obturare os Christi, et interdicere usum luminis filiis lucis. Haec tamen una non est Quesnellii proscripta assertio, sapiens lutheranam procacitatem, stultitiamque. Eumque sane refellit universalis, et constantissima consuetudo Ecclesiae, quae sacras Scripturas nonnisi hebraice, et graece, et latine habuit, etiam ubi et quando graeca et latina linguae desiverunt esse vulgo communes. Spiritu enim S. edocta Ecclesia satius duxit, ut Sacerdotes verbum Dei populum docerent,quam sacras paginas vernaculo idiomate conscriptas dare universis, ne vel insipientibus, vel improbis, vel mulierculis quibuslibet via pateret corrumpendi reconditam divinae Sapientiae doctrinam; aut sensum suum, in quo abundarent, anteponeadi SS. Patrum expositionibus, aut usurpandi sacerdotale officium praedicationis.

(1) *Cit. sess. 4*, in decr. *de edit. et usu libr.* § *sed et impressoribus.*

(2) Typographiae arte a Germanis XV. saeculo inventa, ac perpolita, impressores continuo aggressi sunt quoslibet libros insciis Potestatibus, et sine ullo earum permissu indiscriminatim publicare. Plurima inde volumina circunferebantur, ac prostabant, vel Fidei,bonisque moribus, vel regiae dignitati, reique publicae iniuriosa. Tam contagioso malo in dies recrudescenti, et quaqua versus per orbem lethaliter serpenti, remedium attulit primus omnium Leo X, dum in Concilio Lateranensi V. anno 1515. IV. nonas Maii edidit sanctionem, nequis librum aliquem, seu quamcunque scripturam imprimeret, nisi post viri periti per Episcopum deputandi, et dioecesani haereticae pravitatis inquisitoris examen, et approbationem propria eorum manu subscribendam gratis, et sine dilatione: alias transgressores libros impressos amitterent palam comburendos, mulctam duc. 100 solverent fabricae Basilicae divi Petri de urbe, ad annum ab exercitio impressionis suspenderentur, ultra latam excommunicationis censuram; tum in contumacia perseverantes omnibus iuris remediis exemplaribus ab Episcopo, vel Papae Vicario castigarentur. Si librorum genera, et poenae spectentur, latior hac in re fuit sanctio Leonis X, quam Synodi Tridentinae, quae de sacris tantummodo libris imprimendis, nonnisi post examen, et approbationem Ordinariorum sub poena anathematis et pecuniae cavit. Secus quod ad personas. Nam in solos impressores Leo animadvertit; Synodus autem Tridentina in auctores etiam et bibliopolas, et evulgatores, et legentes,et detinentes.Saeculares inde Principes et magistratus abusibus praeli passim invalescentibus, et turbas excitantibus obviam ire adacti sunt. Neapolim regnante Ferdinando I. catholico ars impressoria ut primum appulit, sine lege ad libitum subditorum exercita est. Carolo V. imperante Prorex Petrus de Toledo duos annos ante modo dictam Tridentini Concilii *sess. 24.* habitam 8. april. 1546. edixit die 15. octobris 1544., ne theologicos, et sacrae Scripturae libros a vigintiquinque retro annis impressos, vel anonymos secundis typis quis umquam imprimeret,retineret,venderet,nisi ante a Capellano Maiori visos,et recognitos,et praelorum luce dignos auctoritate publica renunciatos: item damnatorum auctorum libros quum vendi,tum retineri prohibuit.Plures deinde pragmaticae prodiverunt, quas legere est sub tit. *de impressione librorum*, municipale typographorum, et bibliopolarum regimen praescribentes, praesertim ne

matis, *et pecuniae*, puta ducatorum centum fabricae S. Petri de urbe solvendorum.

XII. Spirituali anathematis censura hoc in regno plecti laicos approbationis, et licentiae episcopalis contemptores in libris imprimendis, et vendendis utique sinit Potestas laica: secus mulcta pecuniaria, vel corporali districtione, aliisve poenis temporalibus. Id quod rerum antegestarum exempla satis produnt (1).

XIII. Revisio tamen, et licentia dioecesani Episcopi requiritur nedum in libris sacris praelo edendis, et publicandis iuxta litteram Tridentini decreti, verum etiam in profanis, quum ex bulla Leonis X. in concilio Lateranensi V. edita, tum ex more, et consuetudine iam inolita; quam observandam fore constituit lex Concordatorum an. 1741 (2). Nam auctores plerunque ab instituto profano ad sacra, et Ecclesiae penetralia excurrunt.

XIV. Divinum ius tam veteris, quam novi Testamenti aut *naturale*, aut *positivum* est. Divini iuris *naturalis* compendium est decalogus: explicatio autem ampla sunt moralia praecepta quum veteris, tum novae Legis. Ius istud adeo est immutabile, ut nullam omnino variationem, aut dispensationem ne Dei (3) quidem ipsius ferat. Deus enim Naturae auctor, et aeterna naturalis rationis regula in aeternum est immutabilis. Quid profecto est lex aeterna, nisi ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans (4)? Natura igitur ipsa non patitur divinam dispensationem, nisi destruatur. Positis enim adiunctis ordinis naturalis a Deo voliti, necesse est, ut regulae ad conservandum eiusmodi ordinem a Deo semel institutae reipsa, et ratione obiecti sint immutabiles, atque indispensabiles. Vix tamen, ubi duo mala ita urgeant, ut alterutrum necesse sit eligi, dispensationem divini iuris tunc permissam eo pacto, ut minus tunc malum eligatur, probat Gratianus (5) auctoritatibus concilii Toletani VIII, et divi Gregorii M.

XV. Idipsum naturale ius divinum inditum est mentibus hominum sanis, recteque iudicantibus; illudque ratio naturalis Deo sic providente

cuiuslibet auctoris liber sive sacra, sive profana pertractans typis vulgaretur sine regiae Potestatis permissu.

* Iam vero isthaec potestas Regiae Studiorum Universitatis Praesidi, cui publica Instructio commissa est, hodie inhaeret.

(1) Apud B. Chioccarell. in ms. *to. 17. archivii tit. 7.*

(2) In fine *cap. 7. dell' introduzione de'libri forestieri.* Ubi cautum de nota librorum exterorum Neapolitano Archiepiscopo, aliisque metropolum Ordinariis danda, antequam e regiis dohanis extrahantur: ne sanctae Fidei, bonisque moribus perniciosa volumina regnicolas ultramontano, vel aceto perfundant, vel veneno.

* Regii Revisores hodie constituti sunt, qui hoc officio funguntur.

(3) Divus Thomas, quem communiter sequuntur theologi, docet non posse Deum praeceptis Decalogi dispensare de absoluta quoque potentia: quidquid aliter sentiant cum Caramuele Nominales. Haec tamen disputatio messis est alienae.

(4) Ait S. Aug. *lib. 3. contra Faustum cap. 27.* Immutabilitatem iuris naturalis agnovit etiam Iustinianus §. *pen. Inst. de iur. nat. gent., et civ.*

(5) *Dist.* 13. per totam.

omnibus dictat hominibus etiam paganis. Haec lex *est ratio profecta a Natura ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans ; quae nondum demum incipit esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est: orta est autem simul cum mente divina*, aiebat Cicero (1). Neminem hinc peccantem in ius naturale ignorantia nulla excusaverit ex Apostoli sententia (2). *Cum enim* (ait) *gentes, quae legem non habent, naturaliter ea , quae legis sunt , faciunt, eiusmodi legem non habentes , ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, quum iudicabit Deus occulta hominum.*

XVI. *Positivum* ius divinum est, quod ultra Decalogum , et praeter naturalem humani generis conservandi necessitatem Deus O. M. praecepit, puta caeremonias, et iudicia veteris Legis, Sacramenta, eorumque necessitatem, usumque in Evangelio. Hoc quidem ipsius tantum legislatoris arbitrio variari , et tolli potest: quemadmodum reapse mysticae , caeremoniales, et iudiciales Hebraeorum leges abolitae a Christo Domino sunt, et prorsus eliminatae post Evangelii promulgationem, sicut ante praedixerat Hieremias (3). Si quae vero ex Iudaeorum legibus exscriptae, adrogataequae sunt in Corpore Iuris Canonici (4); eas iuris non divini vim habere, sed humani; ideoque subiectas pontificiis dispensationibus, et abolitionibus patet. Novae tamen Legis ius divinum positivum quoadusque militans Ecclesia Christi constiterit, ratum perpetuo permanebit; cuius vim, et obligationem nullus hominum potuit, nec poterit unquam relaxare, aut infringere, ne summus quidem Pontifex, neque concilium generale , neque universa Ecclesia. Interpretandae solummodo legis divinae, eiusque sensum exponendi facultatem Christi Vicario, tum sanctis Ecclesiae Patribus traditam docet Fides catholica. Nam *ite* , inquit Christus Apostolis suis (5), *docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae:* non dixit, condite, mutate, abrogate , prout malueritis, Evangelium.

(1) *Lib. 2. de legibus.* Is etiam 2. Philipp. *lex*, inquit, *nihil aliud est, nisi recta , et a numine deorum tracta ratio.*

(2) *Ep.* ad Rom. 2. *vers. 14, et 15.*

(3) *Cap. 31. vers. 31. et seq.* ibi: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum... post dies illos, dicit Dominus , dabo legem meam in visceribus eorum , et in corde eorum scribam eam . . . Si defecerint leges istae coram me , dicit Dominus : tunc et semen Israel deficiet , ut non sit gens coram me cunctis diebus.*

(4) Ex iudicialibus Hebraeorum legibus excepta sunt in textu Decretalium *cap. 1. de homicidio voluntario, vel casuali, cap. 1. de furtis, cap. 1. de adulteriis, et stupro, cap. 1. de decimis, primitiis, et oblationibus, cap. 2. de praesumptionibus, cap. un. de purific. post. part. cap. 1. et seqq. usque ad 5. de iniuriis, et damno dato, cap. 1. de sepulturis.*—(5) Matthaei *cap. 28. vers. 19.*

TIT. III.

De Traditionibus.

I. Oralis Christi Lex ab Apostolis ad priscos Patres sine scripto propagata traditio *apostolica dicitur.*

II. Plurimos Fidei, et morum canones traditione antiqua, et continua accepimus.

III. Divinam ipsius auctoritatem sacrae etiam Litterae commendant.

IV. Hostes traditionum haeretici variis S. Scripturae locis abutuntur ad eas enervandas.

V. Sed aperto earum sensu catholico ii refelluntur.

VI. Urget speciatim vetitum a Christo quidquam Evangelio addere.

VII. Quod nimirum Evangelio adversatur, secus, quod Evangelium explicat vel complet, aiunt catholici.

VIII. Ad Fidem, et mores traditio spectat, non secus quam Lex divina.

I. Lex oralis (1), quam a Christi ore acceptam Apostoli sine scripto docuerunt, et commendarunt discipulis potissimum suis, quamque ab his propagatam succedentes continue Episcopi, et Patres in Ecclesia, ut bonum depositum custodivere, et suis etiam scriptis deinde mandarunt, *traditio* adhuc stricta notione dicitur. Scripta enim subsecuta Patrum, unde eas certius accepit Ecclesia, ipsarum originem a Christo, et Apostolis oralem, et extra sacras Scripturas habitam variare nequiverunt, sed evidentioribus, et facilioribus testimoniis comprobarunt: quemadmodum et consuetudines moribus inductae, et plurima hominum gesta, quae sine scripto revera valent, in scripta rediguntur: ut exinde possint facilius probari (2). In mysterio, idest occulto tradebantur initio coram catechumenis, et gentilibus sacratissima instituta Christi, ne ludibrio essent publico ethnicorum: quum vetuisset suis ob id Christus discipulis mittere margaritas ante porcos.

II. Traditionibus apostolicis plurimi canones qua Fidei, qua morum

(1) Oralem quoque legem ex ore Dei Moyses sine scripto septuaginta senioribus tradidisse, et deinceps ab iis ad Iudices, et Reges Iuda derivasse, atque postremo in volumen digestam fuisse a Rabino Iehuda, quod inscriptum est *Mischna*, scilicet *lex secunda*, iactant Hebraei, duce Maimonide in praefat. summae Thalmudicae. Duo ex sacris Bibliis testimonia proferunt pro traditionibus suis. Alterum Exodi *cap. 24 vers. 14. Dabo tibi tabulas lapideas, et legem, et mandatum.* Vocabulo *mandati* oralem legem interpretantur. Alterum Deuteronomii 12. *vers. 32*: *Omne* verbum, *quod ego praecipio vobis, illud custodietis, ut faciatis.* At rabinicas, et pharisaicas traditiones legis oralis evertunt ea Deuteronomii verba *cap. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Haec itidem alia Proverb. *cap. 30. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se: ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax.* Eas inter alios carpit S. Hieronymus *ep. 151. ad Algasiam qu. 10.* his verbis: *Quam inanes traditiones Pharisaeorum sunt, et quam aniles fabulae, evolvere nequeo. Pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere.* — (2) Ex Caio Icto in *l. 4 D. de fid. instr.*

*

innituntur. Veritatem in primis quatuor Evangeliorum ex traditione accepisse fatetur Origenes (1), ex eaque Serapion (2), falsum Petro inscriptum a Marcione Evangelium repudiavit. Alia nonnulla commemorat prae ceteris divus Basilius (3): *Ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? ut ad Orientem versi precemur, quae nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum conficitur, panis Eucharistiae, et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorant Apostolus, aut Evangelium: verum alia quoque, et ante, et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, et oleum unctionis; praeterea ipsum, qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita, secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item, quae fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanae, et Angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimeque curioso servarunt? Pulchre quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari.* Hactenus Doctor M. Parvulis baptismum prodesse ad salutem, et baptizatos ab haereticis non rebaptizari, S. Augustinus (4) ex traditione apostolica perspicue ostendit contra Donatistas; et peccati originalis maculam in omnes Adae posteros diffusam contra Pelagianos (5). Innocentius III. Ioannem Archiepiscopum Lugdunensem admiratione commotum, quod plura in canone Missae, et confectione Eucharistiae verba interposita essent, quae nullus Evangelistarum descripsisset, suasit multa tam de verbis, quam de factis Domini omissa in Evangeliis, *quae Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur* (6). Uno verbo Patres quum graeci, tum latini a primis Ecclesiae saeculis confutare consueverunt haereticos, et incredulos traditione apostolica, quoties non perspicua, vel nulla proferre possent oracula Scripturarum: eumque morem ostendunt acta conciliorum, et orientalium, et occidentalium, praesertim Chalcedonensis, et succedentium oecumenicorum usque ad Tridentinum.

III. Divinam traditionum apostolicarum auctoritatem, et necessitatem plura detegunt oracula Scripturarum. *Fratres state, et tenete* traditiones, *quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam . . . Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum* traditionem, *quam acceperunt a nobis*, scripsit Apostolus ad Thessalonicenses (7). II, *O Timothee*, depositum *custodi, devitans profanas vocum novitates*,

(1) Origen. *lib. 1. exposit. in Evang. Matth.*
(2) Apud Euseb. *lib. 6. hist. cap. 12.*
(3) *Lib. de Spiritu Sancto cap. 27, in can. ecclesiasticarum 5. dist. 11.*
(4) *Lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 7, et lib. 5. cap. 23, et 24.*
(5) *Lib. 6. contra Iulianum Pelagianum cap. 5.*
(6) Innoc. in *cap. cum Marthae 6. de celebr. Missar.*
(7) *2. ad Thessal. cap. 2. ver. 14, et cap. 3. vers. 6.* Id esse dominicum, et verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum, et falsum, quod sit posterius immissum, Tertullianus ait.

idem Apostolus ait ad discipulum suum (1). Et rursus (2) : *Formam habe sanorum* verborum , *quae a me audisti . . . bonum* depositum *custodi per Spiritum S. . . Quae* audisti *a me per multos testes*, *haec commenda fidelibus hominibus , qui idonei erunt, et alios docere . . . Tu autem assecutus es meam doctrinam , institutionem . . . permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.* III, *Laudo vos* (ipsemet Paulus ait ad Corinthios) *fratres , quod per omnia mei memores estis : et sicut* traditi *vobis , praecepta mea tenetis* (3). IV. *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum , et calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre , et os ad os loquemur* , ita Gaio B. Ioannes (4). Et alibi : *Quod audistis ab initio , in vobis permaneat. Si in vobis permanserit , quod audistis ab initio , et vos in Patre manebitis* (5).

IV. Quae ad evertendam divinam auctoritatem traditionum obtrudunt haeretici testimonia Scripturarum, longe alius eorum est sensus ab eo, quem ipsi perperam opinantur. I , obiiciunt illud Christi Domini effatum (6) : *Irritum fecistis mandatum Dei propter* traditionem *vestram... sine causa autem colunt me , docentes doctrinas , et mandata hominum.* II , *Quod* divus Petrus (7) *vanam* dixit *conversationem paternae traditionis.* III, Apostolus velut inanem fallaciam habuit traditionem illis verbis (8) : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam , et inanem fallaciam secundum* traditionem *hominum.*

V. Quis tamen tam hebetis erit ingenii , ut non intelligat istis obiectis Scripturarum locis traditiones pharisaeorum , ethnicorum , aliorumque fallacium hominum solummodo reprobari, quas ipsi commenti sunt, vel prorsus inanes, et aniles, vel adversas Evangelio : non item apostolicas, et ecclesiasticas , Fidem in Scripturis tacitam explicantes, et complentes ? Videre faciem Thessalonicensium cupiebat Apostolus , quid ? *ut compleamus* (ipse ait) *ea , quae desunt Fidei vestrae* (9).

VI. At enim (instant adversarii) vetitum est a Christo, et Apostolis quidquam addi Evangelio, et sacris Scripturis. Divus Paulus (10) omnem praedicationem praeter Evangelium damnavit, inquiens : *Sed licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* II. et rursus (11) : *Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per Fidem, quae est in Christo Iesu.* Concludunt exinde scriptis tantum dogmatibus , non traditis standum esse , et superfluas esse traditiones , quum Scripturae ad salutem sufficiant.

VII. Responde , id nefas est Evangelio addere , quod contra Evangelium sit : secus quod Evangelium explicat, et complet. Sane vox la-

(1) *Ep. 1 ad Timoth. cap. 6. vers. 20.*
(2) *2. ad Timoth. cap. 1. vers. 13, et 14; cap. 2. vers. 2. et cap. 3. vers. 14.*
(3) *1. ad Corinth. cap. 11. vers. 2.* — (4) *Ep. 3. B. Iohannis in fine.*
(5) *Ep. 1. B. Io. cap. 2. vers. 24.* — (6) *Matthaei 15. vers. 3.*
(7) *Ep. 1. cap. 1. vers. 18.* — (8) *Ep. ad Colossenses cap. 2. vers. 8.*
(9) *Ep. ad Thessalonic. cap. 3. vers. 10.*
(10) *Ep. ad Galathas cap. 1. vers. 8 , et 9.*
(11) *2. ad Timotheum cap. 3. vers. 15.*

tina *praeter*, quemadmodum et graeca παρα hic, et alibi saepius sonat idem, quod *contra*, sicuti post SS. Hieronymum, et Augustinum interpretatur Estius (1). His praenotionibus pronum erit subvertere argumenta omnia, quae Dallaeus (2), et Rivetus (3) praemortuos haereticos excitantes promunt adversus apostolicas traditiones. Earum impugnatores anathemate confixerunt concilia oecumenica V, VI, VII, VIII, Florentinum, et Tridentinum (4). Quibus edocti catholici sacras Scripturas, aeque ac traditiones apostolicas *pari pietate, ac reverentia* suscipiunt, et venerantur.

VIII. Tum ad Fidem, tum ad mores pertinere apostolicas traditiones, commonent Patres Tridentini, ut innuant alias immobiles, alias mutabiles esse.

TIT. IV.

De Consuetudinibus.

I. Consuetudo ius est moribus deficiente lege susceptum.
II. Legem ea ipsa exponit, supplet, quandoque abrogat.
III. Si rationabilis ea nimirum sit, aut naturali, vel divino iuri non adversetur.
IV. Simul si praescripta legitime sit longo tempore, consensu populi, actibus frequentibus, patientia legislatoris.
V. Legitimae consuetudini lex posterior, nonnisi expresse derogat.
VI. Posterior legitima consuetudo legem anteriorem vincit, et abrogat.
VII. Ea vel universalis omnes Ecclesias, vel generalis aliquam Nationem, vel particularis aliquam provinciam, seu dioecesim, seu Ecclesiam obstringit.
VIII. Contrarias etiam Romanis moribus consuetudines peculiares locorum probarunt prisci Patres.
IX. Laicis consuetudinibus clericos alii subdunt, alii non.
X. Pro clericis Neapolitanis sententia negans fere invaluit.
XI. Stylus Curiarum vim peculiaris consuetudinis habet in iudiciis.

I. A Traditionibus apostolicis *consuetudines* ecclesiasticae perinde differunt, atque a divinis iuribus humana (5) : licet has cum illis aliqui confundant, qui promiscuas voces latius usurpant. Mores populi consue-

(1) Παράνομος hinc dictus, qui contra legem agit, ac legem transgreditur. Plura ad rem congessit Natalis Alexander in *hist. 2. saec. dissert. 16. § 11.*
(2) In *lib. de vero Patrum usu.*—(3) In *tract. de Patrum auctoritate.*
(4) *Sess. 4. in decr. de canon. Script.* ibi: *si quis... traditiones praedictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit.*
(5) Eas scite distinxerant SS. Basilius in can. *ecclesiasticarum 5. dist. 11.* et Augustinus in can. *catholica 8. eadem dist. Ecclesiasticarum institutionum* (inquit Basilius) *quasdam Scripturis, quasdam vero apostolica traditione accepimus, quasdam consuetudine roboratas approbavit usus, quibus par ritus, et idem utrisque pietatis debetur affectus.* Et S. Augustinus, *sicut praevaricatores* (inquit) *divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.*

tudinem pariunt. Nam consuetudo est *ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex* (1).

II. Vis triplex est consuetudini. Ea in primis dubiam legem interpretatur (2). II, pro lege servatur, ubi lex deficiat (3). III, scriptam quandoque legem abrogat (4) : dummodo ipsa fuerit et *rationabilis*, et legitime *praescripta* (5).

III. *Rationabilis* ea putatur consuetudo, quae nec iuri naturali, nec divino etiam positivo Novi Testamenti, nec bonis moribus adversatur, neque animarum periculum fovet: alias dicenda est corruptela, abusus, vetustas erroris, non consuetudo (6).

IV. *Praescripta* legitime autem habebitur, quam diuturnis, iteratisque moribus cum scientia, ac tolerantia Pontificum tacitus consensus populi, eiusque maioris saltem partis introduxerit. Sane ad praescribendam legitime consuetudinem plura exiguntur. In primis longitudo temporis, puta spatium quadraginta annorum, quoties *contra* latam legem induci velit (7); quoties autem *praeter* legem instituatur consuetudo, decem annorum spatium sat erit, quod est longum tempus in iure (8). II, tacitus populi consensus, qui moribus ius novum, et obligatorium instituere intendat (9). Si enim populo animus non esset suis sese obligandi moribus voluntariis, ius consuetudinis nullam vim habebit: quemadmodum piae, diuturnaeque observantiae ieiunandi, et orandi ob deficientem populi voluntatem minime obstringunt homines ad consueta ieiunia, et preces prosequendum. III, frequentia actuum legi abrogandae adversantium (10); non quidem bis, vel ter iuxta Bartoli opinionem: quod enim

(1) Ex definitione Isidori in *can. 5. dist. 1.*

(2) Innoc. III. in cap. *cum dilectus 8. de consuet.*, et Paul. Ictus in l. 37. *D. de legibus*, ibi: *Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo iure civitas retro usa fuisset: optima enim legum interpres* consuetudo.

(3) Ex cit. Isidoro *can. 5. In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura*, mos populi *Dei*, *et* instituta *maiorum* pro lege *tenenda sunt*, ita S. Aug. *ep. 86.* ad Casulanum *can. 7. dist. 11.* Idque significare voluit Iustinianus relatus in *can. 6. dist. 12*, dum ait: *diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur.* — (4) *L. de quibus 32. D. de legibus.*

(5) *Cap. cum tanto fin. de consuet.*, ubi haec Gregorius IX: *licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime praescripta.*

(6) Ex canonibus a Gratiano congestis *dist. 8, et 11.* Si enim legem scriptam ratio, non scriptura commendat, consuetudinem ratione consistere sine scripto quis dubitabit? *can. 5. dist. 1. Ratio* igitur, quae consuetudinem suasit, tenenda est, *can. 7. dist. 12, et l. 1. C. quae sit longa consuetudo.*

(7) Gl. in cit. *cap. ult. de consuet. cap. abbatem 25. de verb. sign.*, *et cap. ut litigantes de off. ordin. in VI.*

(8) L. 1, et 2. C. *quae sit longa consuetudo*, et initio *tit. Instit. de usucapion.*, ubi ad introducendam consuetudinem longum tempus sufficere definitum est.

(9) *L. sed et ea 35. D. de legibus*, ubi ab Hermogeniano Iurec. consuetudo appellatur *tacita civium conventio.* Et praelaudatus Iulianus in cit. l. *de quibus*, praesupponit in moribus, et factis, consuetudinem inducentibus iudicium, et voluntatem populi, tacitumque omnium consensum.

(10) Ex Cuiacio *lib. 20. observ. cap. 1.*

semel, vel bis accidit, frequens non est (1). Hic maximum animadvertendum est discrimen inter desuetudinem, seu non usum legis, et consuetudinem legi contrariam per actus positivos : lex profecto nova nequaquam tollitur per non usum; maxime vero abrogatur per legis contemptum (2). Qui probandi sunt iudicialiter per unam, vel duas, vel tres ad summum turmas, quarum singulae decem testibus constent (3). Quoties enim in scripturam redacta non sit consuetudo, debet aliunde probari, ut vim suam habeat (4). IV, denique legislatoris scientia, et tolerantia requiritur, ut latam legem valeant contrarii mores populi abrogare : *cum multa* (inquit Innoc. III.) *per patientiam tolerentur* (5). Decreta nihilominus Tridentinae synodi non posse contraria consuetudine abrogari, docet luculenter Benedictus PP. XIV. (6), tam si Tridentinae promulgationem praecesserit, quam si eam subsecuta fuerit. Nam praevias consuetudines etiam immemorabiles saepissime Tridentinus textus abolevit. Et Pius IV. duabus constitutionibus, altera scilicet, qua confirmavit acta, et decreta eiusdem synodi, altera 13. Kal. Martii 1565. super eius observantia, et executione, palam decrevit omnia, et singula, quae concilii decretis adversantur, sive antea inducta, sive in posterum inducenda, nullius esse momenti, ac nemini posse in utroque foro interno, et externo suffragari.

V. Ex dictis haec consequuntur. I, Consuetudini rationabili per legem posteriorem minime derogatur, nisi expresse id caveatur in con-

(1) L. 5, et 6. D. *de legibus:* tametsi dicitur solitus delinquere, qui idem facinus bis patraverit, *l. 5. C. de episcopali audientia.*

(2) Felin. in *cap. 1. de tregua, et pace n. 50;* ceteri passim. Neque obstabit supradicta Iuliani sententia in *l. de quibus, ut leges tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur :* quoniam Iureconsultus abusive desuetudinis vocabulum adhibuit pro eo usu legi scriptae contrario, qui constat rebus ipsis,et factis. *Nam quid interest* (paulo ante dixerat) *suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, et factis?* Actus igitur positivi contra legem una cum tolerantia legislatoris ad praescribendam consuetudinem requiruntur, Reg. de Rosa *in pr. civ. cap. 13. n. 35, et seqq.*

(3) Docente Antonio Fabro in *Cod. lib. 4. tit. 15. defin. 14.*

(4) Arg. l. 4 *D. de fide instrum.*

(5) Cap. *cum iandudum 18. de praeb.* Iulianus autem ideo dixit tacito populi consensu per desuetudinem leges abrogari, in saepedicta *l. de quibus*, quia populus olim suffragio suo leges condebat, et recipiebat. Cumque hodie utrumque fiat vel per Principem, vel per Pontificem potestate divinitus sibi collata, de qua in sequenti *tit. 5*, propterea tolerantiam Papae pro legibus ecclesiasticis, et Principis pro laicalibus abrogandis requiri scripsit glossa in *can. in istis 3. dist. 4.* Quae tamen paulo ante affirmaverat legem contraria consuetudine tolli etiam sine scientia Legislatoris: difficile porro videtur, eum omnes, quae servantur, et inducuntur, consuetudines scire posse. Sed talem opinionem refellit Wesembecius in *paratit. D. de legibus*, scribens legitimam consuetudinem sine Principis consensu, vel expresso, vel tacito induci non posse moribus populi in statu monarchico viventis: tacitumque consensum non praesumi sine scientia morum, quibus Princeps adversatus non sit. Wesembecio maxime favet *Nov. 22.* Leonis Imp. apud Dion. Gothofredum, ibi: *Quando absurdi nihil incideret, neque rebus noxium quidquam inferretur, consuetudini cessimus: quin et legis praerogativam illi dedimus, quum iam plebs assuefacta illi esset, nec ab illa se avelli sineret.*

(6) Bened. XIV. *lib. 3. de Synod. dioec. cap. 1. n. 15.*

stitutione (1). Quam ob rem Patres Tridentini in decretis reformationis contrarias consuetudines, etiam immemorabiles sigillatim, et aperte abrogare sategerunt: quemadmodum universi fere legislatores,et sacri, et profani solent in novis constitutionibus suis exprimere.

VI. Secundo legem antecedentem vincit, abrogat, et prorsus tollit posterior consuetudo rationabilis, et legitime praescripta, non quia potentior, sed quia posterior (2). Hinc universi Ecclesiae catholicae fideles sanguinem, et suffocatorum carnes sine scrupulo edere consueverunt, abrogata constitutione concilii Ierosolimitani (3), qua praeceperant Apostoli, ut Christi Fidem amplectentes nedum ab immolatis simulacrorum, et fornicatione, sed etiam a sanguine, et suffocato abstinerent. Mos quoque universalis inolevit baptizandi singulis diebus sine necessitate (4), et preces ad Deum fundendi diebus dominicis tam stando, quam flexis genibus, per quem abiit in desuetudinem universalem canon 20. Nicaenae synodi, prohibens preces die solis fundi genibus flexis. Istos profecto canones viri per universam Ecclesiam piissimi ex inolita desuetudine minime observant: tametsi eos nulla posterior lex in scriptis abrogaverit. Praeterea S. Basilius ibidem agens de poenis canonicis, tradit consuetudinem, quae deminuit, temperatque poenas canonum, praeferri aliquando canonibus ipsis debere. *Utrunque igitur* (verba sunt Basilii) *scire nos oportet, et ius scriptum, et consuetudinem*; *et iis insistere*, *quae non amplectantur rigorem traditionum canonicum*. B. Chrysostomus etiam (5) disertissime edisserit modum, et prudentiam, quam debent Episcopi adhibere in temperandis ecclesiasticis poenis.

VII. Universalem, et generalissimam consuetudinem omnes observare debent Ecclesiae ad vitandum scandalum (6), *generalem* quaelibet Natio, *particularem* quaelibet Provincia, vel Dioecesis, vel Ecclesia custodit suam.

VIII. Contra disciplinam Romanae Ecclesiae, quae mater est omnium Ecclesiarum, nemini agere licere, probandum Gratianus assumpsit (7).

(1) Ut Bonifacius VIII. declaravit in *cap. 1. de constit. in VI.*

(2) Emm. Gonzal. in *cit. cap. fin. n. 9*. Nam Innocentius III. in *cap. cum dilectus 8.de consuet.* rescripsit talem fuisse probatam consuetudinem, quae iuri communi praeiudicet. Pariterque Iulianus Iureconsultus rectissime receptum esse affirmavit, *ut leges non solum suffragio* legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per *desuetudinem* abrogentur, *l. de quibus 32. D. de legibus*. Profecto *abrogare* est legem perlatam prorsus tollere*: derogare* est aliquid deminuere de vi, et effectu legis: *obrogare* est aliam legem ferre prioris legis infirmandae causa: *antiquare* est legem promulgatam reiicere, seu non accipere, ut tradit Ausonius ver. *abrogare*. In istis casibus verificatur quod Obertus de Orto filium suum docuit in textu *cap. 1. de feudor. cognit. lib. 2. feud. tit. 1. Legum Romanarum non vilis est auctoritas ; sed non adeo vim suam ostendunt, ut usum vincant, aut mores.* — (3) Actor. *cap. 15. vers. 29.*

(4) Basilius M. in ep. ad Amphilochium *cap. 1: consuetudine utendum est, et iis, qui instituerunt haec nostra, Patribus obsequendum: vereor enim, ne forte, dum volumus pigros eos ad baptizandum reddere, impedimento simus saluti propter praecepti severitatem.*

(5) *Lib. 2. de Sacerdotio cap. 2., et seqq.*

(6) *Can. 8. dist. 11., et can. 11. dist. 12.*

(7) In *can. 1. dist. 12. ex ep.* Calixti Papae I. ad Benedictum Episcopum. At

At Patres sanctitate conspicui pias aliarum Ecclesiarum observantias, a Romanis licet dissonantes non improbarunt. *In omnibus cupio*, aiebat divus Ambrosius (1), *sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen et nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius servatur, et nos recte custodimus.* Et divus Augustinus, *quae per loca terrarum* (inquit) *regionesque variantur, sicuti est, quod alii ieiunant sabbato, alii vero non; alii quotidie communicant Corpori, et Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi sabbato tantum et dominico; et si quid aliud huiusmodi animadverti potest: totum hoc genus rerum liberas habet observationes* (2). Ipsa etiam Romana Ecclesia rationabilibus aliarum Ecclesiarum moribus minime adversatur, nec resistit. A divo Gregorio M. Augustinus Anglorum Episcopus quaesiverat interrogatione 3. *Cum una sit Fides, cur sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversae, et altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in aliorum Ecclesiis tenetur?* Cui Papa respondit pias, et rectas consuetudines nedum in Romana Ecclesia, verum etiam in illis Gallorum, Anglorumque inveniri, et delectu dignas haberi: quum non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendet (3).

IX. Laicorum tamen consuetudines (quoties in eisdem introducendis nec mores, neque consensus ecclesiasticorum accesserint) clerici regu-

eandem epistolam, aeque ac alteram ad Episcopos per Gallias constitutos Calixto inscriptas a pseudo Isidoro, atque a Romanis etiam Correctoribus inter commentitias fuisse collocatas, testatur Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratian.*

(1) *Lib. 3. de Sacram. cap. 1.*

(2) *Can. 11. dist. 12. et ep. 118. ad Ianuarium.*

(3) *Can. 10. ead. dist.* Idemque Pontifex immotam permanere concessit consuetudinem Numidiae de Primatibus constituendis, sive de ceteris capitulis, *can. 8.* Quemadmodum ea, quae consuetudinis erant in Salonitana Ecclesia, non negavit Maximo Salonitano Episcopo in *can. 9.* Stephanus PP. III. in *act. 1.* synodi Lateran. an. 769, *aliter* (ait) *se orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius S. Romanae Ecclesiae. Nam earum sacerdotes, diaconi, atque subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiae, vel occidentalium nullus sacerdotum a subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.* Quemadmodum viget etiam apud Graecos ex vetustissima consuetudine consecratio panis fermentati: apud Romanos autem, et occidentales omnes azymi. Item ritus in administrandis Sacramentis, atque in usu formae sacramentalis, vel deprecativae, vel indicativae, alii fere sunt in Ecclesiis orientalibus, aliique in occidentalibus. Eosque Concilium Florentinum in decreto unionis Armenorum adeo retineri mandavit, ut ne Latinis Graecos, nec vicissim Graecis Latinos ritus liceret usurpare. Saeculo IX. Nicolaus I. *ep. 2.* ad Photium Patriarcham Constantinop. *De consuetudinibus* (scripsit), *quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua obviare debemus, nihil iudicamus, vel eis resistimus can. 3. dist. 12. Scit namque S. Romana Ecclesia, quia nihil obsint saluti credentium diversae pro loco, et tempore consuetudines: quando una Fides per dilectionem operans bona, quae potest, uni Deo commendat omnes,* ut scripsit saec. XI. Leo IX. ad Michaelem Cerularium Constantinopolitanum etiam Patriarcham et Leonem Acridanum Episcopum *ep. 1*, relat. in eodem *can. 3.* Quem canonem Gratianus conflavit ex recitatis duarum epistolarum fragmentis cum nonnulla verborum mutatione.

lariter observare non coguntur (1). Si tamen velint, in favorabilibus posse clericos rationabili consuetudine loci quidem uti, opinantur permulti doctores. Alii vero indistincte sentiunt aeque clericos, ac laicos consuetudinibus laicalibus ligari (2).

X. Verum in Senatu Neapolitano sententia invaluit habendi clericos, eorumque bona a statutis, et consuetudinibus laicorum immunes, exemptosque tam active, quam passive, quatenus nec etiam in favorabilibus ii commodo consuetudinum laicalium fruantur, qui non patiuntur incommodum (3).

(1) Cap. *quod clericis 9. de for compet.* Ubi Coelestinus III. rescripsit clericos Parisiis commorantes tam actores, quam reos in causis cum laicis iure canonico esse iudicandos: quamvis Episcopus ibi haberet temporalem quoque iurisdictionem, et gereret vicem Comitis, ut ibi notat glossa; non autem secundum consuetudines, legesque municipales.

(2) *Cap. cum venissent 3. de eo,qui mitt. in poss.*,ubi Innocentius III. ad Urbinatem, et Senagolensem Episcopos rescribens probavit, quod Legatus apostolicus caussam inter Abbatem S. Angeli, et P. Gallen. commisisset iudicibus terminandam secundum ius, et bonam, ac laudabilem terrae consuetudinem.

(3) Quod tradit Pisanell. in *praef. consuet. Neap.* §. *praefatis*, et Carolus de Rosa *ibidem n. 56.* Idemque pro veritate sensit Napodanus in proemio Regis Caroli ad *d. consuet. n. 312*, post discussas hinc,et hinc varias Doctorum opiniones. Cumque in Ritu 22. Curiae archiepiscopalis Neap. speciatim fuisset cautum, ne clericus teneretur iure congrui, vel Friderici constitutione, vel verius moribus regnicolarum inducto, de quo latius dixi in ms. *tract. de iure congrui:* utque ob id emptor clericus in eadem Curia absolveretur a retractu per laicum petito: S.Consilium apud Praesid. de Franchis *dec. 285*, definivit ad aequalitatem servandam, clericum vicinum non posse vicissim a laico emptore in foro laicali retrahere, neque ius congrui postulare. Et Greg. Grimald. *to. 3. hist. leg. et magistr. lib.13. n. 7*, testatur clericos generatim haud ligari Neapolitanis consuetudinibus tam active,quam passive: tametsi in illis compilandis,atque in scripturam redigendis interfuit Archiepiscopus Neapolitanus Philippus Minutolo Regius Consiliarius. Propterea quod ex Caroli II.Andegavensis voluntate Archiepiscopus cum XII.viris peritissimis operam iis compilandis dedit, nullum vero consensum suum impertitus est nomine Cleri, aut archiepiscopali auctoritate. Et merito reiicit opinionem auctoris *hist. civ. tom. 2. lib. 1. cap. ult.* scribentis ecclesiasticos Neapolitanos antiquis temporibus exemptionem a iure consuetudinario minime praetendisse, sed novissimis dumtaxat temporibus. Napodanus etiam *in cit. proemio consuet. Neap. n. 293*, affirmaverat Ecclesias, et clericos consuetudinibus potuisse obstringi ob interventum Archiepiscopi. Et Albericus de Oliva *in comment.Rit. 22. dict. Cur. Archiep.* indistincte scripsit omnes consuetudines eodem Ritu probatas fuisse ac receptas quod ad clericos. At rectius Io: Hieronymus Campanile, alter eorumdem Rituum commentator *n. 20.* reprobata Alberici sententia, docet ex litera laudati Ritus XXII.tantum in causis *saisinarum*, hoc est possessionum, fabricarum aedificandarum,vel demoliendarum,et similium,iure congrui speciatim,excepto quod ad bona etiam ecclesiasticorum, servari a clericis praefatas consuetudines: secus vero in aliis. *Saisine* verbum Gallicanum idem sonat, quod possessio,et occupatio apud Latinos, quo sensu Bonifacius VIII.*in cap. clericis 2.de immun.eccles. in VI.* accepit verba *saisire et saisita.* Igitur iis, quas Ritus archiepiscopalis probavit, consuetudinibus exceptis, regula in contrarium firmata est pro clericis ad reliquas consuetudines minime obligatis. Quoniam sacrum quoque Consilium asseruit sine Capituli, et Cleri Neapolitani consensu consuetudines ab Archiepiscopo collectas, et probatas: Ritus vero archiepiscopales etiam cum Capituli consensu editos,de Franch. *dict. dec. 285. n. 8.* Et quamvis in terminis cons. *si qua moriens* sub tit. *de mu-*

XI. Particularem consuetudinem sapit stylus curiarum, qui nedum pro modo, et forma loquendi, et scribendi (1), verum etiam pro usu, et ordine procedendi, ac iudicandi accipitur. Eumque *propriam informationem* appellavit S. Augustinus (2). Bene constitutus tunc dicitur stylus, quum praevia formali discussione articuli duabus saltem sententiis iudicialibus comprobatus sit (3). Duplex est: alter *morem decidendi*, alter *ordinem iudiciarium* spectat. Hic facile probatur causidicorum, et curialium attestationibus: ille probationibus plenioribus ostendendus est, frequentia scilicet rerum iudicatarum, vel iteratis eiusdem tribunalis decisionibus causarum particularium, vel decreto aliquo generali (4). Omissus, vel immutatus stylus Cancellariae Romanae in litteris pontificiis earum falsitatem detegit: clausulas, idcirco consuetas, quamvis superfluas

lier. hab. fil. qual. suam dot. dispon. deciderit S. Consilium, iunctis duabus aulis posse clericos in sui favorem uti istis consuetudinibus, ut refert Consiliarius de Bottis ad *cons. si quis, vel si qua fol. 137.* gl. *in causa*: eadem decisio nihilominus revocata postmodum fuit iunctis tribus aulis in gradu reclamationis, teste Molfesio ad *cons. Neap. tom. 2. cons. 27*, et Carolo de Rosa *ibid. n. 57.* Quamobrem ratione aequalitatis servandae sicut clericus testando non tenetur relinquere medietatem proximioribus de linea, unde bona obvenerunt, sed testatur secundum regulas iuris communis, Capic. *dec. 98*, ita et laicus testator poterit de bonis antiquis ad libitum disponere, excluso clerico proximiore, dummodo personae turpi ea non legaverit, Capic. *ib.* et de Franch. *dec. 411. n. 5.* Veruntamen clerico ab intestato morienti succedunt intra Neapolis districtum agnati proximiores quod ad bona ex agnatis obventa, et cognati in bonis lineae cognatorum secundum ius consuetudinarium; quia post clerici mortem bona non sunt amplius clericalia, nec iuri ecclesiastico subiecta remanent: sed secundum laicales, sive constitutiones, sive consuetudines ipso facto perveniunt,et pertinent ad laicos iure successionis, quod est profanum, Napodan. *in cons. si quis, vel si qua n. 248.* Quin defuncti etiam clerici ab intestato praesumuntur voluisse bona relinquere, quibus de iure pertinent secundum regionis morem, Gasp. de Leo *in addit. ad Surd. dec. 20. n. 3*, et cit. Car. de Rosa *in gl. cons. Neap. n. 60.*

* Quum *Legum opportunitates, et medelae, uti scripsit Gellius. noct. Attic. 20. 1. pro temporum moribus, et pro Rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum praesentium rationibus mutari, atque flecti debeant,* quippe quod ad cuiusque Reipublicae utilitatem quotidianas vices illae subeant necesse est, et vix quidquam stabile a Legislatore in illis excogitari potest: hinc Cod. nov. LL. civ. art. 654. in Utriusque Siciliae Regno cautum, Consuetudines, atque Neapolitani Regni Leges successionem legitimam respicientes, penitus abrogari. Quamobrem Lex novissima bonorum distinctionem, et originem respuens, eamque dumtaxat in casu reversionis, si nempe donatarius sine prole decedat, admittens art. 670., sanxit hereditatem in causa intestati primum ad liberos pertinere, deinde ad parentes: si neque liberis, neque parentibus ea deferri possit, ad cognatos e latere redire; demum his deficientibus, ad filios naturales, coniugem, et Fiscum illam addici constitutum art. 654.

(1) L. *habeat 1. C. de sanctiss. Eccl.*, ibi: *liber sit stylus, et licitum, quod non redit, arbitrium.*

(2) In can. *catholica 8. dist. 11*, ibi: *Privatis vero constitutionibus, et propriis* informationibus *unaquaeque pro locorum varietate subsistit, et regitur.*

(3) De Franchis *dec. 91., 238., et 722.*, Rovit. *cons. 18. n. 3. lib. 1*, *et* Card. de Luca *de legitima disc. 10, n. 4.*

(4) Card. de Luca disc. 35. *de legit. n. 72.*

sedulo perpendant exequutores litterarum qua Pontificum (1), qua Principum (2).

TIT. V.

De constitutionibus et legibus.

I. Lex, et constitutio diversam olim, nunc eandem notionem fere habent.
II. Ea est legislatoris praeceptum bono publico latum.
III. Legis praeceptum perpetuam habet a maiestate legislatoris firmitatem.
IV. Iustum erit, si divino, ac naturali iuri consentiat.
V. Communi bono lex, privato privilegium prospicit.
VI. Nonnisi post promulgationem ea subditos obligat.
VII. Necessariae promulgationis formam variam leges, statuta, mores induxerunt.
VIII. Lex supremi Principis, vel Pontificis post duos a promulgatione menses, inferiorum Potestatum, et Episcoporum statim obligat, nisi aliter expressum in ea sit.
IX. Acceptare legem, eique parere subditi divino etiam iure coguntur.
X. Sunt qui populo arbitrium acceptandi, et respuendi leges reservatum adhuc putant.
XI. At istud in aristocratiis, et democratiis locum habet, in monarchiis non item.
XII. Ex vetita Apostolis dominatione, ut spontaneum gregem pascant, videntur ecclesiasticae saltem disciplinae leges iure divino populi acceptationi submissae.
XIII. Perinde dominantium Praesulum abusus, et violentias, ac subditorum effraenam contumaciam Christus, et Apostoli coercent.
XIV. Iniustas leges fas est subditis impune respuere.
XV. Perniciosas Imperantium leges rescindi studuere saepius Romani Pontifices.
XVI. Pontificiis vicissim legibus novis antiqua iura, et privilegia convellentibus regia Potestas obstat, suumque denegat placitum.
XVII. Si mutua Potestatum contradictio cessaverit, subditi coguntur utriusque legibus parere.
XVIII. Iustam subditis libertatem fovet, non diminuit servilis legum observantia.
XIX. Humana lex intra legislatoris territorium subditos saltem devincit.
XX. Summi Pontificis, et oecumenici Concilii placita cunctos ubique fideles generatim ligat.
XXI. Cardinales novis legibus fere non obligantur, nisi eos nominatim ipsae complectuntur.
XXII. Princeps, et Pontifex neque suis, nec Praecessorum legibus est obnoxius.

(1) Cap. *quam gravi* 6. *de crimine falsi*, ibi: *Sic litteras apostolicas studeas intueri tam in bulla, filo, et charta, quam in* stylo. *quod veras pro falsis, vel falsas pro veris non admittas.*
(2) Ex Baldo in epigraphe *l. sacri 6.* C. *de diversis rescriptis.*

XXIII. Principum civiles leges circa res profanas laicos simul, et clericos obstringunt.

XXIV. Romanae leges civiles utrosque ligant.

XXV. Earundem studium, usumque Romani Pontifices quandoque ob utriusque Potestatis dissidia clericis vetuere, mox iuris communis *vim, et nomen obtinuere.*

XXVI. Legum civilium vis varia, quas Corpus canonum, et legum ecclesiasticarum continent, leges canonizatae *dicuntur.*

XXVII. Praeter divinas leges aliae a sacris Conciliis, *aliae a* Pontificibus, *aliae a* Patribus *latae sunt.*

I. A Constitutione legem veteres Iureconsulti distinquebant, definientes legem suffragio populi, rogante magistratu, constitutionem placito Principis ferri (1): recentiores utrunque vocabulum promiscua notione saepius acceperunt.

II. Definitur, quo in iure potest modo. *Est praeceptum iustum, et stabile a persona legitima constitutum, ad bonum commune sufficienter promulgatum.*

III. Ad consilii discrimen constitutio, seu lex dicitur esse *praeceptum.* Illudque *stabile*, ad perpetuam legis firmitatem designandam: ne confundatur cum simplici praecepto, seu mandato, quod morte mandantis expirat (2). *Persona* vero nonnisi *legitima*, cui scilicet legis ferendae potestas (3) sit, legem condit, edicit, statuit: qualis est Princeps in monarchia, populus in democratia, optimates in aristocratia, summus Pontifex, et concilium generale in Ecclesia universa, Episcopus in sua quisque dioecesi (4).

IV. *Iustum* insuper iussum lex debet omnino praecipere, quod nimirum nec iuri divino, nec naturali rationi, aut honestati repugnet; alias usque adeo irrita, et inanis esset (5), ut nec nomen etiam legis tunc mereretur (6). *Nam neque medicorum praecepta dici vere possent, si quae inscii, imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo lex, cuiusmodi fuerit illa* perniciosa, et iniusta. *Lex* porro *est iustorum, iniustorumque distinctio* (7). Quaenam sane Potestas sive regia, sive pontificia placitis suis poterit vim enervare divinae veritatis, aut rationis naturalis? *Non posse aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*, datamque sibi a Domino potestatem *in aedificationem, et non in distructionem*, fatetur Apostolus (8).

V. Ad *commune bonum* praeterea lex constituitur (9), ut ea sic dif-

(1) L. 1, *et seqq. D. de legibus, l. 1. totoque tit. D. constitut. can. 1, et 4. dist. 2.* — (2) L. *mandatum 15. C. mandati.*

(3) Cap. *cum super 23. de offic. deleg.*, ubi Innocentius III. duo ad substantiam legis necessaria esse dixit, *potestatem, et voluntatem.*

(4) Bened. XIV. *de syn. dioec. lib.* 8. *cap. 4. num.* 3.

(5) August. in *can. 1. dist. 9.* et Gratianus in *fine eiusdem dist.*

(6) Cic. *lib. 2. de legibus num. 26.* — (7) Idem Cic. *loc. cit. n. 30.*

(8) *Ep. 2. ad Corinth. cap. ult. vers. 8., et 10.*

(9) *Can. 2. dist. 4. l. 1. et 2. D. de legibus*, ibi: *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. Constat profecto* (ait Tullius *cit. lib. 2.*

ferat a privilegio privatum bonum spectante (1). Verum *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est* (2).

VI. Denique *promulganda* sufficienter est nova constitutio, quippe quae nullam vim legis obtinet, nisi post perfectam promulgationem (3). Quomodo enim subditi poterunt legem ignotam servare? Eis propterea, qui ob ignorantiam non paruerunt novae constitutioni Papae Siricii ubique non promulgatae, veniam largitus est Innocentius I. (4). Et Innocentius III. edixit constitutionem in concilio Lateranensi IV. latam de medicis non obligare, nisi postquam Praelati locorum eam promulgassent (5).

VII Necessitatem promulgationis, et ratio naturalis, et ius divinum, et mores legislatorum suadent (6). Quod tamen ad formam promulgandi leges attinet, certo iure praefinita ea non est. Eas in singulis provinciis, locisque ita publicandas, ut notitia verosimiliter valeat ad universos populos, quibus feruntur, pervenire, Doctores (7) plurimi conten-

de legibus n. 26.) ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, et beatam conditas esse leges.

(1) *Can. 3. dist. 3*, ubi sic Isidorus: *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatae leges: nam privilegium inde dictum est, quod in privato feratur.*

(2) Ulp. in *l. in rebus 2. D. de constit. Princ.*

(3) *L. sacratissimae 9. C. de legibus.* Nov. 66. *cap. 1.* Innoc. III. in *cap. 13. de poenit., et remiss.* — (4) In *can. proposuisti dist.* 82.

(5) In *cap. cum infirmitas 13. de poenit., et remis.*

(6) Decalogus, et lex Mosayca cuncto populo Hebraeorum ab ore, et scripto Moysis innotuit. Evangelium in universo mundo praedicarunt Apostoli. Quaeque ipsi constituerant in Concilio hierosolymitano, scripserunt ad Antiochenos per Paulum et Barnabam, Iudam, et Silam, Actor. *cap. 15. vers. 23. et seq.* Clerus Romanus post S. Fabiani Papae martyrium, Sede annum, et plus vacante, Synodum celebravit de controversia inter S. Cyprianum Carthaginen., et Lucianum exorta in Ecclesiis Africanis super poenitentia, et reconciliatione lapsorum: dein litteras dedit ad Episcopos universos, ut totus orbis catholicus observaret, quod a Cathedra Petri etiam vacante praeceptum fuit, ut tradit S. Cyprianus *ep. 52. ad Antonianum*, et Baronius *ad an. 253. n. 78. ad 81.* Scilicet ut infirmi ex lapsis imminente solum periculo mortis reconcialiarentur: aliorum reconciliatio ad futurum deferretur Pontificem. Prima Synodus Nicaena litteras encyclicas dedit ad Episcopos, qui synodo non interfuerunt, decreta, et gesta synodica significantes. *Quae* (sunt verba ep.) *litteris ad vos praescribere* necessarium *visum est, ut intelligere possitis quae decreta, sancitaque sint.* Per alios vero Episcopos synodo praesentes transmisit omnibus in toto orbe terrarum Ecclesiis exscripta canonum, et gestorum exempla. Cuiusmodi morem in sequentibus synodis, praesertim oecumenicis servatum fuisse ostendunt acta Conciliorum in collect. Labbaeana, et Harduini.

(7) Suarez, Panormitanus, Card. Caietanus, ceteri apud P. de Marca *lib. 2. cap. 15. n. 2.* Iustinianus *Nov. 6, et 48.* leges pro disciplina ecclesiastica per semetipsum latas a singulis Metropolitis, et Episcopis in propria cuiusque Ecclesia pubblicandas iussit. Et *Nov. 66. cap. 1*, suam de testamentis constitutionem valituram edixit duos menses post earum insinuationem in provinciis Imperio subiectis faciendam. Hanc regulam Doctores adeo aequam, et rationabilem extimarunt, ut communi usu, et interpretatione etiam extra fines Imperii recepta sit. Concilium XVI. Toletanum in *can. decernimus 17. dist. 18.* constituit intra sex menses unumquemque Episcoporum decreta concilii referaturum cunctae suae dioecesis plebi congregatae.

dunt. At vero *non esse necessarium , cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare: sed sufficere, ut ad eius observantiam teneantur , qui noverint eam solemniter editam,aut publice promulgatam* , censuit Innocentius III (1). Mos exinde Romae inolevit novas promulgandi constitutiones pontificias per affixionem transumptorum ad valvas basilicarum Urbis, et Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in monte citorio, et in acie campi Florae duntaxat: adiecta in singulis clausula , qua declaratur omnes ubique fideles sola publicatione Romana ad pontificias exequendas constitutiones perinde obstringi , ac si personaliter notificatae singulis fuissent (2). Leges autem Episcoporum, aut statuta synodica dioecesim satis bene promulgari , dum aut voce praeconis in platea civitatis manifestentur , aut in Ecclesia cathedrali palam legantur , aut exscriptae in locis publicis pateant affixae : et ubi decreta synodorum Clerum solummodo afficiant , recitationem in ipsa synodo factam sufficere docet sapientissimus Papa Benedictus XIV. (3).

VIII. Post promulgationem rite factam, lapsus duorum mensium fere expectandus est, ut novae legis *generalis* sive pontificiae, sive regiae obligatio incipiat, et facultas puniendi transgressores: nisi aliud temporis intervallum sive maius, sive minus legislator ipse supremus praefixerit ex recepta DD. sententia utroque iure (4) probata, et moribus etiam no-

(1) In *cap. adhaec 1. de postulat. Praelator.* Et Nicolaus Papa ad Clerum Constantinop. rescripsit non posse ignorantia excusari ab exequendis canonibus Concilii Sardicensis , quod in eorum regionibus fuerat celebratum, et ab omni Ecclesia receptum, *can. quod dicitis ult. dist. 16.*

(2) Clausulam istam in voluminibus Iuris Canonici extravagantibus etiam fuisse omnino ignotam observant Doctores, qui Iustinianaeum formam promulgationis in singulis provinciis, et terris subiectorum populorum ad legis valorem requirunt. E contrario alii tenent satis esse promulgationem Romae factam, quorum sententiam sequitur, et comprobat Azorius *tom. 1. inst. moral. lib. 5. cap. 3.*

(3) *Lib. 8. de Synodo dioeces. cap. 4. n. 1.*

(4) *Nov. 66. cap. 1., et cap. ult. ne clerici, vel monachi, cap. noverit 49. de sent. excom. cap. 1. de concess. praeb. in* 6, et alibi. Ioannes XXII. suam de pluralitate beneficiorum constitutionem in extravag. *execrabilem 1. de praebendis* intra mensem a tempore notitiae illius computandum servari mandavit. Pius IV. in bulla super declaratione temporis ad observanda decreta Concilii Tridentini , quam edidit 15. kal. Aug. 1564. declaravit decreta reformationis Tridentinae a kalendis Maiis 1563. universos obligare coepisse ob menses tres a die publicationis decursos: *quia in iure etiam communi* (ait) *sancitum est, ut constitutiones novae vim nonnisi post certum tempus obtineant.* Et Iustinianus suam de testamentis Novellam 66. post duos menses ab insinuatione, seu promulgatione confecta in provinciis Imperio subiectis numerandos valituram edixit. Quin Apostolus, qui ceteroquin restiterat in faciem Cephae-cogentis Christianos gentium iudaizare , adhuc per aliquod temporis spatium Iudaeis pro libito servare indulsit caeremonias legis Mosaicae Passione Christi Domini iam abrogatas, quoadusque ad tumulum cum decore mater Synagoga duceretur, et lex evangelica bene vigeret universali promulgatione , ut S. Augustinus docet *ep. 19.* Et Paulus ipse ritus Mosaycos quandoque observavit, dum Timotheum circumcidit, et Cenchris votum persolvit, et Hierosolymis a divo Iacobo admonitus legalia celebranda suscepit: ad quae respexit scribens ad Corinthios *ep. 1. cap. 9. Factus sum Iudaeis tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer: iis, qui sub lege*

stris. Cum enim novissima inter Sedem Apostolicam, et Regem nostrum Concordata Neapoli die 3. Augusti 1741, tum in provinciis regni essent diversis temporibus promulgata, dubitatumque exinde fuisset, quonam ex die rei criminum noviter exceptorum ab asylo Ecclesiae forent excludendi: Tribunal Mixtum censuit, et Rex pluries rescripsit eos de criminibus, nonnisi post bimestre a die promulgationis in qualibet provincia factae computandum patratis strictiori Concordatorum lege iudicandos. Lege tamen ab Episcopis, et inferioribus Potestatibus lata post promulgationem statim procul dubio subditos obstringi, nisi aliter in ea ipsa cautum sit, Doctores consentiunt (1) (*).

IX. Acceptare legem iustam a Monarcha, aut Pontifice latam subiectus populus debet, eamque si respuere sine causa tentaverit, gravis culpae reatum fere incurrit. Nam iure divino utriusque Testamenti subditi omnes obedire coguntur Potestatibus a Deo ordinatis tam ad mundi, quam ad Ecclesiae regimen. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille*, ita Moyses (2). *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit*, ita Christus (3). *Non est enim* Potestas, *nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit* Potestati, *Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt . . . Ideo necessitate subidti estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, ita Paulus Apostolus (4). *Si iudicas legem, non es factor legis, sed iudex*, ita S. Iacobus (5). Proscripta hinc merito est ab Alexandro VII. ea propositio, quae contra asserebat: *Populus non peccat, etiamsi absque causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

X. Huic axiomati adversari videtur Iulianus Iureconsultus (6), qui *leges* (ait) *nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptae sunt.* Cumque populus in Principem dicatur omne suum imperium, et potestatem transtulisse *lege regia*, quam commemorat Ulpianus (7): inde praesumitur populus sibi ius reservasse acceptandi, et antiquandi novas Principis constitutiones. His additur auctoritas Gratiani (8)

sunt, quasi sub lego essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem.

(1) Ostiensis, Navarrus, Suarez, Azorius, quos calculo auxit suo praelaudatus Ben. XIV. *loc. cit. n. 2.*

(*) Iure novissimo cod. ll. cc. art. 1. cautum quod leges rite latae statim post diem promulgationis obstringant.

(2) Deuteronomii *cap. 17. vers. 11*, *et* Iosue *cap. 1. vers. 16*, *et seq.*

(3) Apud Lucam *cap. 10. vers. 16.*

(4) Ep. ad Romanos *cap. 13. vers. 1*, *et seqq.* Consonat. *ep.* divi Petri *cap. 2. vers. 13*, *et seq.*

(5) In *ep. canonic. cap. 4. vers. 12.* Nicolaus I. in Synodo Romana an. 863. anathema fulminavit in eos, *qui mandata, sanctiones, vel decreta a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit.*

(6) L. *de quibus 36. D. de legibus.*

(7) L. 1. *D. de constitut. Principum.*

(8) In *can. in istis 3. dist. 4.*

docentis *leges instituí, quum promulgantur; firmari, quum moribus utentium approbantur.*

XI. At eiusmodi obiecta in statibus monarchicis nullius revera sunt momenti. Nam Iuliani textus statum democraticum, aut aristocraticum spectat, in quorum altero populus, in altero optimates iura maiestatis, summamque potestatem decernendi bella, magistratus creandi, legesque ferendi obtinent: quae omnia in monarchia personae Principis necessario adhaerent. Quare *in praesenti leges condere soli Imperatori concessum est. Quid enim maius, quid sanctius imperiali est maiestate? vel quis tantae superbiae fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat? cum et veteris iuris conditores, quae ex imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere aperte, dilucideque definiant*, rescripsit Iustinianus ad Demosthenem (1). Legem vero regiam, unde arguunt libertatem acceptandi, vel respuendi leges populo reservatam, merum esse figmentum pro explorato nunc habent doctiores (2). Denique mores utentium firmantes legem promulgatam ex Gratiani sententia non excludunt vigorem legi inditum placito solius legislatoris: sed posteriorem consuetudinem, quae posset ipso sciente, ac tolerante ex intervallo legem anteriorem alias obligantem abrogare (3).

XII. Dices: ecclesiasticas saltem leges disciplinae a Clero, et populo acceptandas esse, ut vim habeant, plura indicant loca Scripturarum. I, Christus Dominus mandavit Apostolis suis, ne dominarentur, sicut Reges gentium; utque ii, qui praessent, fierent sicut ministrantes (4). II, divus Petrus Episcopos commonuit, ut gregem Dei pascerent, providentes non coacte, sed spontanee (5).

XIII. Respondeo: vetito Episcopis dominatu non convulsam fuisse potestatem, quam *coactivam* appellant, leges iustas ad aedificationem ferendi, et iubendi, sed abusum, fastum, et turpis lucri cupidinem. Si enim iusta Ecclesiae iussa Clerus, et populus spernere licito iure posset, nonne inanis fieret potestas clavium? Eam potestatem etiam in invitos exeruit Apostolus, ob resistentiam culpabilem Corinthiorum iussis eius (6). Quo exemplo ducti Pontifices saepius compellere, quam hortari subditos consueverunt ad acceptandas, servandasque novas Ecclesiae constitutiones (7).

(1) In *l. ult. C. de legibus.*

(2) Gronovius *in dissert. de lege regia*, Vulteius *ad §. 6. Instit. de iur. nat. gent. et civ.* Scookius *in diatriba de leg. reg.*

(3) Ex traditis in superiori *tit. de consuetudinibus.*

(4) Matt. 20. *vers. 25.* Marc. 10. *vers. 42*, et Lucae 22. *vers. 25. Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut et ministrator.*

(5) Ep. 1. *cap. 5. vers. 1, et seq. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, et testis Christi passionum: pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes* non coacte, *sed* spontanee *secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed* voluntarie *; neque ut* dominantes *in cleris, sed* forma facti *gregis ex animo.*

(6) Ep. 2. *ad Corinth. cap. ult. vers. 10. Ideo haec absens scribo, ut non praesens* durius agam *secundum* potestatem, *quam dominus dedit mihi in aedificationem.* — (7) P. de Marca *lib. 1. de concordia cap. 8. num. 4.*

XIV. Iniustam, perniciosam, irrationabilem constitutionem fas quidem est subditis abiicere, salva legislatori reverentia (1). Talis enim constitutio recte lex appellari non potest (2); dum tenebras iniustitiae offundit, non *lucem* (3); dum destruit, non aedificat, dum ad interitum, non ad salutem dirigit. Isaias *leges iniquas* execratus est (4). Sane legum conditores reges, et principes per Deum imperantes nonnisi iusta decernendi potestatem a Deo ipso habent (5). Omnis ergo lex erit *honesta*, *iusta*, *possibilis*, *secundum naturam*, *secundum patriae consuetudinem*, *loco*, *temporique conveniens*, *necessaria*, *utilis*, *manifesta quoque*, *non obscura*, *nullo privato commodo*, *sed pro communi civium utilitate conscripta*, ex divi Isidori sententia (6). Et Ulpianus *in rebus novis* (ait) *constituendis evidens esse utilitas debet*, *ut recedatur ab eo iure*, *quod diu aequum visum est* (7). Dum istae qualitates in nova constitutione defecerint, fas populo est vel contrariis moribus eam antiquare (8), vel eius abolitionem reverentur ab ipso legislatore postulare.

XV. Altera Potestatum saepius intercedit, ut alterius leges perniciosae rescindantur. Zenonis Imperatoris *henoticum*, scilicet edictum unionis, quod eutychianam haeresim fovebat, et haereticos cum orthodoxis mixtos tuebatur, improbandum studuit Felix Papa epistola ad Zenonem data (9). Heraclii *ectesim*, scilicet edictum, asserens unicam in Christo voluntatem, et vetans, ne quis unam, aut duas in Christo operationes confiteretur, Pontifices Severinus, et Ioannes IV. proscripsere (10). Constantis *typum*, edictumque monothelitis etiam favens, Martinus I. in Romana synodo damnavit. Edictum Henrici VI. Regis Angliae iniuriosum Sedi Apostolicae, ecclesiaticaeque libertati, ut in supremo Consilio, quod Parlamentum vocant, abrogandum curaret Henricus Episcopus Wintonensis, mandavit Martinus V. (11). Caroli V. caesareum *interim* in comitiis Augustanis pro-

(1) *Can. 1. dist. 12. can. 5. dist. 18. l. rescripta 7. C. de precibus Imp. offeren.* — (2) Tullius *lib. 2. de legibus num. 26, et 30.*

(3) *Mandatum lucerna est, et lex lux*, Proverb. *cap. 6.*—(4) Isaiae *cap. 10.*

(5) Proverb. *cap. 8. vers. 17. Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam.*

(6) In *can. erit 2. dist. 4.* — (7) L. *in rebus 2. D. de constit. Princ.*

(8) *Quicunque legibus Imperatorum* (ait S. Augustinus), *quae contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, adquirit grande proemium. Quicunque vero legibus Imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, adquirit grande supplicium... Rex Nabuchodonosor quum servus esset idolorum, constituit* (Daniel 3.) *sacrilegam legem, ut simulacrum adoraretur, sed eius impiae constitutioni qui obedire noluerunt, pie, fideliterque fecerunt. Idem tamen rex divino correptus miraculo piam, et laudabilem legem pro veritate constituit, ut quicunque diceret blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, cum domo sua penitus interiret*, can. 1. *dist. 9.*

(9) *Ep. 9.* Natal. Alexand. *dissert. 18. ad saecul. V. tom. 10.* edit. Neap.

(10) Ex *Secretario 3. Conc. Lateran.* sub Martino I., et *ep.* Ioannis IV. ad Constantinum Imp.

(11) Ex *ep.* Martini V. ad Henricum apud Raynald. ad *an. 1426. n. 19. Perlege statutum* (scribebat Martinus) *illud regium, si tamen* statutum, *si tamen et regium dici fas est. Nam quomodo* statutum, *quod statuta Dei, et Ecclesiae destruit?* Quomodo *regium, quod iustitiam perimit contra id, quod scriptum est.* Honor Regis iudicium diligit? *In primis per id execrabile* statutum *ita Rex*

mulgatum de Fidei doctrina, deque ritibus, ac disciplina ecclesiastica servandis in Germania, quoadusque omnia synodus oecumenica definivisset, detestari haud veritus est Paulus III. responso ad Legatum reddito (1). Quid plura?

XVI. Vicissim novis Romanae Sedis, Ecclesiaeque constitutionibus obviam ire solet Potestas regia, earumque promulgationem, acceptationemque impedire, ubi vel Regis, vel regni, et status publica iura novitate convelli videantur. Tranquillitatem populi, locorum privilegia, instituta, consuetudines inveteratas, legitimasque, pacem, ac disciplinam, Ecclesiae tueri, boni quidem Principis est. *Cognoscunt Principes saeculi* (divo Isidoro commonente) *Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam susceperunt: nam si augeatur pax Ecclesiae, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati Ecclesiam suam credidit* (2). Et Iustinianus legum, aeque ac canonum custodiam sibi a Deo concreditam agnovit (3). Reges autem, et Proreges Neapolitanos saepenumero sanxisse, ne quis Sedis Apostolicae, et Romanae Curiae rescripta, bullas, provisiones, et quaslibet litteras hoc in regno sine regio placito promulgaret, nec exequeretur, compertissima res est (4). Summi tamen Pontifices idipsum aegerrime ferentes, haud neglexerunt pro viribus abolere, praesertim Pius II, Innocentius VIII, Alexander VI, S. Pius V, Gregorius XIII. (5). Sed inanem fecit eorum operam maximum saecularis Potestatis studium tutandi praxim inveteratam regii *exequatur*, velut pupillam oculi, et fundamentum regiae iurisdictionis (6), quae a successoribus, iisque prudentissimis Pontificibus tolerata est, et adhuc adeo viget, ut permultae ex recentioribus Sedis Apostolicae constitutionibus, quibus regium placitum, vel non accesserit, vel denegatum, aperte fit, nullam in regni tribunalibus vim obtinuerint, nec sortiantur in dies: aliaeque nanciscantur executionem limitatam clausulis in regio *exequatur* ipso adiectis. Ubi res tulerit, eae speciatim in decursu operis indicabuntur. Haec satis de regio *exequatur*, quatenus generales Sedis Apostolicae constitutiones attingit: quod vero ad frequentiorem usum talis placiti super particularibus eiusdem Sedis, Curiaequae Romanae mandatis, litterisque tam gratiae, quam iustitiae, sermo redibit infra commodior, ne in diverticulum hinc deflectatur (*).

Angliae de Ecclesiarum provisione, et administratione disponit, quasi vicarium suum Christus eum instituisset. Legem condit super Ecclesias, beneficia, clericos et ecclesiasticum statum. Ad se, suamque laicalem Curiam causas spirituales, et ecclesiasticas iubet introduci, quasi Ecclesiae claves in manibus haberet.

(1) Natal. Alexand. in *hist. saec. 15. et 16. art. 11. §. 4. n. 21.*

(2) Can. *Principes 2. C. 23. qu. 5.* — (3) Novell. *137. initio.*

(4) Ex B. Chioccarello *to. 4. arch. tit. 1;* et rescripto Caroli VI. Imp. Barcinone dato, quod extat *in to. 1. privileg. eiusdem Principis.*

(5) Liquet ex eodem *to. 4. arch. et to. 14.*

(6) Utor verbis Comitis Beneventi Proregis ad Philippum III. scriptis die 14. Decembris 1605., et Regis rescripti ad eundem Comitem die 22. Septembris *1606., d. tom. 4. arch.*

(*) Iuvat hic observari *Regium exequatur* eas constitutiones duntaxat respi-

XVII. Alterna Potestatum intercessione cessante, observare legem rite promulgatam utique coguntur omnes, et singuli legislatoris subditi. *Scimus* a divo Paulo (1), *quoniam quaecunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur.* Quinam sunt in lege? Nonne qui subsunt imperio, et ditioni legislatoris?

XVIII. Haec tamen obligatio servandi leges, nedum non adimit, verum etiam adauget libertatem subditorum. *Fundamentum libertatis in legibus positum*, aptissime asseveravit Tullius (2), propterea quod *legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Qui ergo studiose servant mandata Domini, canonicasque leges Ecclesiae, ipsi tranquilla fruuntur libertate: qui vero iugum Domini, et Ecclesiae excusserint, ii servitutem ferunt reapse miserrimam. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, proclamat Apostolus (3). Cedo quaenam libertas cum spiritu cohaeret? An ea, per quam Beguardi Dulcinistae cum caeco ipsorum assecla, et Quietistarum, duce Michaele Molinos, contendebant nullis omnino legibus, nec praeceptis Ecclesiae obligari homines ad gradum perfectionis, et spiritum libertatis evectos? Absit: eam sane, ut execrandam profligarunt concilia Viennense (4), et Tridentinum (5). Libertatem a servitute peccati, et mortifero daemonis iugo esse cum spiritu Domini, sensit Apostolus: *nunc* enim *soluti sumus* (ait) *a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus* (6). Quisquis itaque obsequitur legibus, vera fruitur libertate: at refractarius vera premitur servitute.

XIX. Vis, ut aiunt, *coactiva* humanae legis extra ditionem, seu ter-

cere, quae ad meram Ecclesiae disciplinam spectant. Profecto illa omnia, quae vel universa Ecclesia in Oecumenica Synodo statuit, vel Christi Vicarius ex Cathedra infallibiliter decernit, quoad inviolabile Fidei, morunque depositum, ipsa utique perscrutari nequit christianus Princeps, cum Christi Sponsa iure divino leges istas constituat, quibus fideles omnes ubique parere debent.

Iam vero novissima Concordatorum lege an. 1818, art. XXIII. sancitum, ut *epistolae circulares, leges, et decreta circa liceat scribere* priusquam in caussis ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem appellatio provocetur, penitus *abrogentur.*

(1) *Ad Roman. cap. 3. vers. 19.* — (2) Cic. *orat. 14. pro A. Cluentio.*

(3) *Ep. 2. ad Corinthios cap. 3. vers. 17.*

(4) In clement. *ad nostrum 3. de haereticis.*

(5) *Sess. 6. cap. 11.* ibi: *Nemo quantumvis iustificatus liberum se esse ab observantia mandatorum putare debet, etc.*

(6) *Ep.* ad Romanos *cap. 7. vers. 6.* A iugo insuper gravi Mosaycae legis liberatos fuisse a spiritu Domini fideles, nequaquam ab obedientia Potestatibus iusta iubentibus debita, Apostolus ipse docuit Galathas *in ep.* ad eos data *cap. 5*, ita scribens. *Nolite iterum iugo servitutis contineri, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit... Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis... Spiritu ambulate... quod si spiritu ducemini, non estis sub lege.* Rursus cum scripsisset ad Timotheum *ep. 1. cap. 1. vers. 9, et 10*, quod *lex iusto non est posita, sed iniustis, impiis, peccatoribus, parricidis...* iustos non liberos declaravit a servandis Ecclesiae legibus, sed eos ceteuus spiritu Dei adduci spontaneo ad bona, et saepe perfectiora opera amplectendum virtutis amore, et mala fugiendum, ut nulla coactio legum humanarum eos attingat. Hoc etium sensu libertatem iustorum accepit Urbanus II. *in can. duae sunt XIX. qu. 2.*

ritorium legislatoris non protenditur, vel in subditos : *quum extra territorium ius dicenti non pareatur impune* (1). Verum exteri, et advenae obstringuntur legibus eius dioecesis, et territorii, quod incolunt : dum legibus loci, unde discesserunt, interea soluti habentur: *Cum Romam venio* (ita ad Augustinum Ambrosius) *ieiuno sabbato : cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serva* (2).

XX. Et quoniam summi Pontificis, et concilii oecumenici auctoritas spiritualis nullos habet in orbe catholico fines, omnes ubique fideles sacros summorum Pontificum, et conciliorum generalium canones custodire debent (3) : nisi quem exemerit specialiter ipsamet Sedes Apostolica vel privilegio, vel dispensatione. Legatos a latere Cardinales excepit Innocentius IV. (4) ex vetita Legatis simplicibus beneficiorum collatione. Ioannes XXII. (5) Cardinales una et Regum filios communi sanctione de pluribus beneficiis non retinendis non ligari pronunciavit. Aliique item Pontifices reservationibus apostolicis, et regulis Cancellariae edendis saepenumero eosdem exemerunt, vel exemptionem ab illis indulto speciali concessere.

XXI. Ceterum an novis constitutionibus Cardinales ipso iure excepti, nec ne intelligantur, ubi nulla eorundem mentio specialis habita sit, discrepant Doctores, quorum alii affirmantem probabiliorem, alii negantem tuentur sententiam (6). Questio haec in causa fuit, cur in recentioribus conciliis, praesertim Constantiensi, Basileensi, Florentino, ac Tridentino (7), et constitutionibus summorum Pontificum Cardinales nominatim obstringi consueverint.

XXII. Princeps, et Pontifex legibus non modo suis, sed Praecessorum etiam solutus, procul dubio est (8). Par quippe praecessor in parem suc-

(1) *Cap. ut animarum 2, et fin. de constitut. in VI., et l. pupillus 239. §. territorium D. de V. S.*, ubi territorium a *terrendo* dictum Pomponius tradit, quod magistratus eius loci, intra eius fines *terrendi*, idest submovendi ius habet.

(2) *Can. illa autem 11. dist. 12.* Iudaeos regiones Christianorum incolentes communi Romanorum iure iudicandos ob id rescripsere Arcadius, et Honorius in *l. iudaei 9. C. de iudaeis, et coelicolis.* Et Rex Carolus edicto die 3 Febr. 1740. lato quum indulsisset Hebraeis domicilium in hoc regno Neapolitano habere, Iudici Delegato eos subiecit in causis tam civilibus, quam criminalibus secundum leges regni, et specialia eiusdem regii edicti statuta, *art. 21.* de quo in seqq. lib. IV. fusius. Tametsi autem leges Christianorum in rebus temporalibus devinciunt Iudaeos, in spiritualibus tamen, iudicioque animarum ipsi ecclesiastic is legibus, et canonibus non tenentur, quum extra Ecclesiam, et foris sint. *De his autem, qui foris sunt, Deus iudicabit*, non Ecclesia, Aug. *in can. multi 1. C. II. qu. 1. cap. gaudemus 8., et fin. de divortiis, cap. de infidelibus 4. de consanguinitate.*

(3) *Cap. 1. de constitutionibus, et can. praeceptis apostolicis 2. dist. 12.*

(4) *In cap. 1. de officio legati in VI.*

(5) In Extravag. *execrabilis 4. de praebendis.*

(6) Apud Hieronymum Gonzalez *super reg. 8. Cancell. gl. 24. n. 1. ad 31.*

(7) *Sess. 22. de reform. cap. 1., et 2. sess. 25. cap. 1., et 7 : sess. 24. cap. 17. 18. 19. et alibi.*

(8) *L. 31. D. de legibus*, ubi sic Ulpianus. *Princeps legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi privilegia tri-*

cessorem non habet imperium. *Vi, ut* aiunt, *directiva* nihilominus boni Principes suis ipsi legibus obtemperant (1), eos cogente nemine.

XXIII. Disputanda occurrit nunc salebrosa quaestio, an civiles, regiaeque leges clericos, et Ecclesias ligent? Studia partium procul absint, ac sola veritas ratione duce, atque distinctionis ope inquiratur. Leges civiles de rebus profanis, ac temporalibus a Potestate laica latae, dum sacris canonibus, et ecclesiasticis constitutionibus non refragentur, omnes tam laicos, quam eccleciasticos obligant, et in utroque foro profano, et sacro servandae sunt. Tales leges omni reverentia dignas dixit Gratianus (2): utpote quas omnibus custodiendas Patres commonuerunt saepissime, ac Pontifices iusserunt (3).

buit, quae et ipse habet. Iustinianus, *Principi* (ait) *et ipsas Deus leges subiecit, legem animatam eum mittens hominibus*, Nov. 105. *in fine.*

(1) *Digna vox est maiestate regnantis alligatum legibus se Principem profiteri: adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas, et revera maius imperio est submittere legibus principatum*, fassi sunt Theodosius, et Valentinianus in *l. digna vox 4. C. de legibus.* Et divus Isidorus, *iustum est* (ait) *Principem legibus obtemperare suis: tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam praebet*, can. *iustum est 2. dist.* 9. Plinius in *panegyr.* Traiani laudes praedicans, *non est* (inquit) *Princeps supra leges, sed leges supra Principem: nec tam imperio Traiani nobis opus est, quam exemplo.* Aptissime Claudianus. Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.—(2) *Post can. 6. dist. 10.*

(3) Divus Augustinus contra Donatistas urget subiectionem, et obedientiam Potestatibus iure divino debitam ostensurus, quod nequaquam liceat ecclesiasticis personis respuere in rebus humanis, et possessione temporalium leges Imperatoris, *can. 1. dist. 8.* Et contra Petilliani litteras scribens ultro concessit Donatistas uti posse in adiutorium suum legibus imperii, omni tamen remota fraude, ac cavillatione: exemplo Apostoli, qui contra iniuriosos se civem Romanum esse protestatus est, ut secundum leges Romanas iudicaretur, *can. si in adiutorium 7. dist. 10.* Cum Theodoricus Italiae rex quinto saeculo exeunte edixisset leges Romanorum Principum in profanis negotiis fore custodiendas, Gelasius Papa ad eumdem Regem scripsit velle se, ut eaedem leges eo magis in Ecclesiarum negotiis servarentur, *can. certum est 12. ead. dist.* Tum Episcopis Rufino, et Aprili idemmet Papa rescripsit a nemine contemni debere, nec leges Principum, nec regulas Patrum, *can. quis autem 11. ibidem.* Pelagius II. Childeberto Regi Francorum, sexto declinante saeculo scribens, *legibus* (ait) *nos etiam subditos esse sacrae Scripturae praecipiunt, can. satagendum 10. CXXV. qu. 1.* S. Gregorius M. Ioannem in Hispania defensorem instruens, quid in causa ei delegata sequi deberet, remisit ad Novellam 123. Iustiniani, *lib. 2. ep. 57.* Ivo Carnotensis Episcopus *ep. 280. instituta* (scribit) *legum Novellarum commendat, et servat Romana Ecclesia.* Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem post saec. IX. medietatem fassus est Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uti, *cap. quoniam 8. dist. 10.* Cumque paulo ante Lotharius Imperator Ludovici Pii filius conquestus esset Leonem Papam IV. nolle Capitularia Regum Francorum, et praesertim Caroli M. Ludovici Pii, ipsiusque Lotharii observare; Pontifex respondit sese in aevum modis omnibus, et irrefragabiliter observaturum ea, et imperialia, et Pontificum Praecessorum capitula, *can. de capitulis 9. dist. 10.* Quae Lotharius idem observanda iussit per universam Italiam, ut notant *in cit. can.* Romani Correctores. Sed populo Romano aegre ferente usum sibi suarum legum interdici, alienarum imponi iugum, et impera-

XXIV. Romanas exinde leges Pandectarum, Codicis, et Novellarum in Corpore Iuris Iustinianaeo contentas vix generatim obtinere in Curiis Ecclesiasticis, aeque ac saecularibus, quotidiana docet experientia. Profecto quid fere aliud est Romanum ius commune, nisi honestas ipsa Naturae e mentibus humanis Iureconsultorum bene ratiocinando exculpta, scriptisque tradita?

XXV. Aliquando ab legibus eiusmodi imperialibus abhorruere Pontifices Romani, earum studio, et usu clericis vetito (1): dum Imperatores Germaniae nimirum, praesertim Fridericus I., et II. Pontificiam Sedem, et Ecclesiasticam libertatem vexarunt suis, et armis et legibus Ecclesiica iura deprimentes. At semotis deinde dissidiis inter utranque Potestatem ius Romanum in pristinam redivit dignitatem, et Langobardo praevaluit in huius regni Neapolitani foro etiam ecclesiastico. Inde

toris Galli, et Pontificis imperio: Leo IV. precibus tandem studuit flectere Lotharium, ut pristinum legibus Romanis vigorem restitueret, *can. vestram 13. ead. dist.* Inde indultum a Lothario, ut populo Romano liceret alterutra lege vivere, quam sibi concedente Pontifice, et Imperatore delegisset, esseque professus, aut Romanam, aut Longobardam. Quam libertatem populo Neapolitano speciatim concessit Rex Guilielmus I. post saec. XII. medietatem, dum iussit, ut causae hoc in Regno definirentur *secundum constitutiones primum regias, et in defectu earum secundum consuetudines approbatas, ac demum secundum iura communia*, Longobarda *videlicet*, *aut* Romana, *prout qualitas litigantium exegerit.* Saeculo ab hinc nono sensim refloruit usus Romani iuris, quod una cum litteris, bonisque artibus sexcentos circiter annos exulabat e regnis occidentalibus, praesertim Italiae, ob dominatum exterarum gentium, praecipue Gothorum et Longobardorum. Ivo Carnotensis Episcopus iussu Lotharii II. Imperatoris, Saxoniae Ducis circa ann. 1100. quum duo volumina *Decretum, et Panormiam* edidisset, in Panormia ex Pandectis, Codice, et Novellis plurima excerpta inseruit, primusque omnium canones cum legibus in occidente contexuit, et fausto omine ius civile in Italia promulgare coepit. Tum Lotharius ipse suadentibus Comitissa Mathilde, et Ihonerio Icto Bononiensi, qui Constantinopolitanos Iurisperitos audiverat, Romanam iurisprudentiam omnino revocavit in Italiae scholis, et tribunalibus. Deinde magister Gratianus exemplo Ivonis leges fere innumeras ex Codice Theodosiano, ex Iustiniani textibus, ex Capitularibus, aliisque iuris civilis voluminibus transtulit in suam Decreti concordiam, seu collectaneam. Cuiusmodi morem tenuerunt succedentes canonum, et decretalium compilatores.

(1) Alexander III. *in cap. non magnopere 3. ne cler.*, *vel monachi*, sanxit, ne regulares iuri civili addiscendo vacarent in universitatibus. Innocentius III. *in const. ad occidentales Episcopos* data nedum improbavit, quod tota clericorum multitudo ad audiendas saeculares leges concurreret: sed iussit etiam, ut in regnis Franciae, Angliae, Scotiae, Hispaniae, Valliae, et Haengariae, non imperatoriis legibus causae, sed locorum consuetudinibus decidereutur. Namque *tum canones* (ait), *quam consuetudines plus confunduntur legibus, quam iuvantur, praecipue propter nequitiam*, Matth. Paris. *ad an. 1254.* Thomassin. *par. 3. lib. 1. cap. 91. num. 15.* Honorius III. inhibuit, ne Parisiis, in locisque vicinis ius civile legeratur: quia in Francia (inquit), et nonnullis Provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis canonicis expediri, *cap. super specula 28. de privilegiis.* Talem censuram veritus Petrus Blesensis, qui saec. XII. floruit, *ep. 92.* post enarratas iurisprudentiae Romanae laudes, tandem ut indulgeret tempori, ait: *Res plena discriminis est usus legum.*

factum est, ut *ius commune* dicatur, quod continent vulgati textus nedum civiles, verum etiam canonici.

XXVI. Omnes tamen leges in textibus civilibus comprehensae unam eandemque vim non habent. Nonnullas enim canones speciatim probarunt, alias correxerunt, ceteras silentio praeterivere. Ex legibus primi generis, quae in Corpore canonum, et constitutionibus ecclesiasticis insertae sunt, eae a Doctoribus recte appellantur *leges canonizatae*, vim perinde in foro ecclesiastico obtinentes, ac canones ipsi auctoritate pontificia constituti (1).

XXVII. Praeter ius divinum tria sunt omnino genera legum ecclesiasticarum. Nam aliae a Sacris *Conciliis*, aliae a summis *Pontificibus* latae sunt, aliae concordibus sanctorum *Patrum* dictis editae. De singulis dicendum.

TIT. VI.

De Conciliis (*).

I. Suppar divinis Scripturis auctoritas conciliorum est.
II. Ab Apostolis celebrata quatuor concilia tradunt eorundem acta.

(1) Quod enim ait Iustinianus *in const. de conceptione Digestorum ad Tribonianum §. 6*, aptissime a Pontificibus dicitur: *nostra fecimus omnia, quibus auctoritatem impertimur.* E re nata nonnullas istiusmodi legum canonizatarum delibare iubet. Nuptias inter adoptantem, et adoptatam, istiusque descendentes: tum inter adoptatum, et filias naturales adoptantis; praeterea inter adoptantem, et uxorem adoptati; versaque vice inter adoptatum, et uxorem odoptantis irritas voluere leges civiles in *l. quin tiam 55*, *l. adoptivus 14. D. de rit. nuptiar.*, *et §. inter eas Inst. de nuptiis*, etiam soluta adoptione. Inter adoptatum vero, et filiam naturalem adoptantis coniugium durante adoptione invalidum, ea soluta ratum habuerunt, *l. per adoptionem 17. D. de rit. nupt.* Istud cognationis legalis impedimentum dirimens probavit Nicolaus I. in responsione ad consulta Bulgarorum *in can. ita diligere XXX. qu. 3*, *et cap. un. de cognat. legali:* adeo ut ad quaestiones de eodem impedimento finiendas iudices ecclesiastici leges civiles adhibere opus habeant, Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 36. n. 5.* Quoties impotentia coniugis dubitetur, num perpetua, an temporalis sit, triennalem virium experientiam indulsit Iustinianus *Nov. 22. §. per occasionem.* Eamque Coelestinus III. admisit in *cap. laudabilem 5. de frigid. et malef.* Piorum disponentium voluntates adamussim servandas cum iussissent Iustinianus in *l. sancimus 46. C. de Episc., et cler.*, et Zeno *in l. si quis donaverit 15. C. de sacros. Eccles.*, id quoque rescripsit divus Gregorius *in can. rationis 34. XVI. qu.* 7. Iuri publico pactis privatorum derogari non posse, primum textus civilis statuit *in l. ius publicum 39. D. de pactis*, *et l. 28. D. de reg. iur.*: deinde decretalis Innocentii III. *in cap. si diligenti 12. de for. com.* Fructus rei alienae possessor bonae fidei facit suos ex §. 4. *Inst. de interdictis*; eademque ratione praesentationem possessoris valere, et irrevocabilem esse institutionem praesentati ab eo, definitum est iure canonico in *cap. 19. de iurep. cap. 24. de elect. cap. 7. de caus. poss.*, *et propr.* Initio litis, et lite pendente prohibitum fere sequestrum ex *l. un. C. de prohib. sequestr. pec.* comprobavit in causis ecclesiasticis Felix II. in *can. quoties 2. qu. 6.*

(*) *Concilium* a *comitiis* apud Latinos differt. Nam *concilium* pro aliqua populi parte, seu pro coetu seniorum congregato ad rem aliquam communi sen-

III. Conciliorum origo, et auctoritas ab institutione divina, et apostolica profluxit.

IV. Diversam vero vim habent sex eorum genera.

V. OEcumenica, seu generalia in primis concilia cunctos, ubique fideles obligant.

VI. Hanc tamen vim non habent, nisi Romanus Pontifex ea indixerit, suaque auctoritate probaverit.

VII. Priora in oriente concilia Imperatores consentientibus Pontificibus Romanis, in occidente Pontifices ipsi per sese congregarunt.

VIII. Ut iudices votum definitivum habent Episcopi, Cardinales etiam non Episcopi, abbates Regularium generales: ceteri patres consilium.

IX. Gradatim sedent, ac subscribunt Legati primum Apostolici, mox Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Iuris Doctores, Theologi: inter impares nimirum dignitas maior, inter pares antiquitas promotionis praecedit.

X. Reges etiam, supremique Principes adesse Conciliis generalibus per se, aut per legatos, et oratores consueverunt.

XI. Generalium conciliorum auctoritas in Fidei dogmatibus infallibilis, et immota: in rebus disciplinae secus.

XII. Eorum numerus paullulum dubius octo graeca priora, latina tredecim posteriora complectitur.

XIII. 1. Nicaenum haeresim Arii de Christi divinitate profligavit.

XIV. 2. Constantinopolitanum I. alterum Macedonii de Sp. S. necnon Eunomii, Sabellii, et Apollinaris.

XV. 3. Ephesinum aliam Nestorii de Virgine Deipara.

XVI. 4. Chalcedonense illam Eutychetis de duabus in Christo naturis.

XVII. 5. Constantinopolitanum II. tria capitula a Vigilio Papa ante damnata proscripsit.

XVIII. 6. Constantinopolitanum III. monothelitas damnavit unam in Christo voluntatem effutientes.

XIX. 7. Nicaenum II. iconoclastas sacrarum imaginum hostes.

XX. 8. Constantinopolitanum IV. Photium schismaticum.

XXI. Horum omnium canones dogmaticos palam profitebatur novus quisque Pontifex.

XXII. 9. Lateranense I. imperiales Ecclesiarum investituras prisco canonicarum electionum iure vindicato delevit, sacrumque bellum contra infideles promovit.

XXIII. 10. Lateranense II. Anacleti antipapae schisma compressit, haeretieosque Petrobusianos, et Arnaldistas.

XXIV. 11. Lateranense III. acta rescidit pseudo pontificum Victoris IV, Paschalis III. Calisti III., damnavitque Valdenses, Albigenses, Catharos, et Patarenos.

tentia deliberandum accipitur. *Comitia* vero pro conventu totius populi ad ferenda suffragia convocati, Gellius *lib. 5. noct. Act. cap. 27.* Hinc coetus Episcoporum catholicorum, et Cleri ad quaestiones Fidei definiendas, moresque fidelium moderandos, et ecclesiastica pertractanda negotia rite habiti, passim nuncupantur latino vocabulo *concilia,* et graeco *synodi.* Nomen *concilii* tractum affirmavit Isidorus a *concursu ciliorum* in unum, *can. 1. dist. 15*; alii a *considendo,* vel *conciendo,* vel *concalando,* idest *convocando.*

XXV. 12. Lateranense IV. sancito foedere Principum contra Saracenos plurimos resecuit errores Albigensium, Almarici Carnotensis, et Ioachimi abbatis.

XXVI. 13. Lugdunense I. anathema in Fridericum II. iteravit, rubroque pileo Cardinalium dignitatem auxit.

XXVII. 14. Lugdunense II. decimas ecclesiasticas pro bello sacro ad sex annos indixit, et Palaeologo Imperatore Graecorum eiurato schismate, Fidem nostram de Spiritu S. Graecis declaravit.

XXVIII. 15. Viennense Templariis deletis damnavit Petrum Io. Olivium, Begardos, Beguinas, Fraticellos, et Dulcinistas, memoriamque Bonifacii VIII. a calumniis vindicavit.

XXIX. Dubiae auctoritatis concilium Pisanum, deiectis Romanae Sedis competitoribus, pseudo Benedicto XIII., et Gregorio XII., Alexandrum V. elegit.

XXX. Ambiguum pariter Constantiense, tribus e Romana Sede deiectis, Martinum V. suffecit, mox Bohemos, Hussitas, et Wiclefitas proscripsit.

XXXI. Eiusdem furfuris Basileense Eugenio IV. deposito, suffectoque antipapa Felice V. communionem sub utraque specie laicis vetuit.

XXXII. Florentinum rite celebratum unionem latinorum cum graecis decrevit.

XXXIII. Lateranense V. legitimum, actis Pisani concilii rescissis, damnavit haereses de anima omnium, una et mortali.

XXXIV. Tridentinnm denique Fidei veritatem a quamplurimis Lutheri, et Calvini maculis expurgatam tradidit, et corruptos Ecclesiae mores reformavit.

XXXV. Arelatense concilium nonnulli generalibus conciliis accensent, alii rectius non.

XXXVI. Sardicense appendix Nicaeni potius, quam diversum putatur.

XXXVII. Trullanum etiam, seu Quinisextum orientales habent uti appendicem quintae, et sextae synodi oecumenicae.

XXXVIII. Localia vero Concilia saepius ab Episcopis habita tribus etiam prioribus Ecclesiae saeculis.

XXXIX. Plurima sunt, quae pro sua quisque natione Patriarchae coegerunt.

XL. Provincialia bis quotannis olim ex Nicaeno canone, ex Tridentino singulis trienniis, nunc rarissime celebrantur. Executionem non habent, nisi accesserit Romanae Sedis confirmatio, praeterea regium hoc in regno placitum.

XLI Cunctos ista totius provinciae subitos obligant, non alios.

XLII. Ordinarium appellationis tribunal olim erat synodus provincialis.

XLIII. Post Tridentinum praecellunt synodi provinciales Mediolanenses, Beneventanae, et Neapolitanae.

XLIV. Tum Romana Benedicti XII. anno 1725.

XLV. Dioecesanas Episcopi synodos cum Clero quisque suo bis annuas cogebant, ex canone Nicaeno, nunc ferme exoletas.

XLVI. Modum, et formam celebrandae synodi tradit fusius Benedictus XIV.

XLVII. Quid in ea decernere, quid intactum relinquere Episcopus debeat summatim innuitur.

XLVIII. Exemptos quoque ad eam convocandi ius habet dioecesanus.

XLIX. Hoc in regno synodi episcopales nullam sine placito regio executionem obtinent.

L. Mixtae insuper synodi sunt, quae promiscuam provincialis, et dioecesanae vim habent.

LI. Plures huius generis hoc in regno celebratae.

LII. His adduntur synodi regiae ex Praelatis, et baronibus collectae pro communi Cleri, et populi utilitate.

I. Post sacras Scripturas maximam obtinent auctoritatem decreta conciliorum (1), quae scilicet Episcopi insimul congregati constituerunt de causis ecclesiasticis sive Fidei dogmata, sive mores, ac regimen spectantibus. Quin prima concilia partem faciunt sacrorum librorum.

II. Ex Actis Apostolorum convenisse non semel Apostolos ad quaestiones nascentis Ecclesiae definiendas plane constat. I., ipsis adhuc commorantibus in coenaculo Ierosolymitano quum Petrus in medio fratrum disseruisset de necessitate eligendi deficientem Apostolum in locum Iudae proditoris, unanimi sententia deliberarunt propositam electionem esse faciendam, cuius sors, sive signo coelesti, sive Apostolorum eligentium suffragiis, super Mathiam cecidit (2). II., diaconorum electionem, ordinationemque decreverunt Ierosolymis pro murmure Graecorum adversus Hebraeos sedando, quod in ministerio quotidiano despicerentur eorum viduae: cumque duodecim Apostoli multitudinem discipulorum convocassent, edixerunt aequum non esse semetipsos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis; sed placuit coram omni multitudine eligere, et constituere super illud opus septem viros (3). III., gravissima controversia inter Antiochenos fideles exorta, an baptizatos oporteret circumcidere, aliasque mosaycae Legis caeremonias servare, ad concilium Apostolorum Ierosolymis coactum delata est: in eoque, prolatis palam suffragiis SS. Petri, et Iacobi, placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia *non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, ad ferendum legis mosaycae iugum, sed scribere ad eos, ut abstinerent se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine* (4). IV. Ingressi ad Iacobum collectique simul omnes Apostoli cum senioribus dixerunt Paulo, ut una cum quatuor viris legem purificationis expleret, ut scirent omnes Iudaei, quod ambularet, et ipse custodiens legem Moysis: et qui ante re-

(1) S. August. in *can. illa autem 11. dist. 12.*

(2) Actor. *cap. 1. vers. 16. et seqq.*

(3) Ibidem *cap. 6.* Non ad profanarum, et vulgarium, sed potissimum ad sacrae Eucharisticae mensae ministerium institutos diaconos, pluribus ostendit Nat. Alexander in *hist. saec. 1. diss. 7. to. 5.* edit Neap.

(4) Actor. *cap. 15.* In hoc Apostolorum concilio obiter animadvertenda *praesidentia* primum, et apertura B. Petri: deinde *votum* eiusdem Principis Apostolorum, non minus, quam S. Iacobi expressum, probatumque sacris Scripturis: tum *definitio* Concilii ostendens divinam auctoritatem ex oraculo Spiritus Sancti in communi Patrum sensu: ad extremum *canones* Fidei *immobiles* de abogratis caeremoniis, et praeceptis Legis Mosaycae, ac damnata fornicatione: necnon canones *mobiles*, ecclesiasticae disciplinae quod ad abstinentiam a sanguine, et carnibus suffocatorum, qui iamdiu in desuetudinem abivere. Chrysostomus *hom. 32. in Acta Ap.* eam rem gestam expendens ait: *hinc Petri* voces *excepit Iacobus, ceterique deinceps unanimi voto* dogma *definiunt, et* legislationem *suscipiunt.*

stiterat Cephae simulanti coram circuncisis observantiam illius legis, cessit necessitati, purificatusque cum aliis viris intravit in templum (1).

III. Ab institutione divina, et apostolica originem, auctoritatem, usum conciliorum in Ecclesia promanasse ecquis negaverit? Episcopi Apostolorum vestigia persequentes, nonnisi praevio consilio gesserunt omnia fere ecclesiastica negotia prioribus saeculis, ne ab acceptis canonibus, recta ratione, Deique voluntate deflecterent: nam sapientia Dei habitat in consilio; quique mittat vocem pro veritate, in synodico consessu non deficere, plerosque item aberrantes ad eam complectendam revocari saepius docet experientia. Propterea sine concilio Ecclesia magis, quam civitas sine senatu, quod Tullius dixit (2), stare non potuisse videtur.

IV. Non una tamen, eademque est omnium conciliorum auctoritas, sed diversa ex diversis eorum generibus. Sunt enim concilia vel *generalia*, seu oecumenica, vel *nationalia*, vel *provincialia*, vel *dioecesana*, vel *mixta*, vel *regia*. De quibus sigillatim in *seqq. cap.*

CAP. I.

De generalibus Conciliis.

V. *Generale* concilium cunctas generatim Ecclesias, populosque fideles obligans dicitur, quod auctoritate summi Pontificis, accitis Episcopis totius terrarum orbis congregatur, celebraturque ad dogmata Fidei definienda, corruptosque christianorum mores ubique gentium reformandos. Idipsum nuncupat *plenarium* S. Augustinus (3), Graeci *oecumenicum*.

VI. Quod generalium synodorum convocandarum auctoritas Apostolicae Sedi B. Petri sit divino iure tradita, nec debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari, luculenter comprobat Gratianus (4). Non enim concilium, sed conventiculum, et conciliabulum est, quod sine Apostolicae Sedis auctoritate celebratur (5). Hanc auctoritatem tribus potissimum praerogativis constare innuit Petrus de Marca (6): *praesidentia* in consessu, *rogatione* sententiae, seu iure relationis, et *praesentia*, aut personali, aut per Legatos, vel ratihabitione, ut synodus

(1) Ibidem *cap. 21. vers. 18, et seqq.*

Recensitis Apostolorum Conciliis nonnulli cum Turriano addunt *Antiochenum*, cuius novem canones Turrianus ex codice ms. Pamphyli martyris accepisse tradit. Illud tamen eruditi apocryphum habent, quum nulla de eo mentio fiat a veteribus scriptoribus, pluraque in eo contineantur absurda, quae repugnant apertissime divino Apostolorum sensui, ac disciplinae nascentis Ecclesiae.

(2) *Orat. 32.* pro P. Sextio.

(3) *Lib. 2.* de baptismo contra Donatistas *cap. 3.*

(4) *Dist. 17.* Quod ipsissimis verbis rescriptis Pelagius II. *ep. 8.* ad Patres synodi Constantinopolitanae a Ioanne Patriarcha congregatae, nemine illorum reclamante. Idem sibi ius vindicavit S. Gregorius VII., sive Auctor dictati, seu collectionis articulorum, quae vulgo tribuitur S. Greg. VII. Socrates *lib. 2. hist. eccl. cap.* 8, synodo Antiochenae hoc inter cetera vitio vertit, quod ei Iulius Romanae urbis Episcopus non interfuisset.

(5) *Can. multis 5. dist, 17.* — (6) *De concordia lib. 5. cap. 7. n. 1.*

oecumenica possit legitime, et canonice congregari. Quibus addenda est *indictio*, seu convocatio.

VII. Ad priora concilia in oriente celebrata convocatos universi orbis Episcopos a christianis Imperatoribus fuisse ostendunt historiae monimenta, ipsaque acta conciliorum: at nonnisi assentientibus, vel auctoribus summis Pontificibus, quod inferius ostendam. OEcumenica tamen omnia in occidente habita Romani Pontifices ipsi procul dubio indixerunt, et convocaruut.

VIII. Ad solos Episcopos, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei (1), pertinuisse ius suffragandi, tanquam iudices, ex usu priscorum conciliorum constat, sententiaque SS. Patrum (2). Post elatam vero Cardinalium S. R. E. dignitatem novo ecclesiastico iure datam esse Cardinalibus omnibus episcopali etiam charactere carentibus praerogativam suffragii, et subscriptionis, una et sedis supra Episcopos in conciliis Lugdunensibus I, et II, Florentino, ceterisque recentioribus, exploratissima res est ex eorundem conciliorum actis. Tum Abbates, et Generales ordinum regularium superiores ob adeptam administrationem, iurisdictionemque quasi episcopalem in subiectos vocem definitivam post Episcopos quoque obtinuerunt (3): secus quam vetustis temporibus servatum fuerat. Nam perinde Abbates, ac Doctores Canonistas, et Theologos interfuisse conciliis oecumenicis, tanquam meros consiliarios, aut honorabiles spectatores, nequaquam ut iudices, in dubium est ex diversis subscriptionum formulis. Episcopi hanc usurpare plane consueverunt. N. *Episcopus iudicans subscripsi.* Verbum *iudicans* quum Abbates omittebant, tum Doctores ceteri. Qui etiam ex his procuratores forent Episcoporum absentium, ii ad suffragium vice principalium ferendum admissi sunt, non tamen decisivum (4).

IX. Quod ad ordinem sedendi, ac subscribendi, primus Pontifici maximo, si adsit, aut Legatis apostolicis vices Papae absentis gerentibus debetur: deinde Cardinales, Patriarchae, Primates, tum Archiepisco-

(1) Actor. *cap. 2. vers. 28.*

(2) Cyprian. *ep. ad Iubaianum.* Hilar. *lib. de synodis*, Ambros. *ep. 31.*, Hieron. *ep. ad solitariam vitam agentes*, Card. Turrecrem. *sum. eccles. lib. 3. cap. 63, et 64*, Bellarm. *lib. 1. de concil, cap. 18. Nefas est enim* (scribebat Theodosius iunior in ep. ad Ephesinam Synodum), *qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis, et consultationibus sese immiscere.* Ex episcopali iure suffragii cave ne inferas (monet summus Papa Bened. XIV. *lib. 8. de syn. dioec. cap. 2.*) Romanum Pontificem teneri maiorem partem iudicum synodicorum sequi: nam Petro soli supremam tribuit Christus Dominus potestatem confirmandi fratres suos, scilicet revocandi ad veram Fidem deflectentes ab ea, sive plures, sive pauciores, *Lucae 22*, ibi: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Idque comprobat epistola Damasi Papae ad Episcopos per Illyricum constitutos contra Synodum Ariminensem apud Petrum Constant. *to. 1. col. 486*, et Synodo Florentina. Id ipsum collimat ad tuendam summi Pontificis auctoritatem supra concilium oecumenicum, cui adversantur Galli. Eorum argumenta inferius refellam *tit. de summo Pontifice.*

(3) Bened. XIV. *in tr. de synod. dioec. lib. 8. cap. 2. num. 5.*

(4) Ibidem *num. 3. in fine.*

pi, Episcopi, tandem Abbates, Doctores legum, ac Theologi gradatim succedunt. Ceteris paribus ille alterum fere praecedit, qui ad eamdem dignitatem ante promotus est (1). Procuratores in orientalibus conciliis locum ipsum, quem occupassent Episcopi, et Patres absentes, si adfuissent, habuere: in occidentalibus tamen postremum post Episcopos.

X. Imperatores quoque, ac Reges, nonnullique Principes supremi aliquando per semetipsos, saepius per legatos, oratoresque suos adfuere conciliis oecumenicis, permagno Ecclesiae, reique publicae bono, et plaudentibus Patribus. *Expedit* enim, *quod Reges, et Principes mittantur ad generalia concilia non ad onerandum, et confundendum, sed ad honorandam, et confortandam Ecclesiam, et ad ea, quae ibi decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum*, aiebat Cardinalis Petrus de Alliaco (2). Tametsi nec maiorem vim decretis Fidei, et dogmatibus ecclesiasticis eorum praesentia confert, nec vigorem detrahit absentia.

XI. Auctoritatem concilii generalis a Christo immediate prodivisse, eamque infallibilem in definiendis Fidei dogmatibus esse, catholici sententia unanimi profitentur, pluribus sacrae Scripturae oraculis edocti. Specialem sane adsistentiam suam, et Spiritus Sancti praesentiam Christus Servator promisit Apostolis in unum congregatis, inquiens (3): *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (4). *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Cumque Apostoli in concilio hierosolymitano quaestionem de legalibus caeremoniis definirent, sententiam synodicam a Spiritu Sancto dictatam protulerunt dicentes (5): *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Quod vero ad controversias factorum, moresque fidelium, saepe concilia priora emendari a posterioribus, scripsit Augustinus (6): quum aliquo scilicet experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. Ideo ubi discors invenitur sententia in gestis conciliorum, illius concilii magis teneri sententia debet, cuius aut antiquior, aut potior sit auctoritas (7). Maximam sane auctoritatem, ac vim habent decreta conciliorum generalium de iis etiam rebus, quae ad disciplinam Ecclesiae, ac reformationem morum pertinent. Et quamvis salva sit Sedi Apostolicae Romanae suprema potestas eis derogandi, seu dispensandi: ea tamen numquam praesumitur sine speciali mentione velle statutis conciliorum generalium derogare, nec quidpiam contra ea indulgere (8).

XII. Quot numero sint concilia oecumenica, dubia res adhuc est, nec definitu facilis. Alia enim potius appendices habita sunt, quam diversa concilia, alia haereticorum, et schismaticorum fraude corrupta, et ementita; alia rite inchoata deflexerunt in conciliabula, alia partim probata, partim reiecta supremo Sedis Apostolicae iudicio. In tanta ambiguitate

(1) *Can. fin. dist. 17. cap. 1. 15, 16. de maior. et obed.*
(2) In tract. *de reform. Eccl.*
(3) Matthaei *cap. 18:* — (4) Ioannis *cap. 14.*
(5) Actor. *cap. 15.* — (6) *Lib. 2. de baptism. contra Donatistas cap. 3.*
(7) Isidorus in *can. Domino 28. in fin. dist. 50*, et Innocentius III. *in ep. 124 ad Compostellanum, et Bracarensem Episcopum lib. 2.*
(8) Honor. III, in *cap. ex parte tua 3. de capell. monach.*

operae praetium est discernere priora octo graeca in orientalibus Ecclesiis celebrata, quae inscriptionem ordinis numeralis habent, quum in exemplaribus Vaticanae bibliothecae, tum in vulgatis collectionibus. Mox posteriora tredecim latina in occidentalibus partibus post graecorum schisma pertinacissimum coacta usque ad Tridentinum.

XIII. Primum concilium generale *Nicoenum* I. Niceae Bythiniae metropoli habitum est anno aerae Christianae 325. Silvestri Papae 12. Constantini Imperatoris 20. Indictum, convocatumque fuit a Constantino M. ex Papae sententia (1). Praefuerunt tres Legati Sedis Apostolicae, Osius Cordubensis Episcopus, Vitus, et Vincentius Romani presbyteri (2), intervenientibus Episcopis CCCXVIII., una cum Constantino, qui plaudentibus Patribus in deaurata sede consedit. Profligavit haeresim Arii presbyteri Alexandrini divinam Filii Dei naturam abnegantis, definiens Filium Dei ομοσιον, seu consubstantialem Patri, istamque vocem symbolo Fidei supraddidit. Arium ipsum praesentem, auditum, convictum, pertinacem anathemate damnavit una cum sectariis. Meletium Lycopolitanum in Ægypto Episcopum, qui schisma fecerat contra Petrum Archiepiscopum Alexandrinum, clementius compressit. Festum Paschatis Dominica proxima post lunam 14. Martii celebrandum ab omnibus Ecclesiis sanxit, reprobato Iudaeorum more, quos Quartadecimani imitabantur. Tandem viginti canones edixit ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes.

XIV. Secundum Concilium, *Constantinopolitanum* I, anno 381. acceptis a Damaso Papa litteris convocavit Theodosius I. Imperator (3).

(1) Constantinus M. quod *ex sacerdotum sententia* (quorum praecipua fuit sanctissimi Papae Silvestri) apud urbem Nicaeam episcopale concilium convocaverit contra Arium, diserte narrat Rufinus *lib. 5. hist. eccl. cap. 1.* Perperam Launoius *epist. par. 6. in ep. ad Ludovicum Habertum Mommorium* opinatur signatis Rufini verbis non indicari *sententia* Romani Pontificis, sed Alexandri Episcopi Alexandrini Constantinum hortatum fuisse ad congregandam synodum. Eumque refellit N. Alexander in *hist. saec. 4. diss. 11. art. un. obiect. 1.* Sexta Synodus oecumenica Silvestrum una cum Constantino convocasse Nicaenos Patres, manifestius tradit *act. 18. in sermone prosphonetico*, seu acclamatorio, ibi: *Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis magnam, atque insignem in Nicaena synodum congregabant.*

(2) Id tradunt ex Eusebio *lib. 3. de vita Constantini*, Iulius I. *ep. ad Synod. Antioch.* S. Athanasius *apol. 2.* Gelasius Cyzicenus *lib. 2. hist. conc. Nic. cap. 5.* et Photius *cod. 88.* Socrates *lib. 1. cap. 9.* Theodoretus *lib. 1. hist. cap. 6.* ceteri, quorum testimoniis refellitur Launoius *ep. ad Raymundum Formentinum*, asserens duos presbyteros Romanos Vitum, et Vincentium adfuisse, non praefuisse Nicaeno concilio.

(3) Patres ipsi Constantinopolitani contestantur se Constantinopolim convenisse ob litteras Damasi Papae ad Imp. Theodosium datas, convocatosque a Papa fuisse *per religiosissimi Imperatoris litteras*, in *ep. synodica* ad Damasum apud Theodoret. *lib. 5. hist. cap. 9*, ibi: *Concilio Romae coacto nos etiam pro fraterna erga nos charitate vestra, tanquam membra propria per religiosissimi Imperatoris litteras evocastis . . . . Constantinopolim convenimus, propterea quod mandato litterarum superiore anno a vestra reverentia post concilium Aquileiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus, atque de hoc uno concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis manserant, una nobiscum attulimus.*

Nec Romanus Pontifex, neque pro eo aliquis pontificiae Sedis legatus praefuit, quoniam Damasus aliud concilium Romae tunc quoque temporis indixit, et cum occidentalibus tantum Episcopis celebravit: quum plura impedimento fuissent, quominus orientales ad Romanum concilium vocati, postquam convenerant Constantinopolim, longius iter aggrederentur. Ob id orientales duntaxat Episcopi CL. in civitate Constantinopolitana novas haereses anathematizandi studio, in primis ratam habuerunt fidem in Nicaena synodo probatam: deinde execrati sunt *Eunomianos* ab Eunomio haeresiarcha dictos, sive *Anomaeos*, hoc est dissimiles, et *Arianos*, sive *Eudoxianos* Arii, et Eudoxii sectarios, blasphemantes Dei Filium Patri omnino dissimilem. Insuper *Semiarianos*, sive *Pneumatomachos* (duce *Macedonio* de Constantinopolitana Sede, quam invaserat, dejecto) pugnantes contra divinitatem Spiritus Sancti, *Sabellianos* etiam cum Marcellianis, somniantes unam Dei personam sub tribus nominibus, atque *Apollinaristas* negantes in Christo animam, et mentientes divinitatem vice animae corpus informasse (1). Tum symbolo Fidei Nicaenae hunc articulum inseruere. *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio adorandum, et conglorificandum.* Tres deinde canones disciplinae constituerunt. Ad extremum epistola synodica Damasum rogant, *uti congratuletur de rebus decretis, tanquam legitime, et secundum Ecclesiae canones constitutis.* Damasus autem definita contra haereses tantum adprobasse fertur (2), disciplinae canones secus. Ideoque secundum inter oecumenica locum huic concilio paravit Romani Pontificis et ratihabitio, et indictio.

XV. Tertium Concilium *Ephesinum*, postulante (3) Cyrillo Alexandrino Sedis Apostolicae legato in causa Nestorii indixit Theodosius junior litteris ad Coelestinum Papam, Cyrillum, aliosque maiorum Sedium Praesules datis. Prioribus duabus actionibus anno 431. praesedit Cyrillus Romani Pontificis Coelestini vices agens (4), tum sequentibus

(1) Sectarios hos omnes exhibet canon I. concilii Constantinopolitani.

(2) S. Gregorius *lib. 6. ep. 125. Canones quidem* (ait) *Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnat, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem synodum accepit. . . . . quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero haereses, quae illic memoratae sunt, ab aliis iam Patribus damnatas reprobat.* Theodoretus *lib. 2. hist. eccles. cap. 22.* excribit epistolam Damasi Papae ad Episcopos Illyrici ex synodo Romana, qua *Spiritum Sanctum unam, eandemque cum Patre, et Filio substantiam, et subsistentiam habere* pronunciatur. Idemque *lib. 5. cap. 11*, aliam epistolam Damasi ex altera synodo Romana contra Apollinaristas datam ad Paulinum Episcopum Antiochenum, exhibet, qua speciatim anathematizantur *Macedoniani, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt, sed nomen.* Rursus *si quis non dixerit Patris, et Filii, et Spiritus S. unam divinitatem, potestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem, ac veritatem, anathema sit . . . suis non dixerit Spiritum Sanctum adorandum ab omni creatura, sicut et Filium, et Patrem, anathema sit.*

(3) Evagrius *lib. 1. cap. 3.* testatur S. Cyrillum Alexandrinum Theodosio Imperatori institisse, ut synodum oecumenicam congregaret.

(4) Quod ex actis eiusdem concilii Ephesini *1. act. 1.* liquet Coelestinum

actionibus praesedere tres apostolici Legati, Arcadius, et Proiectus Episcopi, et Philippus presbyter Romanus (1), Ephesum Asiae proconsularis metropolim a prudentissimo Papa missi e gremio Ecclesiae occidentalis. Adfuere CCLXIX. Episcopi. Anathemate perculsus est Nestorius ex Antiocheno presbytero Constantinopolitanus Episcopus, quia nefaria heresi blasphemabat beatissimam Virginem non fuisse Deiparam θεοτοκον, sed ανθροποτοκον, et Christum in eius utero formatum esse merum hominem a Filio Dei Unigenito diversum, nec esse Deum, sed templum Dei, in quo inhabitaret Verbum Deus. Definitum est in Christo Servatore unam personam, seu hypostasim in duabus naturis consistere, eiusque Matrem reapse Deiparam fuisse, iuxta duodecim anathematismos, seu Fidei articulos a S. Cyrillo editos. Disciplinae canones octo constituti, quos ad universalem Ecclesiae oeconomiam non pertinentes latinus codex canonum non habet.

XVI. Quartum Concilium *Chalcedonense* suadente, ac consentiente S. Leone M. Nicaeae primum indixit Marcianus Augustus, deinde transtulit Chalcedonem, Constantinopolitanae urbi viciniorem (2). Convenerunt Episcopi DCXXX. anno 451.. praesidentibus Romanae Sedis legatis quatuor, scilicet Paschasino Lilybaeo, et Lucentio Asculano Episcopis, Bonifacio, et Basilio presbyteris, quibus Iulianum Coensem Episcopum adiunxit Leo participem consiliorum (3). Actione sexta adfuit Marcianus laetis Patrum adclamationibus acceptus, qui oratione Christiano Principe digna dixit se *ad Fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam exemplo Constantini ad synodum venisse.* Tum tria disciplinae capitula Patribus statuenda proposuit, *decorum esse* iudicans ea *regulariter potius firmari per synodum, quam* sua *lege sanciri.* Damnatus est potissimum *Eutyches* archimandrita, seu abbas monasterii Con-

sane suae Sedis Apostolicae vices Cyrillo commisisse contra Nestorium ab ipso Coelestino iam damnatum, ostendunt binae Coelestini litterae, scilicet ad Cyrillum, et Clerum Constantinopolitanum datae, in iisdem actis, et consona scriptorum testimonia.

(1) Hosce legatos praesentiam, praesidentiamque Coelestini supplevisse ab *act. 3.* concilii Ephesini usque ad finem, palam est ex duabus Coelestini epistolis : quarum altera ad Ephesinam Synodum, ibi : *direximus pro nostra solicitudine sanctos fratres, et consacerdotes nostros .... Arcadium, et Proiectum Episcopos, et Philippum presbyterum nostrum, qui iis, quae aguntur, intersint, et quae a nobis antea statuta sunt, exequantur.* Haec postrema verba satis indicant vices pontificias in causa Nestorii S. Cyrillo tacite ademptas, translatasque ad memoratos duos Episcopos occidentales, et presyterum Romanum. Ad Theodosium Imp. altera Coelestiniana epistola haec habet. *Huic synodo, quam esse iussistis, nostram praesentiam in his, quos misimus, exhibemus.* Idipsum luculentissime comprobant interlocutiones eorundem legatorum, alibique passim acta ipsius Ephesinae synodi.

(2) Mutuae litterae S. Leonis Papae ad Marcianum, et Pulcheriam AA. et utriusque ad S. Leonem, quas legere est in actis concilii Chalcedonensis, commonstrant imperialem huius concilii convocationem, ac translationem propria sanctissimi Papae auctoritate factam.

(3) Hoc etiam ex gestis Concilii patet, et epistolis S. Leonis 71. ad Iulianum Coensem, 47. ad synodum Chalcedonensem, 43, ad Marcianum Aug. quas ex editione Quesnelli laudat N. Alexander in *hist. saec. quinti dissert. II. qu. 2.*

stantinopolitani, qui contra nestorianam haeresim pro Fide quum acerrime pugnasset, in contrarium errorem transiliit miserrime, negando duas in Christo naturas consistere, quum assereret Christum esse quidem ex duabus naturis, sed non in duabus, idest duas fuisse ante Incarnationem naturas, unicam postea: ideoque Christum hominibus non consubstantialem. Damnati etiam Dioscorus Alexandrinus, aliique Episcopi auctores synodi latrocinalis Ephesinae, et contra in Sedem suam restitutus Ibas Edessenus, rescissis pseudo synodi Ephesinae actis omnibus. Canones viginti septem denique a Patribus Chalcedonensibus editos recepit Ecclesia Romana, secus canonem 27. de Sedis Constantinopolitanae iuribus patriarchicis immediate post Romanam Sedem collatis.

XVII. Quintum (1) inter oecumenica numeratur *Constantinopolitanum II.* Iustinianus Imperator Vigilio Papa Constantinopolim Chalcedone vix regresso, Episcopos convenire iussit in regiam urbem ad quaestionem synodice discutiendam *de tribus capitulis* a Vigilio ante iam damnatis: scilicet 1, de libris Mopsuesteni Episcopi, qui Nestorii fuerat magister. 2, de epistola Ibae Edesseni ad Marim Persam, quae S. Cyrillum iniuriis, Theodorum Mopsuestenum laudibus afficiebat. 3, de commentario Theodoriti Cyrensis contra S. Cyrilli anathematismos conscripto. Quum Romanus Pontifex rogatus ad praesidendum adesse Concilio renuisset, Episcopi CLXV. una congregati praeside Eutychio Patriarcha Constantinopolitano condemnarunt tria modo dicta capitula, simul et Theodori Mopsuesteni, eiusque defensorum personas; Theodoreti, et Ibae non item, sed solummodo scripta eorum. Origenem praeterea, impiosque illius discipulos Didymum, et Evagrium fabulantes de anima Christi ante Incarnationem Verbo Dei coniuncta, de doemonum perinde, ac hominum redemptione, poenaque temporarie execrati sunt. Nullum vero disciplinae canonem constituerunt. Eodem exeunte anno 553, istud concilium subscriptione tandem sua confirmavit Vigilius.

XVIII. Sextum, *Constatinopolitanum III.* Constantinus Pogonatus, datis ad Domnum Papam litteris, postulantibus legatis Sedis Apostolicae, coegit. Agatho Domni successor tres misit Legatos, Theodorum, et Georgium presbyteros, et Ioannem diaconum, qui Synodo praefuerunt (2) celebratae in trullo palatii Constantinopolitani anno 680; et 681., ab Episcopis

(1) De quatuor prioribus conciliis oecumenicis ita S. Gregorius M. *ep.* 24. *in can.* 2. *dist.* 15. *Sicut S. Evangelii quatuor libros*, ait, *sic quatuor concilia suscipere, et venerari fatemur.* Et Iustinianus *Nov.* 131. §. 1. *Sancimus* (ait) *vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt, aut firmatae . . . quorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, et regulas sicut leges observamus.*

(2) Praesidentiam Legatorum vices agentium S. Agathonis conscriptam habent acta Synodi VI. *act.* 1, 17, et alibi passim: dictus etiam est praesedisse Imperator Constantinus in undecim prioribus Actionibus, et in ep. Leonis II. ad Constantinum. At Imperator ipse professus est, se uti Ecclesiae defensorem, non uti iudicem praefuisse, illis verbis: *Neque cum illis tanquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis: et prout statuerint Pontifices, exequar.* Post omnes idcirco Episcopos ita subscripsit: *Constantinus in Christo Deo Rex, et Imperator Romanorum legimus, et consensimus.*

CCLXXXIX; interveniente Constantino Imperatore Concilium anathemate contrivit *monothelitas* haereticos unam in Christo voluntatem, et deivirilem operationem impie asserentes, qui Heraclio imperante, ac favente (1) emerserant, nullosque condidit canones disciplinae. Edicto suo rogantibus Patribus decreta concilii corroboravit Imperator piissimus. Patres synodica epistola petierunt ab Agathone, ut suo ea confirmaret honorabili rescripto. Eoque interim defuncto, Leo II. litteris apostolicis sextam hanc synodum comprobavit.

XIX. Septimum, *Nicaenum II.* Cum erupissent ex inferis Leone Isauro Imperatore *iconoclastae,* seu sacrarum imaginum destructores, Hadrianus I. Pontifex litteris imperialibus Constantini, et Irenis AA. nec non Tarasii Patriarchae Constantinopolitani rogatus Legatos suos Constantinopolim direxit celebraturos concilium oecumenicum, Petrum archipresbyterum,et Petrum Abbatem. Iconomachorum seditio militum causa fuit, ut Nicaeam synodus iam congregata, Constantinopoli transferretur. Quae anno 787. Patribus 350., et amplius constans diris devovit iconomachos, perfida Iudaeorum, Marcionistarum, Manichaeorum germina, simul rescidit conciliabulum Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo habitum, et docuit ex traditione apostolica sacris imaginibus ad prototyporum memoriam tribui cultum debere, ad orationem honorarium, non tamen veram latriam soli Deo, et Naturae divinae debitam. Tandem canones XXII. tulit ad reformationem collapsae disciplinae.

XX. Octavum, *Constantinopolitanum IV.* demandante Hadriano II. habitum est anno 869. usque ad Febr. anni sequentis ab Episcopis CII. per litteras Basilii Macedonis Imperatoris collectis, praesidentibus Donato Ostiensi, et Stephano Nepesino Episcopis, et Marino diacono Legatis Sedis Apostolicae. Schismaticum Photium Constantinopolitanae Sedis invasorem confodit anathemate, et Ignatium Patriarcham iniuria deturbatum in eam ipsam restituit. Viginti septem canones edidit.

XXI. Octo Concilia, quae modo recensui, sequuturos, et praedicaturos iurabant olim Pontifices in professione Fidei (2). Iis deinde accesserunt plura in occidentalibus regionibus coacta concilia item generalia, ex quorum prioribus septem Corpus Iuris Canonici plurimos habet excerptos canones.

XXII. *Lateranense I.* Romae in basilica Lateranensi, seu Constantiniana anno 1123. celebratum indixit Callixtus II, solus convocavit, praeseditque CCC. et amplius Episcopis. Pax inter Sacerdotium, et Imperium feliciter in eo confirmata est. Auditis enim Henrici III. Imperatoris Legatis investiturae episcopatuum, et abbatiarum per annulum, et virgam, quas Imperator usurpaverat, aboletae fuerunt, et electiones canonicae in integrum eo pacto restitutae, ut fieri deberent coram Imperatore,

(1) Infamem *ectesim*, puta edictum Heraclius promulgavit, suadente Sergio Patriarcha Constantinop. monothelitarum duce, quo sanxit perfide, ne quis *unam vel duas diceret operationes in divina Domini Incarnatione* . . . . at *unam voluntatem Domini nostri I. C.* confiteri is non dubitavit, Martin. *in secretario III.* Conc. Lateranen.

(2) *Can. sancta octo 8. dist. 16,* ex libro diurno Roman. Pontif.

concessuro electis per sceptrum regalia. Promotae quoque sunt indulgentiis sacrae expeditiones contra infideles in Hierosolymam, et Hispaniam, et canones constituti.

XXIII. *Lateranense II.* anno 1139, accitis undique Episcoporum ferme millibus habuit Innocentius II. Conclamatum est schisma Petri Leonis antipapae sub nomine Anacleti. Petrobusianos a Petro de Bruis, et Arnaldistas ab Arnaldo de Brixia dictos, qui Sacramentum Altaris, Baptisma puerorum, Sacerdotium, et ceteros ecclesiasticos ordines, et nuptiarum foedera nefarie deridebant; praeterea nec proprietatem a clericis, nec praedia a monachis sine peccato haberi posse aiebant, ab Ecclesia expulit concilium, ac profligavit. Denique 30. canones ad coercendos praesertim criminosos clericos sanxit.

XXIV. *Lateranense III.* anno 1179. habitum ab Alexandro III. cum Episcopis CCCX una congregatis, postquam Fridericus I, schisma eiurasset, rescidit acta omnia, irritasque pronunciavit ordinationes trium pseudo Pontificum *Octaviani*, a schismaticis nuncupati *Victoris IV.*, *Guidonis* Cremensis, quem dixerunt *Paschalem III.*, et *Ioannis* Strumensis abbatis sub nomine *Callisti III.* Romanum Pontificem nonnisi duarum ex Cardinalibus partium suffragiis concordibus eligendum decrevit. *Valdenses* de Pontificis Romani decretis, de potestate consecrandi, et absolvendi laicis iustis attributa, et sacerdotibus iniustis adempta, de Coena Eucharistica, de consecrando pane, ac vino per orationem dominicam, de indulgentiis, Purgatorio, et invocatione Sanctorum pessime sentientes gladio spirituali confixit. Itemque *Albigenses*, sive *Catharos*, *et Patarenos*, quorum errores multiplices late grassabantur de creatione mundi daemoniaca, metempsychosi, inutili parvulorum baptismate, vetito lacticiniorum usu, et contemptu Sacramentorum omnium, et Scripturarum. Postremo canones XXVII. condidit ad reformationem, sparsim relatos in textum Gregorii IX, in quo *concilium Lateranense* simpliciter sine adiectione numeri idipsum laudatur.

XXV. *Lateranense IV.* anno 1215. Innocentius III, convenientibus 428. Episcopis praeter 80. abbates, ac doctores celebravit. Sancitum foedus Principum christianorum contra Saracenos ad Palaestinam recuperandam. Dogmata unius Dei Creatoris, transubstantiationis eucharisticae, baptismi infantibus proficui, et salutis coniugatorum confirmata contra Albigensium haeresim iterum damnatam de duobus supremis rerum principiis, ceterisque insaniis. Proscripti errores Almarici Carnotensis diacono circa Eucharistiae panem, scripta Patrum, resurrectionem, paradisum, infernum, Ecclesiae caeremonias, opera omnia in charitate licita. Tum libellus Ioachimi abbatis Cisterciensis contra Petrum Lombardum de unitate, sive essentia Trinitatis nec generante, nec genita. Canones 69. constituti.

XXVI. *Lugdunense* in Gallia celebratum anno 1243. indixit Innocentius IV., datis convocationis litteris quum ad Episcopos universos, tum ad Principes christianos. Pontifex ipse praefuit, considentibus Cardinalibus tunc rubro pileo insignitis, tribus Patriarchis Constantinopolitano, Antiocheno, et Aquileiensi, et Episcopis CXL. Adfuere item Balduinus Imperator Constantinopolitanus, Comes Tolosanus, Thaddaeus de Suessa

Friderici II. Imperatoris orator, una cum aliis S. Ludovici IX, Regis Galliae, ceterorumque Principum oratoribus. Synodico anathemate tertium perculsus est Fridericus II. Imperator, quem Gregorius IX. ob enormia facinora semel, et iterum excommunicaverat. Plura deinde constituta decreta de iudiciorum, rerumque fori ecclesiastici reformatione, quae sparsim leguntur in Sexto Decretalium.

XXVII. *Lugdunense II.* indictum a Gregorio X. ad Graecam cum Latina Ecclesia potissimum uniendam, Terraequae Sanctae recuperationem, eoque praesidente celebratum anno 1274 cum DCC; et ultra Episcopis, decimas omnium proventuum ecclesiasticorum ad sex annos pro bello sacro Hierosolymitano primum imperavit. Deinde oratoribus Michaelis Palaeologi graecorum Imperatoris, auditis schisma eiurantibus, et Romanam Fidem profitentibus, litterisque graecorum Praesulum consonantibus perlectis (1) declaravit, *quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre, et Filio non tamquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit.* Constitutiones deinde 30, seu capita reformationis condidit, exscripta passim, et collaudata in Sexto Decretalium.

XXVIII. *Viennense* concilium anno 1311. Viennae Allobrogum habuit cum Cardinalibus, duobus Patriarchis latini ritus Alexandrino, et Antiocheno, et Episcopis CCC, Clemens V. In quo abolitus ordo Templariorum, eorumque bona equitibus S. Io. Hierosolymitani addicta. Profligati errores Petri Ioannis Olivi de latere Christi adhuc viventis lancea perfossi, de anima rationali corpus non informante, de habitu Fidei, ac virtutum parvulis baptizatis non infuso. Tum etiam deliramentis Begardorum, et Beguinarum proscriptis, definita Fidei dogmata de prohibita fornicatione, deque hominibus in statu perfectionis a legum observantia nullatenus exemptis. Execrata insuper libido sacrilega Fraticellorum, et Dulcinistarum. Turpissima nota haeresis inusta negantibus usuram esse peccatum: vindicata a calumniis memoria Bonifacii VIII. Plurimae tandem constitutiones ad reformandam exteriorem disciplinam conditae, quas textus Clementinarum complectitur.

Tria, quae sequuntur concilia saeculi XV., *Pisanum*, *Constantiense*, et *Basileense*, an inter oecumenica sint, necne connumeranda, iuremerito dubitatur.

XXIX. *Pisanum* Concilium anno 1409. indictum est unanimi consensu a Cardinalibus tam obedientibus legitimo Papae Gregorio XII., quam aliis obedientibus pseudo Pontifici Benedicto XIII., seu Petro de Luna, praesidente Decano Cardinale Pictaviensi, et considentibus XXII. Cardinalibus, quatuor Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis CII., ultra pluri-

(1) Graecis oratoribus Constantinopolim regressis post synodum Lugdunensem II. Michael Imperator unionem exequi, ac tueri maximopere studuit. Deiecto Iosepho Patriarcha ob perfidam in schismate pertinaciam, synodus Constantinopoli habita est a graecis Episcopis praeside Ioanne Vecco Patriarcha nuper electo, quae Primatum Romani Pontificis in Ecclesia universa profitendo doctrinam PP. Lugdunensium amplexa est, litterasque synodicas de unione gratulatorias dedit ad Summum Pontificem, N. Alexand. *in hist. saec. XIII. dissert. 7. art. 2.*

mos absentium procuratores, et abbates, et oratores Principum, litteris synodicis primum convocati ad indictum concilium fuere ambo Papatus competitores pro extinguendo schismate, et pace Ecclesiae reddenda: tametsi Gregorius XII. Aquileiae, Petrus de Luna Perpiniani eodem tempore concilia sua, et ipsi convocassent. Tum iis adire Pisas reluctantibus decretum est potestatem convocandi concilium generale ad Cardinales utriusque obedientiae devolutam. Statisque diebus decursis contumaces in causa schismatis declarati ambo sunt, mox in eos tamquam notiores schismaticos, et periuros lata sententia depositionis: quam in rem iudicatam transacta electus est concordibus XXIV. Cardinalium suffragiis in Summum Pontificem Alexander V. Cardinalis Bellarminus (1) Pisanum concilium *nec adprobatum*, *nec reprobatum* fuisse scribit. S. Antoninus (2) *conciliabulum* appellat: quum non esset auctoritate Pontificis congregatum, nec abstulisset schisma, sed auxisset, *tribus iam se* (ait) *pro Papa gerentibus*.

XXX. *Constantiense* concilium in Germaniae, Helvetiaeque finibus indixit Ioannes XXIII. Alexandri successor, et rite inchoavit ipse praesidens die 5. Novembris 1414. Cumque iurasset sess. 22., se Papatu sponte abdicaturum, si et Petrus de Luna, et Angelus Corarius, seu Gregorius XII. etiam cessissent, vel decessissent, aut quovis alio casu cessio sua unionem Ecclesiae dare potuisset: Schaffusiam Constantia clam paucos post dies secessit, pollicitam elusurus cessionem. Celeberrimus Io. Gersonius *de auctoritate concilii generalis supra Papam, et auferibilitate Papatus* duodecim considerationibus disseruit luculenter. Et Concilium *sess.* 4., et 5. declaravit quemlibet *cuiuscunque status, vel dignitatis, etiamsi papalis existat*, obedire generali concilio debere, quod immediate a Christo potestatem habeat. Postea in Ioannem XXIII. Balthasarem Cossam, citatum, et contumacem depositionis sententiam promulgavit. Tum cessione Papatus Gregorii XII. a Carolo de Malatestis procuratore facta in manibus Sigismundi Imperatoris, unanimi consensione XX. Cardinalium, et XXX. electorum, quos quinque Nationes designaverant, ad pontificiam Petri Sedem electus est Martinus V. Laicorum communionem sub unica specie probavit contra Bohemos Hussitas. Damnavit hoc concilium Ioannis Wicklefi memoriam, et articulos 45, eiusque libros omnes comburendos iussit. Ioannem Hus haereticum quoque proclamavit, Sacerdotio deposuit, librosque eius proscripsit, insuper et Ioannis Parvi errorem. Hieronymum de Praga in haeresim Wicklefi, et Io. Hus relapsum potestati tradidit saeculari. In perfidum antipapam Bened. XIII. sententiam exauctorationis innovavit, eumque uti aridum, et abscissum Ecclesiae membrum habuit. Permulta reformationis in capite, et membris capitula edidit. Dogmatica solum Fidei decreta huius concilii rite communivit auctoritate pontificia Martinus V: secus definitam potestatem concilii supra Papam, et decennalem concilii generalis celebrationem.

XXXI. *Basileense* indictum a Martino V. inchoavit anno 1432. legatus apostolicus Eugenii IV. Iulianus cardinalis, tum Eugenius ipse dis-

(1) Card. Bellarm. *lib. 1. de concil. Eccles. cap. 8.*
(2) S. Antonin. *par. 3. chronic. tit. 22. cap. 5. §. 11.*

solvit anno 1437., ac transferre aggressus est prius Ferrariam, deinde Florentiam. Patres adhuc Basileae commorati ad annum usque 1442. in apertum schisma prolabentes Eugenium a Sede pontificia deiicere sunt ausi, Amedaeo Sabaudiae Duce sub nomine Felicis V. antipapa adscito. Concilio oecumenico subiicere Papam censuere cum Patribus Constantientibus, laicis communionem sub utraque specie vetuerunt: festum Conceptionis B. M. V. edixere. Ad reformationem plura caverunt canonibus 33. Singulis Nationibus unum suffragium, quam singulis Episcoporum capitibus maluerunt more novo tribuere.

XXXII. *Florentinum* oecumenicum Eugenius IV. graecos cum latinis conciliaturus concilium generale Ferrariam Basilaea quum transtulisset anno 1437. sessionibus sexdecim disputatum est de articulis inter utramque Ecclesiam controversiis, praesente Ioanne Palaeologo graecorum Imperatore, cum Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, multisque grecis Episcopis. Deinde ob pestilentiam Ferrariae grassantem concilium Florentiam ab eodem Pontifice., translatum anno 1438, et sessionibus novem absolutum *decreto unionis* condito definivit processionem Spritus Sancti a Patre simul, et Filio tanquam ab uno principio: et verbum *Filioque* rationabiliter symbolo Fidei additum. Sive in azymo, sive fermentato pane veracem Corporis Christi confectionem, et alterutram servata consuetudine cuiusque Ecclesiae licitam. Triplicem animarum statum in Purgatorii poenis temporariis, in coelesti beatitudine, aeternisque inferni suppliciis disparibus. Primatum Romani Pontificis in orbe universo, et gradum Patriarchae Constantinopolitano post Papam supra ceteros Patriarchas. Absoluto discessu graecorum concilio, Eugenius decretum de Armenorum institutione edidit, doctrinam orthodoxam de Sacramentis, et ritibus diversis explicans luculentissime.

XXXIII. *Lateranense V.* anno 1512. cum CXIV. Episcopis celebravit Iulius II, absolvit Leo X. anno 1517. Prioribus quinque sessionibus ipso praesidente rescissa sunt acta Pisani conciliabuli, quod propter funestum dissidium Papae cum Ludovico XII. Galliae rege Pisis coactum erat. Post Iulii decessum reliquis sex sessionibus praefuit Leo X. Damnavit haereses de animae mortalitate, et unica in cunctis hominibus anima. Plurima decrevit reformationis capita, montes pietatis probavit, pragmaticam sanctionem Caroli VII. Regis Francorum abrogavit.

XXXIV. *Tridentinum* inter oecumenica postremum a Paulo III. indictum, et inchoatum anno 1545. praesidentibus Sedis Apostolicae Legatis, prosequutum sub Iulio III, completum sub Pio IV. anno 1563, contrivit innumeras ferme haereses a Luthero, et Calvino, eorumque sectariis insimul evomitas, quas tot divisim haeresiarchae ante protulerant, catholicam Fidem omnino evertere, Ecclesiamque universam cum tota hierarchia, et Papatu potissimum destruere conatis. Sessiones XXV. complectitur, fere subdivisas in *canones Fidei*, et *decreta reformationis*. Pius IV. litteris suis datis III. Kal. Febr. 1563. confirmationem apostolicam ab ipsis Patribus Tridentinis rite postulatam concessit, iussitque, ut omnes decreta, et statuta ipsius concilii in iudicio, et extra observent, contumaces poenis, et censuris ecclesiasticis compellantur, invocato etiam, ubi opus fuerit, brachio saecularis auxilio Simul vetuit, ne quis sine auctoritate Se-

dis, Apostolicae *audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quoquo modo edere, aut quidquam quocumque nomine etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quaesito colore statuere.*

XXXV. Nonnullis arridet inter concilia generalia cooptare Arelatense I. an. 314, Sardicense an. 347, Trullanum, seu Quinisextum an. 692: quippe quae praestant pontificia, et imperiali convocatione, insigni Patrum numero, et usu canonum. At vero S. Augustinus (1) *Arelatense* non plenarium concilium appellavit, sed *episcopale iudicium*, ab occidentalibus tantum Episcopis in Gallia celebratum.

XXXVI. *Sardicense* habitum est, velut appendix concilii Nicaeni pluribus nominibus. 1, quod canones Sardicenses in vetustis codicibus exscripti coniunctim essent post Nicaenos sine ulla discriminis nota. 2, ob Nicaenam fidem confirmatam in eo. 3, quia praefuit Osius Cordubensis perinde Iulii Papae Legatus Sardicae, ac Silvestri Nicaeae, convenientibus plerisque Nicaenorum Patrum. Oecumenicum vero exitu fuisse negat Petrus de Marca (2), secus si convocatio spectetur.

XXXVII. *Trullanum* in trullo, seu secretario imperialis palatii Constantinopolitani coactum appendix etiam quintae, et sextae synodi oecumenicae usque adeo visum est, ut *Quinisextum* passim vocitetur (3): quia exterioris disciplinae solum canones 102., a Sede tamen Romana non receptos constituit, quos nullos condiderant Patres in quinta, et sexta.

CAP. II.

De Nationalibus

XXXVIII. Prioribus Ecclesiae saeculis saevientes tyrannorum persequutiones quum concilia oecumenica celebrari non paterentur: Episcopi nihilominus ad corrigendas pullulantes in diem haereses, moresque nascentis religionis bene formandos, frequenter in synodis localibus conveniebant (4), quas vel Patriarchae, vel Archiepiscopi convocare subsecutis etiam pacatae Ecclesiae saeculis consueverunt.

XXXIX. Patriarchalium, seu Nationalium synodorum numerus quidem immanis est. Inter omnes praecellunt quinque a Graecis saeculo IV.

(1) *Ep. 68. ad Ianuarium, et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 92.*
(2) P. de Marca *lib. 1. de concordia cap. 3. num. 5.*
(3) N. Alexand. *in hist. saec. 7. diss. 5.*
(4) Eusebius *lib. 6. hist. cap. 37.* Origenem interfuisse tradit concilio plurium Episcoporum in Arabia prope medietatem saeculi III., et circa finem Imperii M. Philippi, quod haereticos confutavit blasphemantes animam una cum corpore mortalem. Duabus Antiochenis synodis an. 266, et 272. contra Paulum Samosatetenum propugnata est divinitas Christi Domini. In Africa tria concilia Carthaginensia, quibus S. Cyprianus praefuit an. 254, 257, et 258, de lapsis poenitentibus, et baptismo haereticorum a scriptoribus celebrantur. Iisdem, aliisque de causis celebriora sunt concilia Romae habita saeculis II, et III., quae legere est in collectione Labbeana, et Cossartiana.

celebratae, Ancirana, Neocaesariensis, Gangrensis, Antiochaena, Laodicaena, quarum canones in codicem Ecclesiae universae relatos comprobarunt concilium Chalcedonense, et Quinisextum (1), et Leo IV (2). Italicas, et Romanas (3), Germanicas, Hispanas, Gallicas, Africanas, et Hibernicas ecquis singulatim numerare sufficiet? Antiquiores saepenumero laudat Gratianus, ex quibus plurima decreta in collectaneam suam traduxit. Integras fere omnes uberrima Labbaeana collectio studiosis exhibet.

CAP. III.

De Provincialibus.

XI. Quam Metropolitanus arcessitis omnibus provinciae Episcopis suffraganeis, Praelatis, et Capitulis synodum cogit', pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, ea *provincialis* nuncupatur. Primum consueverant vetustissimi Patres celebrare bis quolibet anno synodos provinciales, veris nimirum, et autumni temporibus, a Concilio Nicaeno I (4) designatis, ut sileam de canone 36. vulgo Apostolorum. Dein concilium Lateranense IV. semel quotannis (5), et Tridentinum quolibet saltem triennio, decreverunt, ut Archiepiscopus, eoque impedito antiquior Coepiscopus omnes Episcopos suffraganeos, et Cathedralium Capitula, et alios, qui de iure, vel consuetudine interesse debent; convocarent ad concilium provinciale (6); Praelatos etiam nulli Archiepiscopo subiectos, qui vicinum Metropolitanum aliquem debent semel eligere, cuius concilio intersint. Ad quod tenentur vocati omnes aut accedere personaliter, aut legitime impediti legatos mittere cum excusatoriis litteris: alias communione priventur (7). Mos tamen invaluit longaevus, ut ea rarissime indicantur. In Italia non posse inconsulta Sede Apostolica, vel sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete convocari, monet Cardinalis de Luca (8). At nullam is laudat constitutionem id Italis Metropolitis vetantem, quod cunctis generatim non permittit modo, sed imperat synodus Tridentina. Hoc tamen in regno regia potestas non patitur sine Principis beneplacito Episcopos totius provinciae una congregari (9).

(1) Conc. Chalced. in *can. a sanctis 14. C. XXV. qu. I.*

(2) Leo IV. *ep.* ad Episc. Britanniae in *can. de libellis 1. dist. 20.*

(3) Centum, et novem concilia Romana, et Lateranensia a collectoribus, nisi falsus calculo sum, collaudantur ac recensentur.

(4) *Can. habeatur 3. dist. 18.* — (5) *Cap. sicut olim 25. de accusation.*

(6) *Sess. 24. de refor. cap. 2.* — (7) *Can. placuit 10. dist. 18.*

(8) *Disc. 30. ad Conc. Trid.* Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neap. in ep. nuncupatoria ad Innoc. XII. profitetur provincialem synodum Neap. an. 1699, eo ipso Papa hortante, celebrasse. In fine constitutionum synodicarum eas iudicio S. Romanae Ecclesiae subiecit. Tum easdem reapse transmisit ad S. Congr. Concilii, qua rescriptum est nihil correctione dignum iis contineri.

(9) Van-Espen *par. 1. iur. eccles. tit. 20. cap. 4.* Inter querelas a pontificiis Legatis S. Pii V., expositas regi catholico Philippo II. ea est, quae spectat executionem Trid. *cap. 2. sess. 24. de reform.* Lamentabantur enim quod sy-

XLI. Universos de provincia clericos obligant istarum synodorum constituta, quae tamen publicanda non esse, inscio Summo Pontifice, decrevit eadem Sacra Congregatio anno 1654 (1). Cuiusmodi disciplinae viam stravit Gratianus (2). Propterea praelaudatus Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus Neapolitanus cum iam dictis Coepiscopis finem imponens predictae synodo, *has denique provinciales constitutiones*, ait, *sancta synodus humiliter subiicit iudicio, et auctoritati S. Romanae Ecclesiae, quam columnam, et firmamentum veritatis, atque aliarum Ecclesiarum matrem, et magistram agnoscit, et veneratur.*

XLII. Tribunal ordinarium totius Provinciae primitus erat synodus provincialis, tantaque pollebat auctoritate, ut nedum inferioris ordinis presbyterorum, clericorumque causas criminales, et ecclesiasticas in secundo gradu diiudicaret, verum etiam maiora iudicia de Episcoporum depositione definiret, atque illorum, quos damnasset, appellationes ad Romanum Pontificem toleraret rarissime (3).

XLIII. Inter Provinciales synodos post Tridentinum habitas eminent quinque Mediolanenses a S. Carolo Borromaeo congregatae, quarum canones ad mentem Concilii Tridentini, cui S. Archiepiscopus adfuit, maximo praesidio sunt Praesulibus collapsam restaurantis disciplinam. Suppares sunt duae Beneventanae, quas Vincentius Maria Ursinus Archiepiscopus in ea Ecclesia rite celebravit, antequam supremum Romanae Sedis pontificatum adipisceretur sub nomine Benedicti XIII. Et haud postremus locus est duabus Neapolitanis, quarum prior a Mario Carafa anno 1576, posterior a Iacobo Cardinale Cantelmo anno 1699. praeclarissimis Archiepiscopis Neapolitanis celebratae sunt cum Aversano Episcopo exempto, et quatuor Coepiscopis suffraganeis Nolano, Acerrarum, Isclano, et Puteolano. Hanc ipsa formam subscribendi habet. *Nos Iacobus Card. Cantelmus Arch. Neap. Metropolita de consilio, et adsensu Reverendiss. Coepiscoporum nostrorum* definientes *subscribimus. Ego N. Episcopus Nolanus* consentiens *subscribo.* Ceteri eodem modo.

XLIV. Romanum provinciale concilium Benedictus Papa XIII. (4) celebravit anno 1725, ut primae Sedis exemplo cuncti Ecclesiae Pastores

nodos provinciales cogi non sinerent regii magistratus, vellentque hoc in regno synodica decreta ipsi ante revidere, et nonnisi praevio adsensu regio publicationem eorum permittere. Prorex autem Cardinalis Granuela inter alia reposuit posse quidem, ac solere Episcopos tunc temporis partim regnicolas, partim exteros res agere coniunctim in synodis, quarum notitiam regiis auribus innotescere oporteret.

(1) Petr. de Marca *lib. 2. concord. cap. 14. n. 4.*

(2) *Dist. 17*, probare studuit Gratianus provincialia concilia, quibus auctoritas summi Pontificis non accesserit, vim nullam habere.

(3) S. Cyprianus *lib. 1. ep. 3.* ad Cornelium Papam scribens removere conatus est appellationes transmarinas a decretis metropoliticis ad Sedem Apostolicam, illis verbis. *Post ista* (scilicet decreta synodi provincialis Charthaginensis) *navigare audent, et ad Petri Cathedram, et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a profanis, et schismaticis litteras ferre.*

(4) Num quis alius Romanorum Pontificum tanquam Archiepiscopus Synodos provinciales coegit, edisserit disertissimus Papa Bened. XIV. *lib. 2. de Syn. diaec. cap. 2. n. 5, et 6.*

hanc episcopalis muneris partem obirent. Decreta quidem ipsius vires non habent extra Romanam provinciam stricte acceptam, ad quam pertinent solummodo Episcopi existentes inter Capuanam Provinciam et Pisanam, Archiepiscopi suffraganeis carentes, Episcopi Sedi Apostolicae immediate subiecti, et abbates, praelatique inferiores nullius dioecesis, qui Metropolitanum, cuius provinciali concilio interesse debeant, non elegerint. Istos enim duntaxat convocatos fuisse patet ex indictione.

CAP. IV.

De Dioecesanis Synodis

XLV. Mos erat in primitiva Ecclesia, ut Episcopi singuli congregato saepe coetu presbyterorum, et Cleri totius, quotiescumque opus esset, gregi suo collatis consiliis prospicerent, deque arduis deliberarent negotiis. Talem coetum saepe *presbyterium* (1) veteres nuncuparunt, et quandoque *concilium civile* (2), qui nunc *synodus dioecesana*, et absolute *synodus* dictitatur. Saeculo IV. perinde dioecesanae synodi bis quotannis coactae sunt, ac provinciales ex canone Nicaeno. Postea quum inolevisset usus quolibet anno semel eas congregandi, eum ipsum probavit concilium Lateranense sub Innocentio III, (3), et restituendum iussit Tridentinum (4). Quotus tamen quisque Praesulum est, qui huic obeundo muneri animum adiiciat? Tam diuturnae desuetudinis causa potior fuisse videtur iactura operae, quam passi sunt tot Episcopi solertissimi. Alias porro synodicas ipsorum constitutiones, quae praesertim ad exequenda Concilii Tridentini decreta regiis magistratibus exosa intenderent, in irritum misit potestas regia; nonnullas etiam, quae praeter Ius commune, et pontificias leges quid novi sancirent, rescidit Curia Romana. Omnino inutiles hinc esse dioecesanas synodos temere dixerunt nonnulli, quos probe refellit Antonius Paulutius (5). Nam eas licet non necessarias simpliciter, sed utiles maximopere putavit semper Ecclesia: dummodo certi fines custodiantur, quos ultra, citraque nequit rectum consistere.

XLVI. Quo pacto, quaque forma possint rite, ac recte synodos Episcopi celebrare, docuit uberrime Ecclesiae universae magister, reapse optimus maximus Benedictus XIV. in tractatu numeris omnibus absolutissimo *de synodo dioecesana*. Pauca inde hic, vel cursim delibentur.

XLVII. Praecipuus synodicarum constitutiones scopus erit promulgare decreta conciliorum provincialium, et generalium, et uniformem in tota

(1) Matthias Ugonius *in tract. de conciliis in praelud. pag. 4*, ex Siricio Papa *in ep. 2. adversus Iovinianum to. 1. collect. Harduin.* et pluribus epistolis S. Cypriani, aliorumque Patrum.

(2) Hadrian. II. *ep. 14. ad Carolum Calvum to. 5. Harduin* ibi: *Si quod* in civili concilio *apud suum Episcopum perperam gestum est, in provinciali synodo tractetur.*

(3) Innoc. III. *in cap. sicut olim 25. de accusat.*

(4) *Sess. 24. de reform. cap. 2.*

(5) *To. 1. iurispr. sacr. cap. 9. de comitiis ecclesiast. n. 5.*

dioecesi executionem procurare (1). Necessaria tamen, utilia, loco, et tempori convenientia prudens Episcopus in synodo constituat, ad abusus recenter subortos, moresque depravatos corrigendum : a supervacaneis, et salebrosis rebus abstineat. Quaestiones iuris dubias, variisque auctorum opinionibus controversas definire caveat iuxta monitum Fagnani (2) ; praesertim de Sacramentis, de maioribus Sedi Apostolicae reservatis negotiis, de saeculari potestate. Privilegia Regularium non laedat. In transgressores censuras latae sententiae nonnisi raro, et moderate infligat, quemadmodum et mulctas, poenasque pecuniarias, quae turpem questus notam solent inurere. Iuri communi, et apostolicis constitutionibus nunquam adversetur. Nimiamque severitatem in novis, praeter ius commune, rebus constituendis posthabeat.

XLVIII. Ad synodum dioecesanam debent Capitulum cathedralis Ecclesiae, Canonici collegiatarum (3), Parochi, omnesque animarum curam exercentes (4) accedere. Abbates item nedum saeculares praelatique inferiores intra dioecesim existentes (5), verum etiam abbates regulares, qui tamen Capitulis generalibus non subduntur (6) : aliique regularium superiores (7). Fratres etiam capellani Religionis Hierosolymitanae curam animarum habentes (8). Utitur enim Episcopus et *lege dioecesana*, qua exempti fere non ligantur, et *lege iurisdictionis*, cui regulares, ceterique simul exempti in nonnullis subiiciuntur, mixtam vero ex utraque potestatem in synodo adhibet (9).

XLIX. Hoc in regno mos inolevit, ut postulante placitum regium super synodi alicuius constitutionibus Episcopo, Rex eas ipsas constitutiones censurae primum Delegati regalis iurisdictionis remittat in archivio ipsius servandas, una cum notis eiusdem censoriis. Dein typographo petente licentiam eas typis vulgandi, Rex ad suum Capellanum maiorem remittit supplicem eius libellum pro revisione ordinaria, simul rescribens, ut regius revisor ab ipso deputandus easdem cum altero ipsarum volumine, quod in archivio Regalis Iurisdictionis adservatur, sedulo conferat, prospecturus, ne quid praelo detur regia praedicti Delegati censura expun-

(1) *Dicto cap. 25. de accusat.*

(2) Fagnan. *in cap. sicut olim de accusat. n. 82.*

(3) Massobrius in tr. de *synod. diaeces. cap. 3. dub. 2. n. 26.* Canonicos collegiatarum ab onere accedendi ad synodum excipit. At rectius contra sentit Pax Iordanus *lib. 8. tit. 2. n. 59*, ita tamen, ut nonnullos deputatos mittat Capitulum, si alibi synodus habeatur, quam in loco Collegiatae, Pignatellus *to. 9. consult. 77. n. 62. Iubilatos* quoque Canonicos, si speciatim ii vocentur, adesse debere synodo, tenet Thomasius *in tract. de concilio, et synodo dioecesana fol. 136*, respondit S. Congreg. *in Aquilana 27. Septembris 1659.*

(4) Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de reform.*

(5) Quam declaravit Alexander VII. *litteris die 30. Martii 1661.* apud de Aste archiep. Hydruntinum *in methodo visit. apost. par. 5. §. 2. num. 18*, et Fagn. *in cap. quanto de off. ord. num. 64.*

(6) *Cap. super his de maior.*, et *obed.* Excipiendi tamen sunt a regula abbates, qui territorium separatum nullius dioecesis obtineant.

(7) Trid. *loc. cit.* — (8) *Ex decreto S. Congr. Conc. die 17 Iulii 1683.*

(9) Paulutius de *iurisprud. sacr. de comitiis ecclesiast.* Bottus *de synodo par. 1*, Bened. XIV. *lib. 1. de syn. dioec. cap. 4. in fine.*

ctum, vel reformatum. Tandem visa revisoris relatione Regalis Camera S. Clarae decernit, *quod imprimatur cum inserta forma supplicis libelli, et adprobatione dicti revisoris: verum in publicatione servetur regia pragmatica.* Ita sex synodis concessum placitum regium egomet vidi, revisor ab Archiepiscopo Neapolitano, simul et ab regio Capellano maiori datus, nimirum synodo Aquini, et Pontiscorvi anno 1747, Muranae anno 1748, Abellinensi, et Frequentinae anno 1749, Nuscanae anno 1752, Rheginae anno 1754, et Hieraciensi anno 1755 (1).

CAP. V.

De mixtis et regiis Synodis.

L. Quoniam tribus usque modo expositis conciliorum generibus haud accenseri possunt plùrima, quae vel Romani Pontifices nedum cum Clero Romano, aut Cardinalibus, verum etiam cum nonnullis diversarum provinciarum Episcopis celebravere, vel etiam Patriarchae Constantinopolitani cum Praesulibus permultis in regia urbe alia de causa commorantibus (2), quum specialis indictio, seu convocatio omnium Antistitum totius vel provinciae, vel dioecesis Romanae, aut Constantinopolitanae non praecessisset; quaeque prostant in vulgatis collectionibus Isidori, Petri Crabbaei, Francisci Ioverii, Laurentii Surii, Severini Binii, Harduini, Philippi Labbaei, et Gabrielis Cossartii: quartum genus anomalum emergit, complectens concilia *mixta*, quippe quae ex provincialibus, et diocesanis participant.

LI. Huius generis sunt etiam haud pauca in pluribus huius regni Neapolitani urbibus coacta ab ipsis summis Pontificibus: scilicet *Capuanum* anno 389. sub Siricio (3), alterum anno 1087. sub Victore III, aliud anno 1118. sub Gelasio II. (4). *Sipontinum* anno 1050. sub Leone IX. (5). *Amalphitanum* anno 1059. sub Nicolao II. (6). *Beneventanum* eodem anno 1059. sub eodem Pontifice: alterum anno 1061.

(1) Haec equidem retuli ad calcem supplicis libelli, quo Dominicus Ascione typographus petiit regiam licentiam praelo vulgandi dioecesanam synodum Ecclesiae Aquinatis, et Pontiscurvi. *S. M. R Quum exemplar synodi Aquinatensis anno 1744. celebratae perlegissem de imperio M. V., nihil in eo regiis iuribus, aut ecclesiasticae huiusce regni disciplinae adversum inveni, illudque ad alterius exemplaris, quod apud secretarium Delegati regalis vestrae Iurisdictionis reformatum extat, amussim agnovi exaratum. Typis exinde in publicum edi posse censeo. Neapoli idibus Iulii 1747. Humillimus subditus Carolus Gagliardus.* Ab huiusmodi relatione minime abludunt quinque aliae, quas pro reliquis iam dictis synodis confeci. Ut autem litemus veritati: quae in eisdem synodis offendi non pauca regiis iuribus, regnique moribus adversantia, ea ante delere, ac reformare de consensu partium, quam censuras reformationis patefacere satius duxi.

(2) De quibus Cabassutius *in dissert. de urbanis, seu popularibus synodis post Synodum Constantinop.*

(3) *To. 2. collect. Labbei, et Cossartii pag. 1237.*

(4) *To. 12. dictae collect. pag. 707, et 1247.*

(5) *To. 11. eiusdem collect. pag. 1443.* — (6) *To. 12. pag. 53.*

sub eodem: aliud anno 1062. sub Alexandro II: praetèrea anno 1075. sub Greg. VII. anno 1087. sub Victore III. anno 1091. sub Urbano II. anno 1108. sub Paschali II. anno 1112., et 1117. sub eodem: et anno 1119. sub Calisto II. (1). *Melphiense* anno 1061. sub Alexandro II. (2). *Melphictanum* anno 1089. sub Urbano II. (3). *Bariense* anno 1094. sub eodem (4). *Troianum* anno 1089., alterum anno 1093. sub eodem: tertium sub Paschale II. anno 1115. (5). *Cyperanum* sub eodem anno 1114. (6): et si quae sunt alia.

LII. De synodis *regiis* dicendum superest, ad quas iussu regio nedum Episcopi, abbates, et doctores ecclesiastici, verum laici etiam optimates, regiique ministri una conveniunt ad res deliberandas communem utilitatem clericorum, et laicorum regni spectantes (7). In Gallia saepenumero concelebratas, Regesque piissimos synodico consilio Episcoporum, et procerum creberrime usos tradit Petrus de Marca (8), praesertim tempore schismatis. Hanc synodorum speciem redolet conventus Praelatorum, Comitum, et Baronum huius regni Neapolitani habitus in plano S. Martini anno 1283., in quo Carolus II. Andegavensis capitula 46. condidit de iuribus, et immunitatibus Ecclesiarum, et clericorum.

TIT. VII.

De pontificiis Decretis Decretalibus Epistolis Bullis Brevibus et Regulis Cancellariae.

I. Romanae Sedis Apostolicae constitutiones universos ubique fideles obligant.

II. Earum aliae generales, ac dogmaticae, aliae sunt speciales alicuius provinciae disciplinam spectantes.

III. Pontificia decreta *ultro*, decretales *ad alicuius postulationem eduntur.*

IV. Bullae *nomen aeceptum a signo, vel plumbeo, vel aureo. Bulla concistorialis in concistorio, dimidia a Papa ante consecrationem usurpatur.*

V. Brevis *in membrana breviori datur annulo Piscatoris obsignata.*

VI. Brevis litterae communibus Italorum characteribus, Bullae Longobardis exarantur.

VII. Pontificum epistolae aevo martyrum rarissimae, postea frequentissimae.

VIII. Priscas earum censueverunt Episcopi post sacra Biblia recitare. Post saeculum VII. emerserunt commentitiae decretales ante Siricium, a nasutis viris iam exufflatae.

IX. Genuinus earum usus ostendit supremam Romanae Sedis in Ecclesia universa sollicitudinem.

(1) *Ibidem to. 12. pag. 53., 66; 115., 583. 719. 795. 1139; 1192; 1235.*, et *2309.*—(2) *Dicto to. 12. pag. 165.*

(3) *Dicto to. pag. 779.* — (4) *Ibid. pag. 945.*

(5) *D. to. 12. pag. 779, 811, et 1121.*

(6) *Eodem* to. 12. — (7) Thommasinus *par. 2. de vet., et nov. Eccles. discpl. lib. 3. cap. 46.* moribus Constantinopolitanis hanc synodorum speciem comprobat.

(8) *Lib. 6. concord. cap. 32, et tribus seqq.*

X. Regulae Cancellariae instar edicti praetorii locum hic habent, quoties nulla patronatus iura, nec regni leges moresque laedant.
XI. Origo ipsarum Ioanne XXII. antiquior est.
XII. Obligandi vis incipit a die crastino post novi cuiusque Pontificis electionem.
XIII. Quo moriente aliae expirant, aliae non.

I. Altera iuris ecclesiastici pars maxima sunt summorum Pontificum decreta. et placita. Romana Ecclesia mater, et radix Ecclesiarum a S. Cypriano (1) dicta, mater, et magistra universorum christifidelium a generali Concilio Lateranensi IV. (2), supremam habet in Ecclesia universa potestatem (3), tantamque, ut conciliorumque generalium decreta confirmandi iure potiatur (4). Quidquid ergo statuit, quidquid ordinat, ab omnibus perpetuo, et omnimodis observandum est (5). Sic enim omnes Sedis Apostolicae sanctiones accipiendae sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmatae sint (6).

II. Pontificiarum constitutionum aliae *generales*, quae universum catholicum orbem obligant, quales sunt omnes *dogmaticae*, quaeque universalem christiani orbis disciplinam sanciunt: aliae vero *speciales*, quae alicuius regni, aut provinciae, aut Ecclesiae mores disponunt. Utrumque genus earum spectant *Decreta*, *Decretales*, *Epistolae*, *Bullae*, *et Brevia*.

III. *Decretorum* nomine accipiunt Canonistae eas constitutiones, quas nemine petente summus Pontifex edit quum motu proprio, tum consilio Cardinalium adhibito (7). *Decretales* autem dicuntur, quum Papa consultus suam per epistolam aliquid rescribendo Episcopis, vel privatis consulentibus definit (8). Unde versus: *Decretum statuit, Decretalisque respondet.* Decretales tametsi in privatis fere causis prolatae sunt, vim legis communis obtinent: *cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter iudicare, nisi forte cum aliquid causa necessitatis, vel utilitatis inspecta, dispensatione duxerit statuendum*, ait Innocentius III. (9).

(1) *Lib. de unitate Ecclesiae.*
(2) *Cap. antiqua patriarchalium 23. de privilegiis.*
(3) Quam saepe agnoverunt, ac veriti sunt Patres Tridentini *sess. 6. de ref. cap. 1. in fin. sess. 14. cap. 7. de casuum reservat.* alibi passim.
(4) Id probavit Gratianus *can. 1, et segq. dist. 17.*, et liquet manifestissime quum ex epistolis synodicis conciliorum ad Romanos Pontifices, tum ex ipsorum Pontificum litteris ea confirmantibus.
(5) *Can. enimvero 4. dist. 19.* — (6) *Can. sic omnes 2. ead. dist.*
(7) Glossa *in princ. dist. 15.* et Decius *ad rubr. de constitut.* In iure tamen civili *Decretum* proprie dicitur, quod Princeps, aut Praetor, aliusve magistratus inter partes cum cognitione caussae decernit, *l. nequidquam 9. §. ubi decretum 1. D. de off. Procons. et §. 6. Inst. de iure nat.*
(8) Glossa *ad const. praefixam textui Decretalium* verb. *constitutio.*
(9) In *cap. in causis 19. de sent. et re iud.* Et in *can. licet regulis C. XVI, qu. 3.* Gelasius scribens Maximo, et Eusebio Episcopis declaravit, quae inter Coepiscopum Constantinum, et nuncios Anconitani Episcopi decreverat, *tunc formam in ceteris cognitionibus, quae sit sequenda, praescripsisse.* Quod enim in uno negotio statuitur, ad omnia similia extenditur, ait *gl. ibidem.*

IV. Recentior litterarum apostolicarum forma vocabula *Bullarum*, et *Brevium*, veteribus ignota, invexit. *Bullae*, seu litterae bullatae a sigillo nomen acceperunt vel plumbeo, vel aureo (1), quod exhibet hinc figuras SS. Apostolorum Petri, et Pauli, hinc nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, aut canapis, aut serico. Eae si nedum Pontificis, sed etiam Cardinalium manu subscriptae in Concistorio ferantur, *Bullae concistoriales* dici solent, quibus alterum superadditur signum Crucis conceptis verbis, seu brevi lemmate circumdatum. Cuiusmodi species conspiciuntur in magni Bullarii voluminibus. Quae vero extra Concistorium prodeunt, unico sigillo communiuntur. In huius autem parte altera, si quando impressio nominis Pontificis deficiat, atque in altera solummodo sacri vultus Apostolorum appareant, *Bullam dimidiam* appellant cum Innocentio III. (2), consuetam alicuius initio Pontificatus, antequam sollemnia consecrationis novi Pontificis implerentur. Nomine *Bullae* quoque significantur passim litterae Sedis Apostolicae in membrana exaratae cum sigillo plumbeo, quibus conferunt beneficia ecclesiastica tam maiora, quam minora, et dispensationes, praesertim matrimoniorum.

V. Altera forma *Brevis* ideo dicitur, quod in brevioribus membranis conscribantur sub annulo Piscatoris, puta sigillo in rubra cera impresso, coelatam praeferente figuram divi Petri in actu piscationis (3).

VI. Formam *Brevis* a forma *Bullae* distinguit varietas nedum sigilli, sed etiam characteris. *Brevia* enim litteris romanis, seu italis, et communibus conscripta prodeunt e Secretaria *Brevium*: *Bullae* autem Longobardicis, seu Theutonicis e Cancellaria, seu Dataria (4).

VII. *Epistolas* innumeras Summi Pontifices pro variis Ecclesiarum necessitatibus ad Episcopos, ceterosque dedere: tamen paucissimas aevo martyrum, post pacem Ecclesiae quamplurimas. Quandoquidem genuinae sunt, una S. Clementis ad Corinthios, nonnullaeque Soteris, Cor-

(1) Bulla Clementis VII. ad Henricum VIII. Angliae Regem data, qua titulo *defensoris Fidei* ornatus Rex fuit propter meritum confutatae haeresis lutheranae libro typis edito *de Sacramentis*, aureo sigillo instructa prodiit. Ob idque Bulla aurea dicta est. Quales etiam sunt, quibus Sedes Apostolica confirmationem Imperii, investituram alicuius Regni, aliamve gratiam Imperatoribus, aut Regibus largiuntur, ob sigillum in auro cusum. Per anthonomasiam tamen aureae Bullae vocabulo intelligitur constitutio a Carolo IV. Caesare Germanico edita de Imperatorum electione, et electoribus.

(2) *Lib.* 1. *regist. ep.* 83, *et* 233.

(3) Innocentius Cironius *lib.* 2. *observat. cap.* 15. ex Godino, Niceta, et Luitprando notat Imperatores quoque multiformibus sigillis usos, videlicet aureo, vel argenteo in litteris ad Reges, et toparcas de rebus gravioribus, et publicis: cereo ad Augustam, filios, ceterosque regiae stirpis: plumbeo ad despotas, et magistratus digniores.

(4) Corruptio characteris, quo Romani veteres utebantur, theutonicum, seu longobardicum progenuit in bullis Romanae Datariae nunc vigentem saeculo abhinc XIII. Quum enim deturpatam vitio temporis formam litterarum reficiendo manum admovissent primum Germani, et Longobardi, tum Principes Andegavenses, et Romani recentiores, apices, et lineolas, e flexus, quibus hodie constat

nelii, Iulii I., Damasi, ceterorum collaudatae ab antiquis SS. Patribus Irenaeo, Athanasio, Hilario, Hierouymo, aliisque supparibus, nuper illustratae a Petro Constantio, et Francisco Dominico Bencino (1).

VIII. Has Romanorum Pontificum epistolas in Ecclesiis palam, et saepe recitari post lectionem sacrorum Bibliorum satagebant Episcopi primitivae Ecclesiae, hoc modo mandata Sedis Apostolicae cunctis observanda fidelibus insinuantes (2): quum nemini fas esset Apostolica transgredi eiusdem Sedis praeccpta (3). At vero post saeculum VII. densissimis ignorantiae nebulis longe, lateque diffusis per occidentem, emerserunt ex Isidori mercatoris officina putidae pseudo decretales vetustis ante Siricium Pontificibus suppositae, quas pia fraude confictas dixit Cardinalis Bona (4). Eas praefocare statim aggressi sunt viri sapientia, et pietate eximii, praesertim Hincmarus Rhemensis: sed propugnasse nonnullis videtur Nicolaus I. (5), et Gratianus (6). At vero commentitias omnino esse pleras-

forma longobardica, addidere. Apud Muratorium *dissert. 35. antiq. med. aevi to. 3*, inter sigilla, bullasque diversorum Principum Italiae, summorumque Pontificum, primum, quod exhibet litterarum formas hodiernis longobardicis persimiles, sigillum occurrit Gregorii IX., qui floruit sub initio saeculi XIII. Antiquiora signa Pauli I., qui sedit anno 757., et Successorum usque ad Honorium III., affinia sunt, formamque mediam characteris inter nostrum, Italum, et Longobardicum exhibent. Typos numismatum Caroli I. Andegavensis, et sequentium Regum Neapolitanorum usque ad Ferdinandum I. catholicum, iisdem ac Gregorii IX. litteris theutonicis circumdatos profert cit. Murator. *dissert. 27. to. 2. edit. Mediolan. an. 1748.* Videndus Mabillon. *de re diplomatica to. 2.*

(1) *De litteris encyclicis* Romanorum Pontificum dissertationes duas, quae duo complent iusta volumina, fuso, disertoque calamo elaboratas hic auctor eximius Romanae primum, dein Taurinensis Academiae professor typis vulgavit Augustae Taurinorum anno 1728.

(2) Eusebius *lib. 4. hist. cap. 23*, tradit S. Dionysium Corinthi Episcopum secundo saeculo Aerae Christianae scripsisse ad S. Soterem Papam, Ecclesiamque Romanam, quod epistolam S. Soteris (quemadmodum et aliam S. Clementis) in Ecclesia sua post sacram Scripturam is perlegisset, atque in posterum relecturus foret ad suam ipsius instructionem. Id factum ex more Ecclesiae observat Fleury *lib. 3. hist. n. 58.* — (3) *Can. nulli fas est. 5. dist. 4.*

(4) Card. Bona *lib. 1. rerum liturgicarum.*

(5) *Ep. ad Episcopos Galliae in can. si Romanorum 1. dist. 19.* ibi: *Quae Sedes Apostolica pro catholica Fide, pro sanis dogmatibus, pro variis, et multifariis Ecclesiae necessitatibus, et fidelium moribus diverso tempore scripsit; omni debent honore praeferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus, discretione, vel dispensatione magistra reverenter assumi . . . etiamsi non sint codici canonum compaginatae. . . quum omnia omnium decessorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipiendas, et custodiendas, eximios Praesules, Leonem scilicet, et Gelasium mandasse probavimus.* Hucusque Nicolaus Papa. Attamen recitatis verbis, totaque epistola illud unum argumentum Gallicanorum diluitur, quod illi decretales veterum Pontificum ideo respuebant, quod in codice canonum eas insertas non conspicerent. Quod unum sane nil probat. Itaque Nicolaum eruditissimum Pontificem, nonnisi temere quis dixerit reapse propugnasse pseudepigraphas Isidori mercatoris epistolas, sed potius genuinas, et canonicas in codice canonum haud contentas. Videsis dicenda inferius *tit. 9. num. 6.*

(6) Gratianus *dist. 19. per totam.*

que Epistolarum Pontificibus ante Siricianis affictas, exploratior res est, quam ut probatione indigeat. In primis enim loca sacrae Scripturae iuxta vulgatam versionem a B. Hieronymo defaecatam, quae recentior est, plurima in iis Epistolis contenta sunt. II. Eas citare, et usurpare coeperunt scriptores saeculo abhinc novo, praetereaque nemo Patrum, qui praecedentibus octo saeculis res ecclesiasticas litteris tradiderunt. III. Doctrina in isdem conspersa dissonat ab infantili aetate Ecclesiae, et undecunque redolet formam regiminis aevo recentiore adoletam: nullo penitus verbo facto de haeresibus contemporaneis, persecutionibus, lapsis, Confessorum, et martyrum cohortatione ad consummandum martyrii cursum. IV. Posteriorum conciliorum, Pontificum, Patrum sententiis redundant. V. Ratio temporum, si notae consulares Epistolis adiectae conferantur cum annis Pontificum, non cohaeret. VI. Stylus fere unus, idemque sermonis character barbarie foedus abhorret ab elegantia locutionis, vel inter plebeios consueta prioribus saeculis. Detecta vera earundem falsitas Romanae Ecclesiae iuribus nunc haudquaquam detrahit, quae tot veris antiquitatis testimoniis maxime nituntur, et consistunt firmissime, ut observat Baronius (1).

IX. Recentiores Pontificum Epistolae quum ad singulares personas datae, tum encyclicae, seu circulares propalant manifestissime sollicitudinem universalis Ecclesiae, curamque pastoralem universi dominici gregis per totum orbem diffusi reapse a Romanis Pontificibus divi Petri Successoribus habitam.

X. *Regulas Cancellariae* Apostolicae, disponentes de reservationibus beneficiorum, deque ordine in expeditionibus, et negotiis dictae Cancellariae servando, edicunt sub plumbo singuli Pontifices crastino suae assumptionis die, quoad vixerint, duraturas. Istas *edictis* quidem *praetoriis* (sed non legibus) parem vim habere inde patet, quia perpetuae ipsae non sunt, omnesque, demptis aliquibus clausis in Corpore Iuris, aut continuas reservationes complectentibus, morte Pontificis edicentis expirant. Itaque iuris auctoritatem non modicam obtinent (2), quemadmodum et edicta Praetoris (3). Hoc tamen in regno quae libertatem patronorum, et iura patronatus quomodolibet deminuunt *Regulae* Cancellariae, nullam fere acceptationem sortitae sunt: secus aliae, quae reservant Sedi Apostolicae beneficia liberae collationis, et formam in iisdem conferendis praescribunt (4). Unde intelligitur, cur placitum regium bullis pontificiis super collatione beneficiorum facta vigore *Regularum* primi generis denegetur passim, alterius vero impertiatur.

XI. Primus *Regularum* auctor fuisse Ioannes XXII. saeculo XIV. communi consensione fertur ab earum interpretibus, Soto, Gomesio, Mandosio, Hieronymo Gonzalez, Kochierio, Molineo Luetio, Peleo, Quesada, et novissime a Io. Baptista Rigantio, qui Regulas LXXII.

(1) *To. 10. annal. ad an. 863.*

(2) Io. Fr. de Pavinis in *praeludio Extravag.* Zypaeus in *analytica enarr. iur. pontif. lib. 1. tit. de constit. n. 10.* — (3) §. *7. Inst. de iust. et iure.*

(4) Id saepe observavi in tract. *de beneficiis, et de iurepatr.* Ubi passim sermo habitus est de pluribus sigillatim *Regulis.*

*

eximii Papae Benedicti XIV., uberrimis commentariis illustratas tomis quatuor vulgavit. Sed clarissimus Muratorius (1), testatur inspexisse in ms. codice Cencii Camerarii Regulas ab Honorio III., praecedenti saeculo XIII. traditas notariis, et scriptoribus Cancellariae Apostolicae, et monumentum institutionis eiusdem Cancellariae super pensionibus dandis, et recipiendis anno circiter 1220; qui aevo Honorii congruit. Hinc licet coniicere ortas primum fuisse cum ipsamet Cancellaria, deinde adoletas paulatim novis additamentis, et ordinationibus succedentium Pontificum, ex quibus speciales cuiusque Regulae conditores indicat sigillatim laudatus Rigantius. Hodierna tamen forma earum diu sane est, cum nullam, vel permodicam subiit mutationem, novis Pontificibus iisdem fere verbis antiquas innovantibus.

XII. Obligare incipiunt Regulae a die immediato post novi Pontificis assumptionem, ut exprimitur in ipsarum prooemio: tametsi publicatio earum ad multos dies, aut hebdomadas quandoque differtur.

XIII. Triplex Regularum genus. Primum reservationes generales beneficiorum complectitur. II. res iudiciales. III. instructiones officialium Cancellariae. Quae ad reservationes beneficiorum pertinent, longe maioris momenti, quam ceterae sunt. Earum una vulgo dicitur *clausa in Corpore Iuris*, (puta in *cap. licet 2, et cap. praesenti 34. de praebendis in VI.*) populisque minus odiosa, quae scilicet Sedi Apostolicae reservat beneficia vacantia *apud Sedem* ipsam, et *in Curia Romana*, et beneficia Curialium, vel intra duas diaetas a Curia Romana, vel in quovis loco ab urbe remoto morientium, dum Curia ad locum alium transfertur. Reliquas omnes, licet in extravagantibus Ioannis XXII., aliorumque Pontificum contentas, extra Corpus Iuris Canonici habent, et aegriore ferunt animo. Priores in Corpore Iuris clausae reservationes nunquam expirant vacante Sede Apostolica, sed vigent semper: quemadmodum et quaedam aliae Regularum ex perpetuis bullis, ac constitutionibus Pontificum vel praecedentibus erutae, vel novis subsequentibus firmatae (2): et quae *fixas*, *continuasque* reservationes inducunt quum *personales* ratione officii, aut familiaritatis, tum *reales* maiorum beneficiorum, puta cathedralium Ecclesiarum, et monasteriorum, primae Dignitatis post pontificalem in cathedralibus, et principalis in collegiatis, omniumque beneficiorum in tribus basilicis Urbis. Ceterae autem Regularum reservationes quum ratione *temporis* (puta beneficiorum vacantium tempore viduatae episcopalis Ecclesiae, aut absentiae Cardinalium a titulis suis, Ecclesiisve suburbicariis, aut in mensibus apostolicis) tum ratione *loci*, puta per obitum non curialium intra duas diaetas ad

(1) Murator. *lib. 1. antiqu. Ital. medii aevi dissert. 12. col. 708.*

(2) Rocc. *disp. iur. cap. 80. n. 19.* Rigant. *in prooem Regul. n. 74.* Cuiusmodi sunt Regulae 32., et 33. Benedicti XIV. de non impetrandis beneficiis per obitum familiarium Cardinalium vacantibus sine consensu eorundem Cardinalium, quam faciunt perpetuam constitutiones Greg. XIV., et Pauli V. Alia de vacantibus per privationem apostolicam reservatis S. Sedi vigore constitutionis Pauli III. Alia de parochialibus contra formam Tridentinam collatis, quas reservat S. Pius. V. *const. 33.* Videnda quae scripsi in *tract. de Benefic. ecclesiast. cap. 5. num. 69.*

urbem accedentium, vel ab ea recedentium, existimantur *accidentales*, ac *discontinuae*. Eas ferme omnes iam explicui sigillatim, servato rerum ordine in tractatu *de Beneficiis Ecclesiasticis.*, praesertim *cap. V. de reservationibus*, *et affectionibus pontificiis*, indicans praeterea quibus earum, et quare Potestas regia hoc in regno adversatur.

TIT. VIII.

De sanctorum Patrum sententiis.

I. Patrum sententiae unanimes in rebus Fidei, et morum vim divinae, et apostolicae legis insuper habent.
II. Apostolicarum traditionum hostes constantem Patrum auctoritatem evertere variis calumniis frustra conantur.
III. Quam infallibilem promissio Christi Domini, et ratio commonstrant.
IV. Ubi Patres inter se dissentiant, secus iudicatur.
V. Clausa in Corpore Iuris dicta Patrum parem pontificiis decretis vim sortiuntur.
VI. Genuina Patrum opera a commentitiis discernenda sedulo sunt.

I. Tertium in definiendis dogmatibus, et morum regulis locum obtinet unanimis consensus SS. Patrum, quippe qui deficiente conciliorum, et Pontificum auctoritate, certam faciunt fidem catholicae doctrinae, tanquam testes probatissimi, et custodes apostolicarum traditionum. Patres idcirco dicti, quia scripta sua, velut patrimonium, ac hereditatem fidelibus perinde, ac filiis reliquerunt. Eorum venerandam auctoritatem commendant maxime illa Deuteronomii verba (1) : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi: maiores tuos, et dicent tibi.* Et ea Christi Domini clariora (2): *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Ecquis ergo sanae mentis abnegaverit infallibilem esse veritatem dogmatum nobis traditam uno Patrum ore qua veterum, qua recentiorum ?

II. Haeretici apostolicas traditiones oppugnaturi auctoritatem Patrum aspernari opus habent. Omnium omnia deliramenta ea in re Rivetus, et Dallaeus ex Calvini secta recinendo blaterant humanam, ideoque fallibilem, incertam, dubiamque esse fidem Patrum, perinde omnium, ac singulorum, paucissima superesse scripta trium primitivae Ecclesiae saeculorum, eaque ut plurimum corrupta, vel interpolata, vel omnino supposititia calumniantur; aut involuta sensibus obscuris, idiotismis, variatis vocum significationibus, allegoriis, metaphoris, figuris, artificiosis di-

(1) Deut. *cap. 32. vers. 7.* Iure merito Zosimus Papa in *can. contra 7. C. 25. q. 1. Contra statuta Patrum* (ait) *condere, vel mutare, nec huius quidem Sedis potest auctoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.* Hunc textum procedere in statutis pertinentibus ad Fidem catholicam, vel Ius naturale, aut divinum, commonent Glossa, Turrecremata, et Archidiaconus ibidem.
(2) Matthaei *cap. ult.*

cendi ornamentis, et mysticis locutionibus, ne arcanum ethnicis tunc ipsi panderent: ratione item polemica, quae in contrarium aliquando errorem eos abripuit; ac demum retractationibus sententiarum ultroneis, quae certitudinem adimunt.

III. Verum enim vero dum Patres unanimi sensu tradunt doctrinam Fidei non scriptam, ii Spiritu Dei aguntur, et filii Dei sunt. Per os quippe ipsorum *Spiritus veritatis docebit omnem veritatem* (1). *Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione chrisma veritatis certum acceperunt*, ait S. Irenaeus (2). Ecclesia catholica una est, et connexa, et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata (3). Fieri ergo non potest, *ut tot, ac tantae Ecclesiae in unam Fidem erraverint*, inquam cum Tertulliano (4). Profecto *Ecclesia Dei vivi columna, et firmamentum veritatis est* (5), quam repraesentant Patres, et Episcopi sive per orbem diffusi, sive in concilio simul congregati: et cui potest nemo praescribere, monente Tertulliano, *non spatia locorum, non intervalla temporum, non patrocinia personarum*. Quae de obscuritate, retractatione, fallibilitate obiectant heterodoxi, referenda sunt ad singulares Patrum opiniones, et sensus humani ingenii proprios, resque non dogmaticas. Quo spectavit S. Augustinus inquiens, *Christum semper veraciter iudicare, ecclesiasticos autem iudices homines plerunque falli* (6). Secus vero est de iis Patrum dictis, quae communem, apertum, perseverantem omnium consensum proferunt in rebus Fidei dogmaticis.

IV. Si quando tamen inter sese Patres dissentire inveniantur, attendenda est potior ratio cuiuslibet. Quo enim quisque ratione nititur meliore, eo maioris auctoritatis ipsius verba esse putantur (7). Hac autem in re standum est supremo iudicio Sedis Apostolicae, vel concilii generalis, quoties discordia Patrum vim legis adimit suis ipsorum dictis dissentaneis.

V. Quae a Iuris pontificii auctoribus selecta sunt, atque in Corpore Iuris inclusa Patrum dicta, parem cum statutis pontificiis vim habent. Nam sua fecit, quae probavit, et quibus auctoritatem suam impertita est Romana Sedes (8).

VI. Ne circumferamur omni vento doctrinae, Apostolus prohibet (9), negatque omnes esse Doctores (10). Itaque secernendi sunt codices commentitii sanctis Patribus falso inscripti (11) a genuinis, non secus, atque

(1) Ioannis *cap. 16.* — (2) *Lib. 4. cap. 23.*
(3) S. Cyprianus *epist. 69.*
(4) *Lib. de praescript. adversus haereticos cap. 28.*
(5) *Ep.* 1. *ad Timoth cap. 3.*
(6) S. Aug. *lib. 2. contra Crescon. cap.* 2.
(7) Gratian. initio *dist. 20.*
(8) Bonif. VIII. in *cap. si apostolicae 22. de praebend., et dign. in* VI, et Iustinianus in *l.* 1. §. *neque C. de veteri iure enucleando.* Videsis dicta superius *tit. 5. num. 26.*
(9) *Ep.* ad Ephesios *cap. 4.* — (10) *Ep.* 1. ad Corinthios *cap.* 12.
(11) Tales sunt libri constitutionum apostolicarum, itinerarium S. Petri S. Cle-

apocryphae decretales a canonicis. Nonnumquam ethnicorum testimonia Reipublicae christianae bene suffragantur. Hac in re praestat imitari S. Augustinum, qui nonnulla a paganis philosophis mutuatus ita monet (1): *si qua forte vera dixerunt, non solum formidanda non sunt, verum etiam ab his tanquam ab iniustis possessoribus in nostrum usum vindicanda.*

TIT. IX.

De collectionibus canonum.

I. Canones variis in locis, ac temporibus editos colligere simul studuerunt orientales, et occidentales.

II. Canones vulgo apostolicos, et constitutionum apostolicarum libros acto non S. Clemens, sed auctor incertus collegit.

III. Codex canonum Ecclesiae universae quarto saeculo prodiit quum graece, tum latine.

IV. Eumque subsecutae gradatim sunt graecae collectiones Theodoriti, Trullana, et Ghotii tot aliis celebriores.

V. Codex velut canonum, Ecclesiae Romanae a Dionysio exiguo concinnatus saeculo sexto.

VI. Dein accesserunt latinae collectiones chronologicae tam S. Isidori Hispalensis, quam alterius Isidori vulgo mercatoris, aliorumque.

VII Digestae aliae servato rerum ordine breviationes, collectiones, concordiae canonum, et decretorum plurimae.

VIII. Corpus luris Canonici quatuor nunc voluminibus continetur.

IX. Decretum *Gràtiani XII. saeculo editum praeviis collectionibus praevaluit rerum copia, et ordine.*

X. Quod a romanis Correctoribus emendatum novas adhuc admittit censuras curatiores.

XI. Decreta in eo contenta non eandem vim legis habent, sed variam pro conditione auctorum, a quibus ea Gratianus accepit.

XII. Primam huius operis partem distinctiones, *alteram* causas, *tertiam* de consecratione *Gratianus inscripsit.*

XIII. Quinque decretalium compilationes ad Gratiani Decretum accessere gradatim.

XIV. At sexta tantum Graegoriana primarius sextus Decretalium *editus in quinque libros distribuitur.*

XV. Mox alter Sextus Decretalis *Bonifacii VIII. in totidem libros dissectus.*

XVI. Tertius deinde Clementinarum *textus ex concilii Viennensis, et Clementis V. decretis, et constitutionibus conflatus.*

menti tributum, Actus Andreae, Philippi, Petri, et Thomae Apostolorum. Evangelium Thaddei, et Thomae, quo utuntur Manichaei, item Barnabae, Bartholomaei, Andreae: Actus Teclae, et Pauli, Poenitentiae Adae, Origenis, S. Cypriani. Physiologus ab haereticis S. Ambrosii nomine praesignatus. Opuscula Tertulliani, Posthumiani, et Galli, Montani, alterius Clementis Alexandrini, Cassiani, epistola Christi ad Agbarum Edessae regem, aliique sexcenti, quos inter apocryphos reiecit Gelasius in synodo Romana in *can. sancta Romana 3. dist. 15.*

(1) S. Aug. *lib. 2. de doctrina christiana cap. 40.*

XVII. Postremus Extravagantium *Ioannis XXII., et communium.*
XVIII. Extravagantes istae vim legis pontificiae insitam retinent, si ad tempus editae excipiantur.
XIX. Septimus Decretalium Lugdunensis privata prodiit auctoritate, alter Clementis VIII. suppressus in ortu suo est.
XX. Bullarii Romani constitutiones posteriores in compendium redigere, easque adnectere Decretalium rubricis, proficuum videtur.

I. Quo semel constituta iura promulgarentur latius, et possent omnibus innotescere, quae aut immota semper, aut novata aliquando essent, quaeque paulatim accessissent nova veteribus, collectiones canonum idcirco prodivere apud orientales primum, deinde apud occidentales.

II. Vetustissima omnium est collectio *canonum*, qui dicuntur *Apostolorum*, una cum octo libris *constitutionum*, vulgo *apostolicarum*, quam incertus quidem auctor post tertium saeculum paulo ante Nicaenam synodum peregit (1). Explorata enim res est eos, nec a sanctis Apostolis in concilio Hierosolymitano sancitos, neque a S. Clemente, divi Petri discipulo collectos. Sed meritissimo iure inter apocryphos fuisse ablegatos (2) : quidquid aliter senserint S. Ioannes Damascenus, Balsamon, Beveregius, Turrianus (3), Binius (4), qui omnes generatim esse legitimos Apostolorum foetus contendunt. Cardinales autem Bellarminus (5), et Baronius (6) post Hubertum (7) priores quinquaginta solum genuinos putant, reliquos triginta quinque non item : ad id opinandum

(1) Patres Nicaeni primum hos canones commemorarunt. Eos tamen incognitos fuisse post medietatem saeculi tertii, quo tempore ea controversia, an baptismus haereticorum validus, nec ne foret, diu exarduit inter Stephanum Papam, et B. Cyprianum Carthaginensem cum Firmiliano Caesareensi ; hoc vel unum suadet, quod Firmilianus, et S. Cyprianus aliis obscuris auctoritatibus maximo partium studio conquisitis nunquam laudaverint canones 46; et 47. vulgo Apostolorum, suae ipsorum sententiae manifeste faventes: quippe qui Episcopum, et presbyterum baptisma haereticorum admittentes, aut pollutum baptismo haereticorum non rebaptizantes, damnari ac deponi iubent. Ecquis eos crediderit unquam ignoratos a tantis viris, si extitissent ?

(2) A Gelasio Papa in synodo Romana in *can. sancta Romana 3. dist. 15*, a S. Isidoro Hispalensi in *can. 1. dist. 16*, ceteris emunctae naris Pontificibus, et Doctoribus. Nam in primis veterum Patrum nullus inter canonicas novi Testamenti scripturas accensuit canones hosce apostolicos, neque inter ecclesiastica scripta primi saeculi: tametsi eis diligentissime singulatim conquirendis vacaverint S. Hieronymus, Eusebius, aliique. Nec a Victore Papa secundo saeculo exeunte, totaque Romana Ecclesia contra Asianos quartadecimanos unquam obiecta fuit auctoritas *can. 7.*, quo vetatur celebratio Paschatis cum Iudaeis ante vernale aequinoctium. Il. nonnulli istorum canonum a doctrina Apostolorum, et moribus aevi apostolici longe dissonant, praesertim *can. 49.* de trina mersione baptizandorum, *can. 15., 35., 39., et 40.* de provinciis, et dioecesibus ecclesiasticis, de annuis Archiepiscoporum synodis, de portione Ecclesiae ab ea Episcopi distinguenda: ceteri id genus.

(3) *In defensione canonum Apostolorum contra Magdeburgenses Centuriatores.* — (4) *To. 1. Concil. in notis ad can. Apostol.*
(5) *Lib. de scriptoribus. ecclesiast. in Clemente.*
(6) *To. 1. annalium ad an. 102.*
(7) Leonis IX. legatum apostolicum *in can. Clementis 3. dist. 16.*

ducti, quia noverant eosdem L. priores in collectione Dionysii exigui ab Ecclesia Romana adoptatos, reiectis ceteris, et auctoritate canonica in occidente universo praeditos. Disciplinam secundi, et tertii saeculi, quae in plerisque orientalium Ecclesiarum servabatur, ex decretis Episcoporum synodicis ante Nicaenam synodum verisimiliter haustam, continent: et nonnisi sexto Ecclesiae saeculo vim legis communis omnino obtinuerunt apud universos orientales (1).

III. Quarto declinante saeculo apparuit graecus *codex canonum Ecclesiae universae*, complectens CLXV. canones continuato nexu sine aliqua interpollatione coordinatos, quos compilator incertus (2), desumpsit primum ex concilio Nicaeno, tum ex quinque particularibus synodis graecarum dioecesum, Ancyrana, Neocaesariensi, Gangrensi, Antiochaena, Laodicaena, demum ex generali concilio Constantinopolitano I. Hanc collectionem probavit concilium Chalcedonense (3), effecitque, ut usus canonum localium initio non egressus dioeceses, aut provincias, in quibus conditi essent (4), ad Ecclesiam postea Romanam, seu verius universam extenderetur ope huius codicis, in latinum quoque sermonem translati.

IV. Procedentibus temporibus nedum adnexi modo dicto codici fuerunt canones CCVII. Chalcedonenses, verum aliae etiam collectiones a diversis viris concinnatae qua graecis, qua latinis. Celebriores graecorum sunt ea Theodoriti Episcopi Cyrensis, Trullanae synodi, et Photii; praeter nomocanones, et synopses Theodori Abbatis, Simonis Logothetae, Alexii Aristini, Arsenii, Harmenopuli, Pselli, Anonymi, Matthaei Blastaris, et si quae sunt aliae.

V. Eandem latini provinciam suscipere non destiterunt. Saeculo VI. Dionysius exiguus graecis, latinisque litteris instructissimus novo codici latine conflando, qui *codex vetus canonum Ecclesiae Romanae* inscribitur, manum admovit, confusione priscae versionis incitatus. In eo ultra canones CLCV. vetusti codicis graeci recensuit canones CCVII. Chalcedonenses, deinde L. canones vulgo Apostolorum, tum Sardicenses

(1) *Ex Nov. 6.* Iustiniani *in fin. praefat.* ad Epiphanium Patriarcham Constantinop., ex sexta synodo oecumenica in *can. placuit 4. dist. 16.*, ceteris graecorum synodis.

(2) Alii cum Christophoro Iustello, qui in veteri ms. codice bibliothecae palatinae inspexisse nomen inscriptum Stephani Episcopi Ephesini tradit, hunc existimant auctorem, Petr. de Marca *lib. 3. de concord. cap. 3.* Alii Sabinum Heracleae putant cum Antonio Augustino *in praef. 2. epitom. Iuris pontif.* ex Socrate *lib. 1. hist. eccl. cap. 5.* Neutri assentitur non sine causa Io. Doviatius *lib. 3. praenot. can. cap. 3*, existimans de auctore isto non liquere satis.

(3) *Can. 1*, ibi: *Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus.*

(4) Alios praeter Nicaenos canones ab Ecclesia Romana probatos non fuisse ante concilium Chalcedonense, liquet ex Innocentii I. *ep. 31.* ad Theophilum Alexandrinum in coll. Labbeana, et Coss. *Tu quoque* (ait) *iudicio accurre ad synodum proxime in Christo celebrandam* (puta pro causa S. Io. Chrysostomi) *et illic iuxta Nicaeni concilii canones, et decreta contende: alios quippe canones Romana non admittit Ecclesia.* Idemque Pontifex eadem fere scripsit ad Clerum Constantinopolitanum, teste Sozomeno *lib. 8. hist. cap. 16.*

CCI., et Africanos CCCCVIII. ad extremum decreta pontificia a Siricio, usque ad Hormisdam. Collectio haec usum celeberrimum, et universalem sortita est in Ecclesia Romana, et iudicis ecclesiasticis occidentalium (1).

VI. Post acceserunt passim perplures novis canonibus, et decretis locupletatae collectiones, duplicis tamen formae. In alteris enim recensio canonum, et conciliorum continua, servato solum ordine temporum sini ulla distinctione materiarum perinde facta est, atque in veteri iam dicto codice Dionysiano. Quales sunt ea S. Isidori Hispalensis, et alia pseduo Isidori, vulgo dicti mercatoris saeculo octavo. Praetereaque recentiores conciliorum elaboratae XVI. saeculo a Iacobo Merlino, Petro Prabbeo, Francisco Ioverio, Laurentio Surio, Severino Binio, et superiori saeculo postrema a Philippo Labbeo, et Gabriele Possartio, cuius editio novis additamentis uberrima, et tomis CCIII. recusa Venetiis est anno 1728. In singulis hisce posterioribus collectionibus prostant commentitiae priscorum Pontificum epistolae ante Siricium, quas pseudo Isidorus primum evulgavit. Hunc alii putant fuisse Isidorum Episcopum Setubensem, qui adfuit Toletano XVI. concilio (2), opera cuiusdam monachi Benedictini usum. Alii cum Blondello malunt Benedictum levitam Moguntinum in Gallia Belgica, ubi ea primum apparuit, collectionem pseudo Isidorianam constasse, inscriptam Isidoro S. Eulogii Cordubensis fratri Moguntino mercatori (3). Utraque opinione reiecta Ioannem Anglum, qui sub Carolo M. in Galliis, mox Moguntiae degit, sub Isidori mercatoris nomine latere verosimilius coniicit Carolus Blascus coaevus noster in absolutissimo commentario *de collectione canonum Isidori mercatoris* (4). Larvatus iste Isidorus *hac fraude* suppositarum decretalium (inquam cum Petro Coutantio), *quam sit perniciose de Ecclesia meritus, dici vix potest. Hinc debilitati penitus, fractique disciplinae nervi, perturbata Episcoporum iura, subiectae iudiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictae: hinc discordiarum, seditionum, aut litium seges immensa, quae tot saeculis ad Ecclesiae dedecus, fideliumque offensionem frutificavit. Neque id solum, sed alienae etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumnias fenestra. Cum enim putida tot scripta mendacii insimulare promptum esset, ac re quidem vera insinua darent ipsi, convincerentque, gradum inde ad genuina insimulanda fecerint. Errorem, ut par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipsam involarunt. Exprobata catholicis nimia credulitas, fuco falsi adspersa sapientissima decreta, sanctiores ritus explosi, reiecta sine pudore, ac modo fundatissima quaeque summorum Pontificum iura, aut certe ad tenuem, exilemque umbram redacta* (5). Toto coelo

(1) Cassiodorius *cap. 23. divinar. lection.* haec de Dionysio inquit: *Ex graecis exemplaribus canonos ecclesiasticos. . . magna eloquentiae luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Romana Ecclesia complectitur.* Contestis hac in re est Leo IV. in *can. de libellis 1. dist. 30.*

(2) Ex chronico Luitprandi ad *an. 1681.*

(3) Blondell. *proleg. cap. 5.* — (4) *Cap. ult. §. 3.*

(5) Hucusque Petrus Coutantius *in praefat. §. 10.*

aberrare, qui obmurmurant Romanos Pontifices tantae fraudis conscios, vel suasores fuisse, praelaudatus Blascus luculenter commonstrat, adstruens coniecturis minime spernendis Ioannem Anglum Moguntiae degentem commentitias decretales conscio Riculfo Archiepiscopo Moguntino, qui dignitatem Primatis Galliae, et Moguntiae perpetuam sibi, et sedi suae Moguntinae addicere studebat, contexuisse. Quandoquidem tradit Hincmarus Rhemensis, quod *collectarum* cuiusmodi *epistolarum* volumen *de Hispania allatum Riculfus Episcopus Moguntinus in huiusmodi* epistolis, *sicut et in Capitulis regiis* (puta Capitularibus) *studiosus obtinuit, et istas Galliae regiones ex illo repleri fecit* (1): tametsi opinione vulgi, et Riculfi testimonio deceptus Hincmarus eas credidit a B. Isidoro Hispalensi collectas, quo ficto nomine ipsas ambabus ulnis Hispani primum, mox Galli, ceteri per occidentem, nonnullique orientalium exceperunt. Enim vero studuit potissimum fallax Isidorus (2), potestatem Primatis adeo stabilire, atque ampliare, ut Romani Pontificis iuribus non semel detrahat, et parem priscis Patriarchis faciat: et quod magis est, universalem curae sollicitudinem Episcopis modo tribuat Primatui Romano iniuriosam, modo ordinariam Episcoporum potestatem subruat omnino, eamque nonnisi ab Apostolica Sede prima delegatam, et profluentem fateatur. Si quam monarchicam dominationem primae Sedis, et sanctitatem perpetuam exagerat, quid opus apocryphis testimoniis habet lux ipsa ex divinis Bibliorum oraculis in Orbe toto effulgens?

VII. Altera forma collectionum recentior distribuit ordine materiarum fragmenta canonum, quae ad positas ingenio auctoris rubricas collimant. Cuiusmodi sunt *Breviatio canonum* a Fulgentio Ferrando Carthaginensi diacono concinnata, *Collectio canonum orientalium* Martini Bracarensis, *Breviarium canonicum*, *et Concordia canonum* Cresconii Africani Episcopi, *Capitula* L. ab Hadriano Papa tradita Ingilramno Mediomatricum Episcopo, et *Codex canonum* ab eodem Pontifice oblata Carolo M., liber *canonum poenitentialium* Anonymi, *Poenitentiale* item Romanum, et Theodori, Bedae, Egiberti, ac Rabani Mauri, *canonum collectio* Reginonis Abbatis, *Decretum* seu *magnum Decretorum volumen* Burchardi Wormaciensis Episcopi, *authentica*, *et compendiosa collectio regularum* Anselmi Lucensis, *Tarraconensis*, *et Caesaraugustana collectio* Hildeberti Caenomanensis, liber *Canonum*, *et contra invasores* Cardinalis Deusdedit, *Decretum*, *et Pannormia* Ivonis Carnotensis, *Polycarpus* Gregorii Hispani presbyteri, collectio Hibernica, Codex Andegavensis ceterae.

CAP. I.

De Corpore Iuris Canonici.

VIII. *Decretum*, *Decretales*, *Sextus*, *Extravagantes* totum conflant Corpus Iuris Canonici aeque in scholis, atque in iudiciis receptissimum.

(1) Hincmarus *opusc. 33. cap. 24.*
(2) Idem *opusc. 45. cap. 21.*

IX. *Decretum* vulgo appellatur collectanea decretorum canonicorum, numero 3090., quam Gratianus Tuscus monachus benedictinus privata edidit auctoritate sub Eugenio III. anno 1151., eique hunc ideo titulum inscripsit *Concordia discordantium canonum*, quia canones in speciem pugnantes sategit, interiectis passim interpretationibus, conciliare. Ea tantam apud omnes aestimationem, laudemque nacta continuo est, ut cunctis aliis, quae praeiverant, neglectis collectionibus, solam ipsius auctoritatem ultro sectarentur omnes quum in scholis, privatisque interpretationibus, tum in iudiciis, et auctorem communi consensione insignirent titulo *Magistri Decretorum*. Quippe qui ceteris praestare visus est in primis copia rerum uberiore, magnisque additamentis recentiorum canonum, et legum. 2. partium methodo, quae redolet Iustinianaeam coordinationem Iuris Civilis. 3. disputatione causarum, seu quaestionum forensi potius, quam scholastico more. 4. conciliatione canonum sibi invicem adversantium, et solutione difficultatum plerunque idonea, et recta. His praeclarum addatur iudicium viri et sanctitate, et sapientia eximii S. Caroli Borromaei, qui Antecessorem canonibus Gratiani declarandis instituit, *unde sacra* (inquit) *maiorum instituta, et ritus, optimumque Ecclesiae administrandae genus hauriretur.*

X. Menda tamen quamplurima in istiusmodi opus irrepserunt, quae Gratianum detegunt magis vitio temporis, quam ingenio expertem fuisse scientia morum primitivae Ecclesiae, historia, et authographis codicibus: locupletem vero falsis mercibus pseudo Isidori, impurisque ceterorum collectionibus, et synopsibus. Permulta porro capitula obtrudit desumpta ex commentitiis epistolis Pontificum ante Siricium, alia apud auctores inscriptos nullatenus inventa, alia corrupta, vel detorta in alienum sensum, aliter quam in authographis inveniuntur, alia, quae diversi auctores dixerunt, uni solum attributa. Tandem in conciliandis canonum antinomiis haud semel hallucinatus est. Naevos istos deprehendere orsi sunt cum glossatoribus S. Antoninus, Io. Quintinus, Antonius Demochares, Antonius Contius, Antonius Augustinus. Dum hic duos libros *de emendatione Gratiani* conscriberet, Pius IV., et V, tum Gregorius XIII. Pontifices providentissimi id interesse rei publicae rati, ne pessundaretur omnino Corpus Decretorum, neve eius auctoritas vacillaret, provinciam emendationis demandarunt viris lectissimis (1), quos *Correctores Romanos* appellant. Hi textu nil mutato innumeris notis in margine atque in calce singulorum fere capitum adiectis indicarunt, suppleveruntque germanas epigraphes, lectiones, sententias, collatis, visisque codicibus antiquissimis ad id undique conquisitis. At plura superesse adhuc corrigenda, et Gregorianam correctionem non obsistere novis emendationibus, ac censuris curatioribus, commonuit scitissime Benedictus XIV. (2).

(1) Eos nominatim laudat Doviat *lib. 4. praenot. cap. 13.*

(2) *Lib. 4. par. 2. de Serv. Dei beatif., et beat. canonizat. cap. 17. n. 10.* ubi collaudantur ad id comprobandum Doviat *in praenot.* Schelestrat. *in antiqu. illustr. dissert. 2. cap. 13. n. 338.* Card. Bellarmiu. *de scriptor. eccles.* Petrus, et Franc. de Pithoeis.

XI. Publica Sedis Apostolicae auctoritate destitutum Corpus Decretorum quum ante, tum post Gregorianam emendationem, non est, qui iure abnuat. Vim ideo iuris communis non habent singulae in eo contentae sententiae : sed quaelibet suam primigeniam, qua extra collectaneam potiretur, nunc etiam obtinet. Nam Gratianus solam magistri, et monachi personam gerens ea, quae refert, non potuit efficere ut maiori pollerent auctoritate, quam antea fuerint, inquam cum Antonio Augustino (1). Itaque si qua sunt ab eodem relata ex pontificiis epistolis, aut ex conciliis generalibus, ea suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent. Secus quae ex provincialibus conciliis, aut ex Episcoporum, aliorumque sanctorum Patrum libris, aut epistolis accepta sint. Accidit autem saepe, ut falsae sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum: iude fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quae dicuntur esse sumpta ex Romanorum Pontificum, aut generalium conciliorum decretis: sed necesse est adire fontes, unde manarunt, ut certa ab incertis distinguamus. Decem idcirco genera locorum in volumine Gratiani sunt distinguenda. 1., ex sacrae Scripturae libris decerpta 2. ex conciliis qua oecumenicis, qua localibus. 3. ex epistolis partim veris, partim apocsyphis Romanorum Pontificum. 4. ex libris Patrum graecorum, et latinorum. 5. ex canonibus, qui dicuntur Apostolornm. 6. ex tribus libris poenitentialibus. 7. ex codice Theodosiano. 8. ex Pandectis, Codice, et Novellis Iustiniani. 9. ex Regum Francorum capitularibus. 10. tandem assertiones ipsius Gratiani, aut in Distinctionum, Causarum, et Quaestionum initiis propositae, aut interpolatae ad concordiam dissentientium canonum. Multa item capita praeseferunt inscriptionem *Paleae*, qua significari appendices in margine primum adscriptas, et postea in Corpore insertas conficiunt probabilius Romani Correctores, posthabitis aliorum opinamentis ex eo, quod istas abesse in pluribus vetustissimis codicibus, in uno autem castigatissimo ad marginem superadditas viderint.

XII. Tres in partes summas opus distribuit Gratianus. Primam *Distinctiones*, secundam *Causas*, tertiam tractatum *de Consecratione* nuncupavit. Pars primo complectitur Distinctiones, puta titulos CI. quarum priores viginti originem, auctoritatem, variasque species canonum edisserit ad apparatum generalem: reliqnae de *personis* clericorum, eorumque distinctis dignitatibus, ordinationibus, officiis exhibent tractatum, qui vulgo dicitur *ordinandorum*. Secunda pars subdividitur in *Causas* XXX, et earum singulae in plures *Quaestiones*. Siquidem *Causas* Gratiano placuit dicere, quas alii passim *rubricas*, seu *titulos* appellant, quemadmodum et *Quaestiones*, quas *capitula*, seu *articulos* ceteri, aut *paragraphos*: eo quod res forenses, et formam iudiciorum ecclesiasticorum pertractet in criminalibus, et civilibus. Ordinem partis huius perplexum, interruptum, et mixtura dissentanearum rerum confusissimum vix unus erit, qui valeat excusare, probare quidem nemo. In ea post *Causam* 33. *qu.* 3. spectantem Matrimonii Sacramentum, interiectus est tractatus *de Poenitentia*, qui constat septem distinctionibus, seu ti-

(1) Ant. Augustin. *in praefat. ad canones poenitentiales.*

tulis Tertia, et ultima septem distinctionibus agit de consecratione Ecclesiarum, Sacramento Eucharistiae, festis diebus, Baptismo, Confirmatione, divinis officiis, ieiunio, Sanctorum veneratione, ad extremum de Fide.

XIII. Post Gratianum quinque *Decretalium* compilationes antiquae in lucem psodiverunt intra curriculum annorum 70., quae tamen a scholis, et iudiciis dudum exularunt. *Primam* anno circiter 1190. composuit Bernardus Papiensis Praepositus ex constitutionibus Alexandri III; et successorum Pontificum usque ad Coelestinum III. *Secundam* adornavit Iohannes Vallensis ex Coelestini III. potissimum decretalibus. Utraque privatim vulgata nullam in iudiciis fidem habuit, nisi scriniarii Ecclesiae Romanae singulas epistolas ante revidissent, ac comprobassent (1). *Tertiam* confecit Petrus Beneventanus diaconus de mandato Innocentii III; haustam ex ipsius Papae registris, quae idcirco vocata est absolute Innocentiana compilatio. *Quartam* idem Innocentius III. peragendam iussit incerto auctori ex decretis concilii generalis Lateranensis, et libris regesti sui sequentibus post XII. Quatuor has omnes compilationes una cum scholiis dudum vulgavit Antonius Augustinus. *Quintam* concinnavit Honorius III. ex suis ipsius decretalibus: eamque ab Antonio Augustino, et Contio, ceteris desideratam iuris publici fecit anno 1645. Innocentius Cironius, notisque illustravit eruditissimis.

XIV. *Sextam* iussu Gregorii IX. anno 1230. adornavit S. Raymundus Pennafortius Barcinouensis Ordinis Praedicatorum, in qua praeter nonnullas S. Scripturae, Patrum, et synodorum sententias congessit pontificias praecedentium quinque compilationum constitutiones, et epistolas, resectis superfluis, et paucis aliquando immutatis, novisque ipsius Gregorii superadditis. Hanc pontificia auctoritate omnino confirmavit Gregorius ipse IX, per totum orbem legendam, ac servandam iussit (2), et legis communis vim omnibus in ea contentis indidit. In quinque libros distributa est. Quorum in primo agitur de sacris iudicibus, et Praelatis. In secundo de iudiciis, praesertim civilibus. In tertio de rebus ecclesiasticis, et clericorum, et laicorum, quae solent in civilibus sacri fori causis tractari. In quarto de rebus matrimonia, et sponsalia spectantibus. In quinto de iudiciis criminalibus, eorumque forma, de criminibus, et poenis. Singulis respondent sequentis hexametri vocabula. *Iudex*, *iudicium*, *Clerus*, *connubia*, *crimen*. Haec compilatio Gregoriana, quae pars est praecipua *Corporis Iuris Canonici*, appellantur *textus Decretalium*. Praecedentes quinque Decretalium compilationes e scholis, et iudiciis eliminatas per istam compilationem fuisse condoluerunt interpretes, non iniuria indignati S. Raymundum utilia permulta ex integris decretalibus, praesertim factorum narrationes resecuisse, nonnullas quoque particulas immutasse, et quasdam perutiles constitutiones omnino omisisse. Eas ob res textum hunc quoque corrigendum curavit Gre-

(1) Quod rescripsit Innoc. III. ad Heliensem Episcopum in *cap. 3. de fid. instr. in 3. compil.*, *et cap. pastoralis 8. eod. tit.*

(2) Patet ex const. *Rex pacificus*, seu praefationis epistola, quae initio huiusce operis impressa est, ad Bononiensem Academiam data.

gorius XIII. ad collectionum antiquarum, et regestorum pontificiae Sedis amussim, cuiusmodi beneficio prodiit inter alias editio Petri, et Francisci de Pithoeis emendatior. Ad assequendam itaque perfectam cognitionem canonum, et decretalium, oportet saepe fontes adire; antiquas puta collectiones a Francisco Pegna Hispano primum indicatas in notis marginalibus, regesta pontificiarum epistolarum, et conciliorum acta: id quod prae ceteris fecerunt Contius, Antonius Augustinus, Emmanuel Gonzalez. Tum animadvertere quidnam erroris, abusus, vel quaestionis dederit occasionem canoni, vel epistolae: historiam inquirendo ex coaevis scriptoribus, et variatas vocum significationes prescrutando ex usu temporum, et vicissitudinibus purae, mediae, infimaeque latinitatis, in glossario praesertim Caroli Fresnei.

XV. Alterum Iuris Canonici volumen *Sextus* ideo nuncupatur, quod quinque libris Decretalium Gregorii IX. accesserit, quamvis rubricas non diversas quidem a Gregorianis; sed easdem, quae numerantur LXXIX, in quinque item libris dispositas iuxta methodum eiusdem textus Gregoriani exhibeat. Complectitur constitutiones octo Pontificum, qui post Gregorium IX sederunt, scilicet Innocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Clementis IV., Gregorii X, Martini II., vulgo IV, et Bonifacii VIII: praetereaque duorum generalium conciliorum Lugdunensium I et II. Iussu Bonifacii VIII. compactum est a Guilielmo de Mandagotto Archiepiscopo Ebrodunensi, Berengario Fredono Biterrensi Episcopo, et Richardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, ad cardinalitiam postea dignitatem evectis, ab eodemque Pontifice sub bulla transmissum ad Universitatem Bononiensem anno 1298, ut eo uterentur in scholis, et iudiciis, nullas alias Praecessorum Pontificum post editionem voluminis Gregoriani promulgatas *pro decretalibus habituri* (1). In Gallia ob acerrimas contentiones inter Bonifacium VIII., et Philippum Pulchrum Regem *Sextus* hic non eamdem vim obtinuit, quam textus Gregorianus (2): at alibi partem alteram facit Corporis Iuris Canonici.

XVI. *Clementinas*, quarum codex *Sexto* subnectitur, quum ex decretis generalis concilii Viennensis, tum ex constitutionibus, et epistolis suis Clemens V. coordinari curavit ad formam Decretalium. Eoque, antequam publicarentur, morte praevento, successor Ioannes XXII. publica donatas auctoritate promulgavit anno 1317., deditque Avenione bulla obsignatas ad supradictam Bononiae Universitatem in iudiciis, et scholis usuram (3).

XVII. Post Clementinas in eodem Sexti volumine prostant duo *Extravagantium* codices. Prior cum inscriptione *Ioannis XXII.*, posterior *Extravagantes communes*. Priorem codicem Ioannes XXII. suis ipsius tantum constitutionibus compositum Avenione edidit anno 1325. Cum vero nulli studiorum Universitati rite misisset, nec bulla munitas pontificia evulgasset, *Extravagantium* nomine donatae sunt omnes in eo coniectae constitutiones, quod extra Corpus authenticum Iuris vagaren-

(1) Verba sunt finalia ep. Bonifacianae initio *Sexti* procusae.
(2) Fr. Florens in *dissert. de orig. art., et auctorit. Iuris Canonici.*
(3) Epistola Clementis ad Doctores, et Scholares Bononiae praefationis locum occupat in codice Clementinarum.

tur. *Extravagantes communes* privatus auctor circa annum 1484. compilavit ex constitutionibus Pontificum XXV., quot numerantur ab Urbano IV. (1), usque ad Xystum IV. (2).

XVIII. Corpus Iuris Canonici nedum Decretalibus Gregorii IX, Sexto, et Clementinis, sed *Extravagantibus* etiam constare dixit Gregorius XIII. (3). Quoniam vero sub vetusto extravagantium titulo eas attexuit voluminibus Iuris, primaevam naturam non mutasse visae sunt: adeoit non clausae quidem in Corpore Iuris putentur (4) reservationes beneficiorum, quas Ioannes XXII., aliique successores edixerunt plerumque ad vitam sui ipsorum duraturas (5). Attamen in ceteris rebus vim legis pontificiae obtinent, quum fidem eis indubiam adstruat auctoritas codicis Romani post Gregorianam emendationem recusi (6). Secus dicendum de extravagantibus aliis privato nomine collectis, quarum veritas, ac tenor in dubium quandoque revocatur, nisi in authentica forma producantur singulae (7).

XIX. Post extravagantes communes adiunxere lugdunenses bibliopolae in editione Corporis Iuris Canonici anno 1661. *septimum decretalium*, qui in Romanis editionibus desideratur, a Petro de Mattheis iureconsulto Lugdunensi privatim editum, dicatumque Cardinali Caietano. *Septimum* quoque librum decretalium cogitaverat Gregorius XIII. promere, demandata eius compilandi provincia Cardinalibus Fulvio Ursino, Francisco Alciato, et Antonio Caraffae (8); at e vivis sublatus infectam reliquit operam. Eam prosequuturus Xystus V. commisit Cardinalibus Pinello Aldobrandino, et Columnae, absolutam inde sub Clemente VIII., qui fuerat modo dictus Cardinalis Aldobrandinus, inscripto

(1) Si vera est inscriptio *cap.* 1. *de simonia.*

(2) Postrema, si tempus spectetur, est in *Extravag. com. cap. 2. de reliqu. et vener. Sanct.* decretalis epistola Xysti IV., edita an. 1483.

(3) In const. *cum pro munere*, quae habetur initio Decreti. Rectius eas ab Iuris Corpore abscindit sapientissimus Bened. XIV. in ep. ad Doctores, et scholares Bononiae praefixa *to.* 1. *Bullarii sui.*

(4) Van-Espen *par.* 2., *tit.* 23. *cap.* 4. *num.* 3., Garz. *de benef. par.* 3. *cap.* 1. *n.* 130., Rigant. *in reg.* 1. *Cancell.* §. 1. *n.* 46.

(5) Quales sunt *Extravag.* ex debito *de elect.* regimen *de praeben.*, *et dignit.* et un. *de tregua, et pace.*

(6) Sententia quippe si proferatur contra Extravagantem rite promulgatam, atque indubitatam, nullius erit momenti, *gl. in prooem. Clementinar. ver. de cetero, in Clem. nolentes de hereticis*, Io. Fr. de Pavinis *in praeludio ad Extravagantes.*

(7) Quod rescripsit Innocentius III. ad Heliensem Episcopum *in cap. pastoralis 8. de fide instrum.*, alias *cap. 3. eod. tit. in 3. collect.*, *et Clem. Romani de iureiur.* Profecto haud semel dubitatum est, an revera, nec ne Pontifex aliquam edixisset constitutionem, aut typographi exscriptoresque vitiassent, et nonnihil, praeter intentionem legislatoris interpollassent. Idipsum contigisse in bulla 41. Pii V., quae incipit *etsi mendicantium*, declarat Gregorius XIII. in sua *const.* incipiente *in tanta*, Kal. Maii 1573., qua tres Pianas constitutiones pro Ordinibus Mendicantium editas reduxit ad terminos Iuris communis: additque §. 4, quod S. Pius V. interdum conquestus sit multa alio sensu a se prolata fuisse, quam litteris essent expressa.

(8) Struvius *in histor. Iur. canon. cap.* 7. §. 34.

titulo *septimi decretalium Clementis VIII.* Cum vero inserta in eo fuissent decreta conciliorum Florentini, et Tridentini, cuius interpretationem omnibus sub censura vetuerat Pius IV., ne interpretibus daretur occasio conscribendi glossas, et commentarios contra Pianam constitutionem, suppressa penitus fuit publicatio voluminis, quod idcirco ut lucem vidit, e luce sublatum est.

XX. In magno Bullario Romano tot extravagantes aliae Pontificum constitutiones exinde excreverunt, et gliscunt in diem, ut necessaria videatur, et maxime profutura quum scholis, tum iudiciario foro nova earum collectio compendiaria libris, et rubricis decretalium adnectenda. Eam aliquis utinam aggrediatur idoneus, bono publico prospiciens!

TIT. X.

De Concordatis

I. Capitularia Regum Galliae a Legatis pontificiis comprobata apud Italos etiam usuvenerunt.

II. In regno Neapolitano Guilielmus Rex cum Hadriano IV. primus decem concordiae articulos constituit de rebus ecclesiasticis.

* *Huc singuli e regio apud Baronium diplomate proferuntur.*

III. Secundos Clemens IV. explicuit in Bulla investiturae, quos observaturum iuravit Rex Carolus I. Andegavensis.

* *Hi ex Raynaldo, Chioccarello, et Gr. Grimaldo recitantur.*

IV. Tertios concordata Honorii IV. cum Carolo II. Andegavensi condiderunt.

* *Quos referunt Summontius, de Nigris, et Grimaldus.*

V. Alia Honorii IV. Capitula nostri dubitant, an vim legis unquam obtinuerint.

VI. Pacta cum Regibus nostris Andegavensibus conventa posterioribus investiturarum litteris pontificiis innovata fere sunt.

VII. Liberam episcopalium Ecclesiarum omnium, beneficiorumque collationem pactus est Innocentius VIII. cum Rege Ferdinando.

VIII. Tum Clemens VII. Carolo V. indulsit regiam nominationem ad XXIV. cathedrales huius regni Ecclesias.

IX. Concordata novissima Benedicti XIV. cum Carolo Rege multas de rebus ecclesiasticis controversias composuerunt.

I. Ecclesiasticae politiae pars haud modica nititur *Concordatis*, nimirum Capitulis inter Pontifices Romanos, ac Reges conventis. Capitularia Regum Francorum, puta edicta Caroli Magni, Ludovici Pii, et Lotharii Imperatorum, quibus accesserunt alia Caroli Calvi, a Legatis pontificiis Ansegiso Archiepiscopo Senonensi, et Otgario Archiepiscopo Moguntino comprobata, nedum in Gallia, verum etiam in Italia vim insignem habuerunt, eaque observaturum rescripsit Leo IV. ad Lotharium (1). De eorundem auctoritate, methodoque confusissima plura con-

(1) Leo IV. in *can. de capitulis 9. dist. 10.*

gessit eruditissimus Franciscus Pithoeus in *Glossario Capitularium*, et Stephanus Balutius ea duobus volumina vulgavit cum adnotationibus criticis, et historicis. Alia quoque in aliis regnis condita sunt, quae nostra non interest inquirere. Operae vero pretium est municipalia nostra perscrutari.

II. In primis occurrunt decem articuli pacis, quos anno 1156. iniverunt Rex Guilielmus, et Hadrianus IV. Beneventi obsessus, relatos a Baronio (1). Pro ea temporum conditione cautum est de causis ecclesiasticis in gradu appellationis ab Ecclesia Romana iudicandis, de

(1) *To.* 12: *annal. ad an.* 1156. Ubi diploma Regis Willelmi ad Hadrianum mense Iunio 1156. datum haec habet. I *De appellationibus quidem ita. Si aliquis clericus in Apulia, et Calabria, et aliis terris, quae Apuliae sunt affines, adversus alium clericum de caussis ecclesiasticis querelam habuerit, et a Capitulo, aut Episcopo, vel Archiepiscopo suo, seu alia ecclesiastica persona suae provinciae non poterit emendari, libere tunc si voluerit ad Ecclesiam Romanam adpellet.* II. *Translationes in Ecclesiis fiant, si necessitas, aut utilitas Ecclesiae aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, et vos, aut vestri successores concedere voluerint.* III. *Consecrationes, et visitationes libere Romana Ecclesia faciet Apuliae, vel Calabriae civitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quae Apuliae sunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum heredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra, nostrorumque heredum.* IV. *In Apulia, et Calabria, et partibus illis, quae Apuliae sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiae non devastent.* V. *In Sicilia quoque Ramana Ecclesia consecrationes, et visitationes habeat, etsi de Sicilia personas aliquas ecclesiastici ordinis vocaverit, magnificentia nostra, nostrorumque heredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda corona, remoto malo ingenio retinebit, quas providerit retinendas. VI. Cetera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quae habet in aliis partibus regni nostri, excepta appellatione, et legatione, quae nisi ad petitionem nostram, et heredum nostrorum ibi non fient. VII. De Ecclesiis, et monasteriis Terrae nostrae, de quibus Romanae Ecclesiae quaestio mota fuit, sic fiat. Vos quidem, et vestri successores in eis habebitis eas, quae in ceteris Ecclesiis, quae sub nostra potestate consistunt, solitae sunt accipi consecrationes, et benedictiones a Romana Ecclesia, et debitos insuper, et statutos ei census exolvant. VIII. De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in personam idoneam, et illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiae nostrae pronuncient, et postquam persona celsitudini nostrae fuerit designata, si ea de proditoribus, aut inimicis nostris, vel heredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiae nostrae non extiterit odiosa, vel alia in ea caussa non fuerit, pro qua debemus assentire, assensum praestabimus. IX. Profecto vos nobis, et Rogerio Duci filio nostro, et heredibus nostris concedetis regnum Siciliae, Ducatum Apuliae, Principatum Capuae, Neapolim. et Salernum, et Malphiam, Marchiam, et alia, quae tenemus sacrosanctae Ecclesiae Romanae iure detenta, et contra omnes homines adiuvabitis honorifice manutenere. X, Pro quibus omnibus vobis, vestrisque successoribus fidelitatem iuravimus, et vobis ligium homagium fecimus. Et censum sexcentorum schifatorum de Apulia, et Calabria, quingentorum vero de Marchia, vel aequivalens in auro, vel argento nos, ac nostros heredes Romanae Ecclesiae statuimus annis singulis soluturos.* Capitula ista confirmavit Hadrianus Beneventi obsessus suo diplomate ad Regem dato eodem mense, ut refert Baronius *to.* 12. *ad an.* 1156.

consecrationibus, et visitationibus apostolicis Ecclesiarum regni, de legationibus pontificiis, electionibus ecclesiasticis, et investitura regni.

III. Tum Capitula XXIV. a Clemente IV. praescripta sunt in bulla investiturae regni utriusque Siciliae ad Carolum Andegavensem, data anno 1265., qui ea observaturum iuravit (1). Attinent potissimum ad investiturae leges, privilegia, finesque status Beneventi, libertatem electionum ecclesiasticarum, salvo iurepatronatus, immunitatem realem Ecclesiarum, et personalem clericorum.

IV. Celebriora fuere capitula 46. Caroli II. Andegavensis in plano S. Martini apud Brutios congregato Episcoporum, baronum, et procerum coetu, condita, et promulgata anno 1283., dum ipse Caroli I. patris sui vicarius esset, quae Honorius Papa IV. cum confirmasset anno 1285., quod ad immunitates, ac privilegia ecclesiasticorum, Concordata Honorii passim dicta sunt (2). Haec deinde Ferdinandus I. Aragonen-

(1) Commemorantur a Raynaldo in *annal. eccles. ad an. 1265*, Chioccarello *to.* 1. *archiv. regal. iurisd.* Gr. Grimaldo *lib.* 10, *hist. leg. et magistr. regni*, et Io. Crist. Lunig. *tem. 4.* Codicis Italiae diplomatici *sect. 2. dipl.* 11. Eorundem *cap.* 1. continet investituram Caroli Comitis Provinciae in regno Siciliae ultra, et citra Pharum, excepta civitate, ac pertinentiis Beneventi pro se, ac descendentibus masculis, et foeminis, sed masculis extantibus, foeminae non succederent, atque inter masculos, primogenitus regnaret: omnibusque deficientibus, vel in aliquo contra facientibus, regnum regrederetur ad Ecclesiam Romanam. II. Quod Rex non posset regnum dividere. III. Praestare deberet iuramentum fidelitatis, et ligium homagium Ecclesiae Romanae. IV. Non posset eligi in Romanorum Regem, vel Imperatorem. V. Si Imperator fieret, emancipare deberet Rogerium filium suum, eique regnum refutare. VI. Reges in aetate 18. annorum constituti per sese gubernarent: in minori autem ipsorum aetate baliatum exerceret Pontifex Romanus. VII. Foeminae ex Rege descendentes cum Imperatore nubentes in regno non succederent. VIII. Nunquam haec regna uniri possent ad Imperatorem. IX. Rex solveret Pontifici Romano censum annuum octomillium unciarum auri, et palafrocnum album in festivitate Sancti Petri. X. Nec non quinque mille marcas sterlinas singulis sex mensibus. XI. Ac trecentos equites in auxilium Status ecclesiastici cum onere serviendi tres menses. XII. Quod Papa definiret fines status Beneventi. XIII. Confirmarentur Beneventanorum privilegia. XIV. Rex nullum adipisci unquam posset ius in terris Ecclesiae. XV. Ecclesiis regni ablata bona omnia restituerentur. XVI. In eligendis Ecclesiarum Praelatis nec ante, nec post, neque in electione Regis assensus vel consilium ullatenus requireretur, salvo iurepatronatus solum in Ecclesiis regii patronatus. XVII. Caussae ecclesiasticae coram Ordinariis etiam uti Delegatis Sedis Apostolicae agerentur. XVIII. Omnes revocarentur leges Regum decessorum contra ecclesiasticam immunitatem editae. XIX. Clerici in caussis omnibus civilibus, et criminalibus, feudalibus tantum exceptis, per iudices laicos iudicari non possent. XX. Super Ecclesiis talliae non imponerentur. XXI. In Ecclesiis regii patronatus Begalia, seu fructus vacantes non acciperet. XXII. Siculi exules admitterentur in regno. XXIII. Foedus contra Ecclesiam Romanam cum aliis Rex non iniret. XXIV. Tandem mille equites ultramontanos in auxilium Terrae Sanctae, vel Sanctae Fidei praesto haberet. Eadem fere pacta seu conditiones Innocentius IV. eidem Carolo Andegaviae Comiti indixerat anno 1253. dum ei Siciliam citra Pharum in feudum obtulit, quae habet citatus Codex Italiae diplomaticus Lunig. eodem. *to. 4. sect. 2. diplom.* 1.

(2) Summont. *to. 2. hist. Neap.* de Nigris *in comment. ad ista capitula*, Gr. Grimald. *lib. 12. hist. leg. et magistr. num. 5. et seq.* Penes quem sin-

sis innovavit, inseruitque anno 1649. *in Pragm. 2. de clericis selvaticis.*

V. Alia eodem anno 1285. Capitula edixit Honorius ipse IV. de forma exigendi collectas, et vectigalia, pro Baronibus, aliisque regni utilitatibus, a Cardinale de Parma Legato pontificio publicata (1). Quae

gula recensentur. I. *Cap. de privilegiis, et immunit. Eccles.* statuit, ut persolvantur decimae, aliique proventus Ecclesiis, et ecclesiasticis personis in praefinitis diebus, quae quidem personae pro iis exigendis litteras provisionales a Magistris procuratoribus, et ballivis petere quotannis non cogantur; confirmata Friderici constit. *Quanto ceteris de decimis praestandis. II. Item statuimus, quod solvantur decimae Ecclesiis*, praescribit Barones, et alios cogendos a Iustitiariis fore ad solvendas Ecclesiis decimas. III. De non trahendis clericis ad iudicia saccularia, nisi pro bonis saecularibus, hoc est feudalibus, ubi confirmatur *cap. 19.* Clem. IV. cum Carolo I. IV. Quod rei ad Ecclesiam fugientes non extrahantur inviti, praeterquam in casibus iure permissis. V. Domus praelatorum, ipsis invitis, hospitandi caussa non capiantur ab officialibus, nec etiam lecti eorum, neque in illis criminalia exerceantur iudicia. VI. Personae laicales nullatenus se ingerant in electionibus praelatorum, aliisve spiritualibus, nisi cui id competat privilegio iurispatronatus. VII. Clerici clericaliter viventes non contribuant cum aliis in collectis, nec pro bonis ecclesiasticis etiam patrimonialibus, aliisque legitimis portionibus. VIII. Possessiones et res aliis non obligatae possint obligari Ecclesiis, vel donari, vel vendi, dummodo eaedem possessiones vel res Curiae non tenentur in aliquo. IX. Vassallis Ecclesiarum obligatis ad servitia personalia non committantur servitia per Curiam sine praelatorum licentia. X. Iura concessa Ecclesiis, in quorum possessione sunt, serventur illaesa: de illis vero, in quorum possessione non sunt, non fiat eis iustitia in Curia Regia, sed fiat a Curia competente. XI. excommunicati perdurantes in excommunicatione ultra annum denuncientur per Praelatos, qui eos excommunicaverunt, vel successores eorum, ut corporali poena quoque afficiantur. XII. Possessiones Ecclesiae non auferantur, nec turbentur per Curiam. XIII. Quod saeculares personae non intromittant se de aliquo crimine ecclesiastico. XIV. Quilibet ecclesiasticus possit per mare extrahere de una terra ad aliam libere sine aliquo iure victualia, et alia provenientia de terris, et massariis ipsorum: emptitia vero sine iure extiturae, soluto iure Dohanae de portubus tamen licitis, et statutis. XV. Vassalli Ecclesiarum non trahantur coram officialibus Curiae, nisi in criminalibus, spretis defensis in portatione armorum, et aliis, quorum cognitio pertinet ad Curiam. Hic notandum quod Barones tunc iurisdictione criminali non potiebantur. XVI. Personae ecclesiasticae possint compellere vassallos ipsorum, et debitores suos ad satisfaciendum eis, hoc est non secus, ac alii Barones iuxta interpretationem Lucae de Penna XVII. Si vassalli Ecclesiarum eis ad personalia servitia obligati aufugerint de terris, vel locis, possint Ecclesiarum vassallos coercere ad revertendum ad loca ipsarum. XVIII. Iudaeis, qui sunt vassalli Ecclesiae, nulla officia vel gravamina committantur. XIX. De privilegiis, et immunitatibus Comitum, Baronum, et aliorum feuda tenentium. XX. De Matrimoniis ut ea feudatarii contrahere possint sine Regis adsensu, nisi feuda in dotem darentur, vel coniuges Regi forent suspecti: his enim casibus tantum regius assensus requiri deberet sub poena confiscationis feudorum. Ubi correcta fuit constitutio Friderici *honorem nostri diadematis tit. de uxore non ducenda sine mandato Curiae* . . . . XXVII. De eadem libertate matrimoniorum. ....XXVIII: Filiae proditorum, quae paternam militiam non sunt sequutae, nec sequuntur, possint se dotare de bonis non feudalibus sine assensu Curiae. Reliqua pertinent ad iura profana Baronum, Universitatum, et populorum.

(1) Ea refert Episcopus Liparulus *ad Andream in cap. 1. de natur. succes. feud.* Regens Marcianus *disp. 3.* Raynaldus *in annal. eccl. ad an. 1285.*

adhuc sub iudice lis est inter Raynaldum, et auctorem historiae civilis, an legis vim habuissent unquam in regno (1).

VI. Eadem fere Andegavensium pacta conventa sunt in sequentibus investiturarum litteris, quas gradatim Reges Neapolitani acceperunt a summis Pontificibus, praesertim Carolus Dyrrachii ab Urbano VI. anno 1380, Alphonsus Aragonensis ab Eugenio IV. anno 1445, Ferdinandus catholicus ab Innocentio VIII. anno 1486., ceteri (2).

VII. Sequenti anno 1487. Innocentius VIII., cum Ferdinando Rege pactus est, ut episcopatus omnes, et beneficia huiusce regni Papa conferret ad sui libitum (3).

VIII. Tum Clemens VII. inito foedere cum Carolo V. Imperatore die 29. Iunii 1532, indulsit Regi Neapolitano nominationem Praelatorum ad XXIV. cathedrales Ecclesias, octo scilicet archiepiscopales, et sexdecim episcopales: reliquae omnes ad liberam Sedis Apostolicae collationem remissae sunt (4).

IX. Adhaec denique accesserunt anno 1741., Concordata inter Benedictum XIV., et Regem nostrum Carolum Hispaniarum tunc Infantem, nunc Regem augustiorem, quibus quamplurima utriusque Potestatis dissidia feliciter composita sunt novem capitulis de immunitate reali, locali, et personali, de requisitis ordinandorum, de administratione extauritarum, aliorumque locorum piorum, de causis fori ecclesiastici, de librorum introductione, de beneficiis, et pensionibus, deque Tribunali Mixto (*). Praeterea sex articuli m. s. uno, eodemque tempore secreto constituti de privilegiis Beneventanorum, regio placito, recursu ad Principem, pensionibus, unione, ac suppressione egenarum cathedralium Ecclesiarumque nullius dioecesis (5).

Hactenus de praenotionibus generalibus Iuris Canonici, illiusque origine, progressu, et materia universa. Ad peculiarem primi libri materiam, quae circa *Personas* versatur, mox progredior.

(1) Gr. Grimald. *to. 2. hist. leg., et magistr. lib. 12. num. 96.*
(2) Apud. B. Chioccarell. *to. 2. archivii.*
(3) Raynald. *in annal. ad an. 1487. num. 11.*
(4) Reg. de Ponte *dec. 12.* Reg. de Marinis *resolut. lib. 1. cap. 155. n. 15.*
(*) Conventione novissima an. 1818. inita inter Pium VII. Summum Pontificem, et Ferdinandum I. olim Regem nostrum pleraque ad ecclesiasticam disciplinam spectantia constituta fuerunt, atque triginta quinque articulis absoluta. In illis agitur de Episcoporum nominatione, de Synodorum convocatione, de libertate Antistitum ad pastoralia munia iuxta canonum sanctionem obeunda, de beneficiorum collatione, et Ecclesiae pensionibus, necnon de ipsius Ecclesiae bonorum vacantium administratione, suppressis iam monte frumentario, ac regii delegati iurisdictione.
(5) Quot quantique Oratores Regum, Legatique Sedis Apostolicae hanc susceppissent inani labore provinciam concordandi contentiones acerrimas, quae inter Curias ecclesiasticas et saeculares, ac Ministros utriusque Potestatis in diem exardescebant, iam recensui in epistola nuncupatoria tractatus *de beneficiis ecclesiasticis* ad amplissimum virum Coelestinum Galianum Archiepiscopum Thessalonicensem Regi a Sacris, qui ea in re palmam tulit quum sapientia, tum gratia praestantissimus.

ADDITIONES

DE ECCLESIA EIUSQUE PROPRIETATIBUS ET CHARACTERIBUS.

I. Quum universum genus hominum per Adae transgressionem a iustitia defecisset, Verbum aeternum in plenitudine temporum humanam assumpsit naturam, ut illud redimeret ab omni iniquitate. Ipse Mediator Dei, et hominum affixit Cruci chirographum decreti, aeterna redemptione inventa. Quare translato per Christum Sacerdotio, etiam sacra translata sunt: hinc nova Lex lata, novi ritus introducti, et Sacramenta instituta.

II. Quo vero facilius homines salutem a Christo in Cruce partam assequerentur, Christus ipse ad Patrem reversurus, Ecclesiam, quam proprio sibi sanguine adquisivit, quamque aeternum stare voluit, Petro, ceterisque Apostolis, atque eorumdem legitimis Successoribus regendam commisit.

III. Iamvero Ecclesia catholice definitur: *coetus fidelium eiusdem Fidei, et Sacramentorum sub legitimis Pastoribus, praesertim Romano Pontifice communione coniunctus.* Profecto vox Ecclesia, latine *evocatio* a verbo graeco εκκαλεω, *evoco* ortum ducit: quia omnes, qui ad eam confugiunt, non suis meritis, sed Dei gratia ab errorum tenebris ad coruscantem Fidei lucem vocantur. Ad rem Apostolus: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi* (1). Fideles autem per Baptismi lavacrum in Christo regenerati ad eam pertinent, sive ex Fide vivant, sive peccatorum laqueis sint irretiti: demum externa Fidei professio, partecipatio eorumdem Sacramentorum, subiectio, quam fideles exhibent Pastoribus, et maxime Romano Pontifici visibili Christi Vicario, catholicam Ecclesiam ab haereticorum sectis, et conventiculis distingunt. Quare merito ab ipsa arcentur infideles, haeretici, qui orthodoxae Fidei dogmata non profitentur: catechumeni, et excommunicati, qui Sacramentis privantur, tandem schismatici, qui Romano Pontifici Petri Successori, atque totius Ecclesiae Capiti minime adhaerent.

IV. Porro catholica Ecclesia necessario *visibilis* est, veluti civitas supra montem posita. Unigenitus enim Dei Filius humanam assumens naturam, visibilis factus visibile instituit Pastorum ministerium, qui visibiliter debent hortari, docere, regere fideles, qui sunt visibiles: ipsis Sacramenta administrare, nempe signa visibilia, et ab eorumdem communione contumaces secernere. Unde patet satis ineptire Novatores, qui sibi Ecclesiam invisibilem confingunt (2).

(1) Epist. 1. ad Cor. v. 10.

(2) Sacrae Litterae idipsum aperte testantur. David enim (psal. 18.) praedixit: *in sole posuit tabernaculum suum*, idest, ut ibidem explicat Augustinus: *in manifesto posuit Ecclesiam suam, non in occulto:* et epist. 166. ad Donatistas: *ipsa est Ecclesia in sole posita, idest in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.* Praeterea Christus ipse in Evangelio Ecclesiam comparat

V. Visibilis autem Ecclesia Pastores habet, praesertim Petri Successorem, qui divina auctoritate fidelibus praesunt, ac proinde proprio regitur imperio, quod est a civili prorsus distinctum. Et sane Christus ipse Apostolis, eorumque Successoribus potestatem dedit ubique gentium Evangelium praedicandi, illosque, qui Fidei dogmata suscepturi essent, baptismo initiandi, subiungens: *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (1). Quibus verbis illud praecipue colligi datur Pastoribus Ecclesiae potestatem iure divino inesse fideles in veritatibus traditis continendi, et confirmandi, ut Christiana Societas a Filio Dei constabilita, orthodoxae Fidei doctrina, et ecclesiasticis legibus conservaretur. Utrumque vero imperium, regimine distinctum Deum habet auctorem, atque ad veram felicitatem hominibus comparandam amice conspirant: Religio nempe officia civili Potestati praestanda iubet: haec autem Religionis iura sarta tectaque tuetur (2).

VI. Praeterea Ecclesia in iudicando est *infallibilis* Ipsa enim teste Apostolo (3) *est columna, et firmamentum veritatis*, et mysticum Christi corpus constituit, quod a Spiritu veritatis regitur, ac movetur. Quod si in Fidei controversiis definiendis erroris periculo illa subiaceret, error utique in Christum Fidei auctorem, et consummatorem recideret, quod utique absurdum, et impium. Quare ad Ecclesiam dumtaxat pertinet illa omnia definire, quae Fidei dogmata, moresque respiciunt. Tum Christus praecipit ad Ecclesiam confugiendum illis verbis: *dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, et publicanus* (4): et Apostolus fideles Ephesi alloquens, postquam Ecclesiae Pastores, et Doctores ad opus ministerii institutos fuisse dixit, addit: *ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum* (5). Unde Ecclesia iure divino

convivio nuptiali, ad quod boni, et mali vocati sunt: decem virginibus, quarum quinque fuere prudentes, et quinque fatuae: tandem ovili, in quo recipiuntur oves, et hoedi: quae omnia utique intelligi nequeunt, nisi de Ecclesia visibili.

(1) Matth. 28. 18. — (2) Absurdum sane est systema collegiale, quod somniarunt Protestantes, ex quo asserunt iura *collegialia, et maiestatica* profluere. Enimvero collegium intra certos civitatis fines constitui potest, uti sanxere leges (L. 1. in pr. D. de collegiis): at catholica Ecclesia in universum orbem est diffusa II. collegium ut sit licitum, et in aliquo regno admittatur, Principis venia accedat oportet (L. 3. §. 1. cit. tit.:) at Ecclesia fuit instituta, et confirmata ipsis invitis saeculi Principibus III. collegium dissolvi potest ob varias reipublicae causas (L. 3. in pr. D. cit. loco): id vero citra impietatis notam de Christi Ecclesia ne cogitari quidem potest IV. Collegium a republica vim, et salutem mutuatur suam: at Ecclesia inter reipublicae turbas, et motus, insaniente etiam in ipsam ethnicorum tyrannide, constitit, semperque immota permanebit. V. Denique collegium a Principe leges accipit: at Princeps fidelis ipse Ecclesiae legibus parere debet. Quare Zieglerus, licet e calvinistico grege, profitetur tamen quam necessaria sit in Christi Ecclesia *inaequalitas, et subordinatio, quae regendi, et parendi partes distribuit: pares enim*, ait, *et aequales ubi cupiunt esse omnes, quid evenit, nisi inordinata confusio omnia pessime disturbans?* (in praefat. ad tract. de superintend.) Vide Mamachium epist. 2. ad Iustin. Febronium §. 7. n. 19. p. 185. t. 1.

(3) Epist. 1. ad Tim. 3. 15.

(4) Matth. 18. 17. — (5) Epist. Ad Ephes. 4. 14.

definit quid fideles omnes sequi, quid vitare debeant, ut sint unus spiritus, et cor unum. Sic sacrum, et inviolabile Fidei depositum a Christo sibi traditae sartum, tectumque custodit.

VII. Huc etiam pertinent Christi promissiones non solum Principi Apostolorum prolatae illis verbis (1) : *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, verum etiam aliis Apostolis cum dixit (2) : *ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis.... docebit vos omnem veritatem.* Hinc S. Fulgentius (3): *Ecclesia*, inquit, *virgo in Fide, et charitate persistens, et sapientiam possidet, et virtutem, ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quae internae virginitatis integritate fulcitur*, et S. Iraeneus (4): *non oportet*, ait, *apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* Quamobrem iure, meritoque Ecclesia primis aerae christianae saeculis in omnibus exortis circa Fidem disputationibus potestate usa est, qua iure divino gaudet, et post infallibilem suam definitionem, invitis poenam anathematis minitando, lege cavit, ut omnes ubique fideles suis decretis parerent.

VIII. Postremo visibilis, atque infallibilis Christi Ecclesia est *indeficiens.* Daniel enim ipsam respiciens praedixit in aeternum permansuram (5) : *suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur*, et regius psaltes diserte ait (6) : *circumdate Sion, et complectimini eam, quoniam hic est Deus noster in saeculum, ipse reget nos in saecula:* cuius verbis respondent illa Lucae (7): *regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Si ergo in aeternum Ecclesia Christi manu sustinetur, ipsius praesidio armatur, virtute fulcitur, sapientia regitur, indeficiens est. His adde illud Isaiae luculentissimum testimonium (8) : *hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Tandem Ecclesia est Christi sponsa, quam ipse Dei Unigenitus coniunxit vinculo indissolubili. Oseas enim praedixit : *sponsabo te mihi in sempiternum* (9) : cui Sponsa: *tenui eum, nec dimittam* (10) : et rursus ille Apostolis, eorumque successoribus semper se adfuturum promisit hisce effatis : *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (11). At si Ecclesia deficere posset, coeleste, et mysticum istud coniugium dirimeretur. Ergo fieri nequit, ut Deus derelinquat suam Ecclesiam, eamque deficere permittat. Quamobrem egregie Chrysostomus: *facilius est*, inquit, *solem extingui, quam Ecclesiam deleri* (12) : et Augustinus contra Donatistas (13): *sed illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, iam non est, periit: hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vo-*

(1) Matth. 16. 18.

(2) Ioann. cap. XIV. v. 16. 17. et 26. — (3) Epist. ad Prob. Cap. 5. — (4) Lib. 3. de haeres. cap. 4. n. 1. — (5) Daniel 2. 44.—(6) Psal. 27.—(7) Luc. 1. 12. — (8) Isaiae 59. — (9) Oseas 2. — (10) Cant. 3. — (11) Matth. 28. 20.

(12) Homil. 4. in illud Isaiae cap. 6. *vidi Dominum.* — (13) Ser. 2. in psal. 101. n. 8.

cem! Illa non est, quia tu in illa non es: vide, ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.

IX. Permultae interea sunt notae, et characteres, quibus Dei Ecclesia ab haereticorum sectis, et conventiculis aperte dignoscitur. Et sane ipsam esse *unam, sanctam, catholicam, et apostolicam* exploratissimum est. *Una* nempe propter unitatem Fidei a Christo Apostolis traditam, quam incolumem Ecclesia semper retinuit, et quam fideles omnes ubique nunc profitentur: et merito haeretici, atque sectarii dicuntur qui ab hac Fidei unitate incaute recedunt. *Una* propter unitatem Sacramentorum, quae Christus instituit, quaeque Eccclesiae conficienda, et fidelibus praestanda commisit. *Una* propter unitatem subiectionis, quam fideles exhibent legitimis Apostolorum Successoribus, praesertim Romano Pontifici, qui catholicae unitatis est centrum, atque in universum dominicum gregem iure divino primatum tenet. *Una* propter unitatem gratiae, et charitatis, quibus Christi membra suaviter vivificantur. *Una* denique propter unitatem invisibilis Capitis, cuius est respicere corpus, et propter unitatem beatissimi finis, ad quem fuit instituta. Hinc docet Apostolus Corinthios alloquens Ecclesiam esse mysticum Christi corpus: *vos estis corpus Christi, et membra de membro* (1). At mysticum Christi corpus unum esse, et ipse demonstrat illis effatis: *in uno spiritu*, ille ait, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi* (2). Quare ex praemissis aperte colligitur quod Catholica Ecclesia unitate praefulget.

X. Tum Ecclesia est *sancta*. Isaias enim ipsam respiciens praedixit (3): *et in iustitia fundaberis. Sancta*, quia extra illam nulla potest esse sanctitas, et nemo in eam ingreditur, nisi Baptismo ablutus, et sanctificatus, uti docet Apostolus: *haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (4). *Sancta*, quia Christus, qui ipsam regit, protegit, et vivificat, qui est eius Caput, et Sponsus dicitur in Scripturis *Sanctus Sanctorum*, uti praedixit Daniel. *Sancta* ob sanctitatem vocationis, qua fideles in Christo vocantur teste Apostolo (5): *vocavit nos vocatione sua sancta.* Rursus *sancta*, quia omnia ipsius instituta, caeremoniae, doctrina, Sacramenta, et Sacrificium ad sanctitatem ordinantur. Ex Sacramentis nempe sanxit tridentina synodus omnem in nos iustitiam proficisci: *a quibus omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur* (6). *Sancta*, quia quamplurimi eius filii sanctitate praecellunt; siquidem vel innocentia vitae, vel poenitentia, vel sanguine ipsam condecorarunt. Denique sponte ad rem profitetur ipse Calvinus Ecclesiam vocari *sanctam*, quia *quotidie proficit in sanctitate, et ad sanctitatem adspirat* (7).

XI. Dicitur etiam vera Christi Ecclesia *catholica*, nempe universalis 1. ratione loci, quia per universum orbem diffusa est. Christus

(1) Epist. 1. ad Cor. 12. 27.—(2) Ibid. v. 13. — (3) Isaiae 14. — (4) Epist. 1. ad Cor. 6. 11.—(5) Epist. ad Timoth. 1. 9. — (6) Conc. Trid. sess. 6. — (7) Lib. 4. inst. c. 3.

enim Apostolis praecepit (1) : *euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, et ex regio Psaltae addit Apostolus : *in omnem terram exivit sonus eorum*. 2. ratione temporis, tum quia semper durabit, quo refertur illud Danielis (2) : *suscitabit Dominus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur*, tum quia omnia tempora complectitur, ita ut quod apostolico aevo fidelium primitiae profitebantur, id unum, idemque quolibet saeculo omnes crediderunt, et nunc tenent. 3. dicitur catholica, quia omnes, qui salutem consequi exoptant, in visibili nempe Ecclesia illam dumtaxat assequuntur.

XII. Denique Christi Ecclesia est *apostolica* 1. quia ab Apostolis ortum ducit, et ab ipsis fuit propagata. 2. quia doctrinam Apostolorum sequitur. Paulus enim aperte ait (3): *licet nos, aut Angelus de Coelo evangelizet vobis, praeter quam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 3. quia successionem attigit ab apostolica aetate, et praesertim successionem exhibet Romanorum Pontificum, quibus apostolica auctoritas perpetuo demandata per S. Petrum a Christo fuit.

Atvero hisce notis, et characteribus sola Catholica Romana Ecclesia praefulget. In illa enim unitas reperitur, sive Fidei : cum omnes id Fide teneant, quod ab Apostolis ipsa accepit, et profitetur, sive Sacramentorum, quia eorumdem septenarium numerum a Christo institutum incolumem semper retinuit, et administravit, sive subiectionis, cum singuli dominici gregis Pastores Romanae adhaereant Ecclesiae, et cum ipsa communicent. *Sanctitas* quoque refulget quoad Fidei, morumque doctrinam. Et sane quidquid in Sacris Litteris, traditione divina, et apostolica continetur, atque in Conciliis sancitum fuit, id omne eo tendit, ut fideles ad veram pietatem excitentur. His adde quod omnes, qui vitae sanctitate floruerunt, et prodigia patrarunt, in ipsius Ecclesiae sinu, et communione fuerunt. *Catholica* quoque est Romana Ecclesia cum nullis sit circumscripta, vel Provinciae, vel Regni finibus, sed ubique gentium diffusa, atque ubi minime efflorescit libero imperio, saltem toleratur: quin etiam compertum est plurimas barbaras gentes ipsam fideliter sequi. Denique est *apostolica*, tum quia Apostolos Fidei magistros habuit, et ipsorum doctrinae in Fide, et moribus firmiter adhaeret, tum quia singuli Episcopi cum Apostolica Romana Cathedra, cui primatus inest, communionem servant.

XIII. Quae cum ita se habeant, exploratissima res est Lutheri, Calvini, Zuinglii sectas, aliasque societates omnes a Romana Ecclesia seiunctas, quae christiano nomine perperam gloriantur, nullis gaudere proprietatibus, quas enucleavimus.

XIV. Et sane ipsos interrogare possumus Tertulliani effatis (4): *qui estis, quando, et unde venistis?* Illi enim unitate destituuntur, sive Fidei, cum in sexcentas sententias, easque impias, et profanas dilapsi fuerint: (uti videre est in publicis eorumdem professionibus), sive Sacramentorum, cum horum numerus sit varius apud ipsos, sive subie-

(1) Marc. 16. 15.—(2) Daniel 2. 44.—(3) Epist. ad Galat. 1. 8.—(4) Lib. de praescrip. cap. 37.

ctionis cum nullam agnoscant hierarchiam, et haeretico spiritu exagitentur. Deest quoque *sanctitas*: ipsorum enim auctores ruisse per omne nefas, et publica fuisse perculsos infamiae nota nemo unus ignorat. Rursus *catholica* dici nequit ipsorum diffusio, cum certis locis coarctetur: nec *apostolica*, quippe quod comperta est eorumdem origo recenter exorta, et apostolicae aetati longe posterior: neque Apostolorum doctrina possunt ipsi gloriari, cum permultas haereses ab Ecclesia proscriptas e cinere ipsi excitarint, quas impudenter professi sunt, et adhuc tenent (1). Denique non *apostolica*, tum quia missione destituuntur, tum quia cum Capite totius Ecclesiae, et catholicis Episcopis minime communicant. Quamobrem egregie Augustinus (2): *ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica contra omnes haereses pugnans: haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ecclesia autem manet in radice sua, in charitate sua: portae inferi non vincent eam.*

XV. Itaque ex his, quae huc usque dicta sunt, aperto colligitur extra hanc visibilem Ecclesiam neminem posse salutem assequi, et misere cum illis perire, qui extra noeticam arcam extincti sunt. Enimvero membrum, quod corpori non adhaeret, vitam habere nequit, ramus ab arbore praecisus germinare non valet, rivus a fonte secretus arescit. His adde quod in sola mystica vinea laborantes denarii mercedem accipiunt: in ipsa dumtaxat redemptionis hostia litatur, quae palmites abunde vivificat, regit, et nutrit. Sed haec satis sunto: de his fusius theologi.

TIT. XI.

De Iure Personarum (3).

I. Duo personarum genera sunt, clericorum, et laicorum.

II. Utrorumque alii saeculares, aliique regulares.

III. Clericorum ordo superior Episcopos, et Presbyteros, inferior diaconos, subdiaconos, aliosque subministros complectitur.

IV. Ordines ab officiis distincti variis ministrorum functionibus aucti ex intervallo sunt.

V. Officia pariter diversa sublimiora Cardinales, Patriarchas, Metropolitas, Praelatos, variosque dignitatum gradus in Ecclesiis cathedralibus, et legationibus apostolicis invexerunt.

VI. Inferiora ventosas dignitates, et personatus iurisdictione expertes.

VII. Canonici, simplicesque beneficiarii, nec dignitatem, nec personatum dicuntur habere.

VIII. Ad gradum altiorem promotos maiorari, *ad inferiorem* minorari *dicuntur.*

(1) Profecto id omne, quod somniarunt Novatiani de potestate a Christo Ecclesiae tradita remittendi peccata, Iconoclastae de sacrarum imaginum cultu, Pelagiani de baptismo, Iovinianus de coelibatu, singula isthaec commenta et Novatores amplectuntur, et impia fide tenent. — (2) De symbolo ad cathecumenos cap. 6.

(3) *Persona* latine dicitur facies conficta a *personando*, seu clarius sonando,

I. *Persona* sumitur pro qualitate, officio, dignitate, qua alius ab alio distinguitur. *Personarum* in Ecclesia Dei duo sunt summa genera, *clericorum*, et *laicorum*. Nomine *clericorum* late sumpto omnes ecclesiasticae personae veniunt, quae divino officio, et ministerio mancipatae, atque in sortem Domini electae ab omni strepitu temporalium cessare debent: κλήρος enim graece, latine *sors* dicitur, quum Dominus pars hereditatis eorum sit. *Laici* vero populum una, et plebem denotant: λαός enim graece est populus latine, populique appellatione stricta, et odiosa clerici non continentur.

II. Rursus dividuntur tam clerici, quam laici in *saeculares*, et *regulares*. Qui religiosam vitam in monasteriis, conventibus, et claustris profitentur sub obedientia Superiorum regularium, ii *regulares* dicuntur ad differentiam *saecularium* extra claustra religiosa degentium, nullisque regularibus votis obstrictorum.

III. *Clerici* duplici functionum generi deserviunt, nempe *sacerdotio*, et *ministerio*. Unde duplex clericorum ordo, *superior*, et *inferior*. *Sacerdotium* in ordine superiori, atque altiori gradu ad *Presbyteros*, et *Episcopos* pertinet. *Ministerium* in ordine inferiori ad *diaconos*, et *hypodiaconos*, et reliquos in minoribus constitutos clericos.

IV. In hierarchia insuper ecclesiastica *Ordines*, seu gradus ab *Officiis* distinguntur. *Ordines* Apostolorum temporibus semper, et ubique fuere *episcopatus*, *presbyteratus*, et *diaconatus* tantum. Adaucto deinde Ecclesiarum, et fidelium numero, Diaconorum functiones dividi coeperunt, ideoque instituti *subdiaconi*, *acholyti*, *lectores*, *exorcistae*, *ostiarii*, qui Ordinibus hodie distinguntur.

V. *Officiorum* quoque varietas progressu temporum inducta paulatim est. Nam sine officio sacro nullus olim ordo erat: postea vero ab officiis ordines separati. Siquidem ordo, non officium facit clericum. Exinde officia divisa sunt in *sublimiora*, atque *inferiora*. *Sublimiora* officia sunt, quibus iurisdictio, administratio, et animarum cura adnexa est, eaque *Dignitates* nuncupantur, uti sunt *Cardinales*, *Patriarchae*, *Metropolitani*, *Episcopi*, *Praelatique inferiores*, nec non *Archidiaconi*, *Archipresbyteri*, *Praecentores*, *Decani*, *Praepositi*, aliique in cathedralibus iurisdictionem adnexam obtinentes una cum officio, et administratione. Porro *Dignitas* est honor cum administratione, seu iurisdictione aliqua. Quae primis Ecclesiae saeculis ratione ordinis tantummodo aestimabatur: at hodie ratione iurisdictionis, auctoritatis, et po-

quia per os personae clarior vox ab histrionibus personatis emittitur: Gellius *lib. 5. noct. Attic. cap. 7.*, et sumitur pro *homine*, qui modo servi, modo domini, modo senis, modo adolescentis, et huiusmodi mores, et gestus exprimit. Seu per translationem pro ea qualitate, qua alius ab alio differt quum corpore, tum animo, atque attributis, et accidentibus. *Homo* (ait Gellius *loc. cit.*) *natura vocatur*: *personam faciunt circumstantiae*, *et accidentia*. Philosophi definiunt *personam esse naturae rationalis individuam substantiam*: ideoque convenire posse Deo, Angelis, et hominibus singularibus tantum, non vero universalibus, neque irrationabilibus, neque inanimatis. At Ulpianus figuras, statuasque marmoreas, quae variis gestibus aquas ore, aliave parte fundunt, personas nuncupavit *in l. fundi nihil 18. D. de act. empti*, ubi respondit villae esse *personas ex quarum rostris aquae salire solent*.

testatis. Ad sublimiora ecclesiasticae hierarchiae officia ac cedunt extraordinariae Dignitates Legatorum, Nuntiorumque Sedis Apostolicae, Capellani maioris Regum, Vicariorum generalium, ceterorumque Officialium, quibus vel ordinaria, vel delegata iurisdictio committitur.

VI. *Inferiora officia*, quae omni carent iurisdictione, atque administratione, *Personatus* adpellari solent. Cuiusmodi sunt *thesaurarii*, *poenitentiarii*, *theologi*, *sacristae*, *custodes*, qui alios in Ecclesia praecedunt sine iurisdictione, nuda tantum honoris praerogativa fruentes in procedendo, vel sedendo. Quamobrem idem officium, et munus ecclesiasticum modo *personatus*, nisi iurisdictionem habeat adnexam: modo *dignitas*, si habeat, nuncupatur pro diversa locorum consuetudine. Proinde firmiter, aut certo definiri nequit quaenam officia inter dignitates, et quae inter personatus referantur. Saepius quidem in Decretalibus *personae*, et *personatus* pro rectore paraeciali, et plebano alicuius Ecclesiae minoris, idest non cathedralis accipitur.

VII. *Canonici* autem, et *beneficiarii* simplices neque Dignitatem, neque Personatum obtinent, quinimo a personis recte distinguntur. Quippe isti non honorem in processionibus, et sessionibus, non iurisdictionem, non curam, sed solummodo praebendam, idest ius redditus ecclesiasticos percipiendi ratione ministerii habent. Quinimo praebendae haud raro a canonicatibus separantur, et clericis non Canonicis conferuntur respectu certi muneris, et officii, quod obeant in Ecclesiis, puta theologis, scholasticis, cantoribus cathedralium, aliisque clericis minoris subsellii, qui de Capituli redditibus participant ob servitium in choro: et *praebendarii* simpliciter nuncupantur ad discrimen Canonicorum, qui sunt digniores.

VIII. Quoties ad altiorem Ecclesiae gradum aliquis promovetur, *maiorari*, et *maioritatem* obtinere invitis latinis dicebatur: quoties vero ad inferiorem descendebat, *minorari*, et *minoritatem* habere (1). Maioritatis porro nomen nil aliud sonat, quam imperium a quovis exerceri solitum, sive inferioris, sive altioris gradus: nam optimates, proceres, officialesque civitatum haud semel *maiores* dicebantur.

De singulis clericorum gradibus a supremo ad infimum mox sermonem habere commodum est.

TIT. XII.

De Summo Pontifice.

I. Universalis Ecclesiae monarchiam iure divino habet Romanus Pontifex divi Petri Successor.

II. Romanae Sedis hostes honorificam praesidentiam divo Petro, non po-

(1) Innocentius III. *ep. 50. et 117. lib.* 1. Archiepiscopum Apamiensem translatum ad episcopatum Tripolitanum novo promotionis genere non promotum, sed *minoratum* dixit. Huc spectat *rubrica 33. lib.* 1. Decretalium *de maioritate, et obedientia.*

testatem supremam a Christo traditam contendunt sex inanibus argumentis.

III. In primis aedificatam a Christo super fundamentum Apostolorum Ecclesiam dictitant ex sacris litteris docentibus angularem ipsius petram primariam in Petri Sede positam.

IV. Mox sciscitantibus Apostolis Christus dicere si noluit, quis inter eos maior esset, plura tamen dixit alias, quae primatum Petri satis superque indicant.

V. Praedicatio cum Sacramentorum ministerio Apostolis generatim commissa non subruit supremam in Ecclesia universa potestatem Petro soli mandatam.

VI. Nec praedicatio quum Petro speciatim ad Iudaeos, tum Paulo ad gentes credita.

VII. Nec consortium Pauli clave scientiae praestantis cum Petro clavem potentiae supereminentis adepto.

VIII. Priscorum Patrum testimonia ex adverso prolata necessitatem unius in una Ecclesia capitis praeterea commonstrant.

IX. Immota semper Fides nostra perpetuum Christi Vicarium, et Petri Successorem in Romana Sede coluit.

X. Tametsi ex arbitrio Petri humano, factoque voluntario conceditur sine Christi praecepto adnexa Romano episcopatui summa potestas, id nihilominus factum tota etiam Ecclesia mutare non potest.

XI. Quod urbs orbis caput Romanum Episcopum humano iure fecerit Summum Pontificem, temere effutiunt graeci schismatici.

XII. Is vero solus consociatas Episcoporum, Metropolitarum, Patriarcharum omnium dignitates revera habet, ut Episcopus oecumenicus.

XIII. Nomen cum statu iandudum consueverunt Summi Pontifices mutare.

XIV. Romanae Sedis praerogativae potiores quindecim recensentur.

XV. Infallibilem in doctrina Fidei Papam credimus ex cathedra rite definientem, secus ut privatum doctorem.

XVI. Galli, quoties consensus Ecclesiae non accesserit, fallibilem ipsum opinantur.

XVII. Sunt etiam, qui Petrum, aliosque Pontifices a recta Fide aberrasse calumniantur.

XVIII. Enim vero Petri non doctrinam, sed mores hominis plus aequo iudaicos Paulus reprehendit.

XIX. S. Victor blasphemantibus Christum esse purum hominem non adhaesit, sed communionem interdixit.

XX. S. Zephyrinus Montani errores non sectatus pariter est, sed profligavit.

XXI. S. Stephanus errorem de rebaptizandis haereticis execratus ultra fines recti non transiliit.

XXII. S. Marcellini fabula de facinore idolatriae satis conclamata iandudum est.

XXIII. Liberius quod exul miserrimus oblatum ab Arianis Fidei symbolum subscripsit in Thracia, in Sedem Romanam vix restitutus id crimen omnimodis diluit.

XXIV. Zosimus pro Coelestio Pelagiano rescribens non falsum illius dogma, sed voluntatem emendationis probavit.

XXV. Anastasius II. Photino haeretico communicasse, et Acacium quatuor ante annos praemortuum tentasse in communionem revocare falso dicitur.

XXVI. Honorius monothelismum non contraxit, quamvis nascentem illius haeresim praefocare is non sine gravi culpa neglexisset.

XXVII. Romanae Sedis auctoritas infallibilis nullum ab ea reclamandi locum relinquit.

XXVIII. Ad supremam Sedis Apostolicae spiritalem potestatem accessit sensim temporalis etiam ditio in statu ecclesiastico, multisque regionibus occidentalibus.

XXIX. Temporalis Ecclesiae Romanae potestas varias passa est vicissitudines.

I. Monarchicum principatum in universa totius orbis Ecclesia tenet Romanus Pontifex divi Petri in Sede Apostolica successor. Nam Christus Dominus Petro soli claves dedit regni coelorum, super hanc Petram aedificavit Ecclesiam suam, eumque supremum Pastorem creavit, inquiens: *Tibi dico, Petre : pasce agnos meos, pasce oves meas* (1). *Sunt et alii gregum Pastores*, aiebat divus Bernardus ad Eugenium III (2): *habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pater.* Pasce oves meas, *inquit. Quas? istius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Cui non planum est non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret. Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiae, contentus est Ierosolyma, Petro universitatem cedens.* Hanc supremam unius Papae potestatem praedixerat Isaias (3). Plura item alia utriusque Testamenti loca patefaciunt monarchicum regimen, quod ceteris regiminum formis praecellat, institutum a Christo Domino in Ecclesia fuisse: dum non modo uni unius Pastoris ovili ea comparatur, verum etiam regno aeterno (4) sub uno Rege, aciei castrorum ordinatae (5) sub uno Imperatore, domui, et familiae (6) sub uno Praeposito navi culae, et arcae (7), sub uno Gubernatore, unique corpori multa quidem membra (8), at Caput unum habenti. In veteri etiam Lege summus Pontifex Aaron, eiusque succes-

(1) Ioan. *cap. ult. vers. 17.* — (2) S. Bernard. *lib. 2. de considerat.*

(3) *Cap. 22. vers. 20. ad 24.* illis verbis: *Et erit in die illa : vocabo servum meum* Eliacim *(idest resurrectio Domini) et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum: et potestatem tuam dabo in manu eius. Et erit quasi* Pater *habitantibus Ierusalem, et dabo* clavem *domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudet, et claudet, et non erit, qui aperiet.*

(4) Daniel. *cap. 2. : suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur*: et Lucae *cap. 22. vers. 30.*

(5) Cantic. *cap. 5.* — (6) Lucae *cap. 12.*

(7) *Ep. 1.* Petri *cap. 3.* — (8) *Ad Romanos cap. 12.*

sorum unus continenter praefuit synagogae Hebraeorum (1). Lubet huc adferre celeberrimam venerabilis Gersonii sententiam (2), his verbis expressam. *Status Papalis institutus a Christo supernaturaliter, et immediate tanquam Primatum habens monarchicum, et regalem in ecclesiastica hierarchia, secundum quem statum unicum, et supremum Ecclesia militans dicitur una sub Christo: quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui ecclesiastico statui particulari coequare praesumit, si hoc pertinaciter faciat, haereticus est, schismaticus, impius, atque sacrilegus. Cadit enim in haeresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiae usque hodie tam per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiae in sacris eloquiis suis, et generalibus conciliis.*

II. Heterodoxorum nonnulli opinati sunt principatum honoris, et praesidentiae solum, non potestatis, et iurisdictionis diuo Petro collatum, velut primo inter pares Coapostolos, illiusque atque horum omnino aequalem fuisse auctoritatem. I. Quod Christi fideles perinde dicti sunt (3) *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*, atque *super Petram* Ecclesia. Petra sane, summusque lapis angularis Christus ipse potius (4), quam Petrus est. *Ecclesia* (inquit Augustinus) *fundata est* super Petram, *unde Petrus nomen accepit. Ideo quoque ait Dominus: super hanc* Petram *aedificabo Ecclesiam meam.* Petra *enim erat Christus, super quod fundamentum etiam aedificaturus esset Petrus* (5). Aliique Patres (6) accipiunt *Petram* pro Petri fide, et fidei confessione nomine totius Ecclesiae. II. Christus dirimere noluit contentionem inter Apostolos actam, quis eorum videretur esse maior (7); nec iussit Apostolos subesse Petro, sed humilitatem cunctis aeque suasit dicens, ut qui maior esset, fieret minor, sicut parvulus. III. Praedicationem Evangelii omnibus demandavit sine discrimine, inquiens: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (8)*: euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* (9)*: qui vos audit, me audit* (10). Unde Paulus (11) *unicuique nostrum* (ait) *data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* IV. Creditum Paulo apostolatum ad Gentes, Petro ad Iudaeos, eique dexteras datas, sacrae item litterae (12) testentur. V. Ambos Romae Episcopos Petrum, et Paulum consedisse tradunt SS. Epiphanius (13), Irenaeus (14), Chrysostomus (15),

(1) Deuteron. *cap.* 17.
(2) Gerson. in *tract. de statib. eccles. considerat.* 1
(3) A Divo Paulo *ep. ad Ephes. cap.* 2.
(4) *Ep.* 1. *ad Corinth.* 10. — (5) *Serm.* 13. *de verb. Domin.*
(6) S. Cyrillus *lib.* 4. *de Trinit.*, et S. Chrysostom. *hom.* 55. *in Matth.*
(7) Lucae *cap.* 22. — (8) Ioan. *cap.* 20.
(9) Matth. *cap.* 28. *vers.* 19, et Marci *cap.* 10. *vers.* 15.
(10) Lucae *cap.* 10. *vers.* 16. — (11) *Ad Ephes. cap.* 4.
(12) *Ad Galat. cap.* 2. ibi: *cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes, dexteras mihi dederunt.*
(13) S. Epiphan. *haeresi* 37. (14) *Lib.* 3. *adversus haereses cap.* 3.
(15) *Hom.* 32. *in ep. ad Rom.*

Leo M. (1), Gregorius M. (2), ceteri. Idemque Paulus *sollicitudinem omnium Ecclesiarum* sibi incumbere scripsit (3). VI. Tandem S. Cyprianus videtur agnovisse Petrum inter coaequales primum, dum scripsit (4): *Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti, et honoris, et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.*

III. Verum enimvero ex unanimi consensione Patrum ista in speciem pugnantia loca Scripturarum, ac dicta paucorum tanti non sunt, ut primatum Petri evertant, quum omnia probe in concordiam rediganter. Ad I. sic respondendum. Officium praedicationis, ac doctrinae evangelicae omnibus quidem Apostolis ex aequo Christus concredidit, at summam regiminis potestatem Petro soli, praetereaque nemini demandavit, quatenus is vices ipsius Domini obiret, catholicae Ecclesiae unitatem servaturus, ut Caput unum visibile. *Super Petrum fundatur Ecclesia*, inquit divus Hieronymus (5), *licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut* Capite *constituto, schismatis tollatur occasio.* Non enim ut minister, seu legatus Ecclesiae confessionem Fidei emisit, sed docente S. Cyrillo Alexandrino (6), *ut Princeps, Caputque ceterorum primus exclamavit: tu es Christus Filius Dei vivi.* Christus proinde speciali beneficio eum prosequuturus, mutato Simonis nomine, vocavit *Cepham, et Petrum*, quatenus ei suum Petrae nomen cum vicariae potestatis plenitudine communicaret. *Nam Christus Dominus*, inquam cum S. Basilio, *vere est immobilis Petra, Petrus vero propter Petram. Dignitates namque suas Iesus largitur aliis: largitur autem eas, nec illis spoliatur. Lux est*: Vos estis lux mundi, *inquit, Sacerdos est, et facit Sacerdotes*: *ovis est*, *et dicit:* ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum: *Petra est, et Petram facit*: *quae sua sunt, largitur servis suis* (7). Quis non videt una cum insigni suo Petrae nomine vicariam Capitis dignitatem Petro Christum Dominum contulisse?

IV. Ad II. Res quidem a Christo gesta cum Apostolis, antequam et Spiritu Sancto ipsi repleti essent, et supremi Pastoris potestatem Petrus accepisset, contendentibus de maiori inter se gradu, nedum non officii primatui Petri, sed immo favet. Christus enim ab regia temporali dominatione spiritalem principatum ibi distinguendo, iussit, ut qui maior inter Apostolos futurus esset, et praecessor in Ecclesia, non dominationem Regum aemularetur, sed humilitatem imitari studeret ipsius Domini, qui ministrare recumbentibus discipulis suis non dedignatus est. *Nam quis maior est* (inquit), *qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui mini-*

(1) *Serm.* 1. *de natal. Apostol.*
(2) *Lib.* 1. *dialogor. cap.* 12. — (3) *Ep.* 2. *ad Corinth. cap.* 11.
(4) *Lib. de unit. Eccles.* — (5) *Lib.* 1. *adversus Iovinian. cap.* 14.
(6) *Lib.* 12. *in Ioan. cap.* 64.
(7) S. Basil. *homil. de poenitentia.* Cum Basilio consonat Hieronymus *in cap.* 16. *Matth.*

strat (1). Verba istiusmodi, aliaque ante dicta retundendi ergo reprehensibilem inter Apostolos aemulationem, si possent ad abolendum primatum Petri detorqueri, ea aeque concluderent Christum non maiorem, sed parem Apostolis fuisse. Quo nil absurdius. Illis quippe verbis: *qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator*, satis superque Dominus indicavit aliquem inter eos fore maiorem, et praecessorem, quum pontificias claves tunc temporis Petro nondum dedisset, sed solummodo promisisset. Paulo tamen post Petro speciatim dixit (2): *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quid haec innuunt verba, nisi quod Petrus in pontificali Cathedra futurus esset Ecclesiae universe magister, et Fidei doctrinam esset traditurus nedum filiis, verum etiam fratribus, puta Coepiscopis? Post vero resurrectionem suam quum summum universae Ecclesiae Pastorem creasset Petrum, omni deposita aemulatione, Apostoli et verbo, et re eum habuerunt, ut suum ipsorum Principem. Nam a Matthaeo (3), qui recensuit nomina duodecim Apostolorum, *primus* dictus est *Simon Petrus*. Primus scilicet dignitate, ac potestate : non aetate, aut vocatione ad Apostolatum, quum Andreas ante omnes ad sequelam Christi vocatus esset, non Petrus. Ioannes, cui simul, ac Iacobo fratri eius mater primas sedes a Christo postulaverat, litteris demandavit (4) summam potestatem reapse Petro soli traditam pascendi, et agnos, et oves Christi. Primum Apostolorum concilium pro sufficiendo in locum Iudae proditoris alio Apostolo Petrus indixit, in eoque praesedit, et iura primatus exercuit (5). *Et merito primus omnium* (inquam cum Chrysostomo) *auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Christus:* et tu aliquando conversus confirma fratres tuos . . . *An non licebat ipsi Petro eligere? licebat et quidem maxime: verum id non facit, ne cui videretur gratificari* (6).

V. Ad III. Si potestas ordinis sacerdotalis, et praedicationis munus spectetur, eam omnibus Apostolis ex aequo traditam fuisse Patres consentiunt ex laudatis Scripturae testimoniis. At potestas iurisdictionis, et regiminis plenissima, illimitata, et suprema fuit Petro soli collata tanquam Capiti ad unitatem Ecclesiae servandam, et tanquam supremo Pastori, cui subessent ceteri etiam Pastores limitatam, communem, subordinatamque adepti potestatem. S. Eucherius Episcopus Lugdunensis (7) supremam Petri potestatem, qua ceteris ipse Apostolis praecelluit, ex illis Domini verbis: *pasce agnos meos, pasce oves meas*, ita explicat: *prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres: regit et subditos, et*

(1) Matth. *cap. 18*, et Lucae *cap. 22. vers. 26.*
(2) Lucae *cit. cap. 22. vers. 32.* — (3) *Matth. cap. 10. Evang.*
(4) Ioan. *cap. ult. Evang. vers. 16, et 17.*
(5 Quae supra memoravi *tit. 6. num. 2.*
(6) *Hom. 3. in Act. Apostolor.*
(7) *Serm. de natal. SS. Apost. Petri, et Pauli*, quem falso inscribunt Eusebio Emisseno.

Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos, et oves in Ecclesia nihil est. Unanimes in hac sententia sunt Patres.

VI. Ad IV. Ex modo dictis consequitur, quod particularis Evangelii praedicatio, quam ad Iudaeos primum suscepit Apostolorum Princeps, praesertim dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia (1), ante requirens, quemadmodum Dominus fecerat, oves, quae perierant domus Israel, haudquaquam circumscripserit eius amplissimam in toto orbe potestatem, eumque nec Paulo ad gentibus evangelizandum potissimum designato, nec ceteris Apostolis particulares divisim Nationes sortitis propterea aequaverit. Ex actis enim Apostolorum (2) novimus et Cornelium Italicae cohortis centurionem, Angelo monente, et gentes quamplurimas a Petro evangelicam Fidem accepisse. *Vos scitis*, aiebat Apostolis, et senioribus Petrus ipse, *quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum gentes audire verbum Evangelii, et credere.* Et contra Paulus perinde, ac Petrus ante Iudaeis, quam gentilibus Evangelium annunciavit. Sic enim turbis Iudaeorum Paulus, et Barnabas dixerunt: *vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes* (3). *Vos* porro *electionis* electus est Paulus, ut portaret nomen Christi tam *coram gentibus, et regibus, quam filiis Israel* (4). Cumque hierosolymorum Episcopus ab ipso Petro ordinatus esset Iacobus Alphaei Apostolus, frater Domini, cognomento Iustus, et Minor, qui extra Iudaeam non evangelizavit; Petrus autem divina praeordinatione ad alias in Gentibus Ecclesias fundandas transisset, intra fines Iudaeorum limitata eius potestas dici nequaquam potest.

VII. Ad V. Paulum Petro consortem fuisse in locali tantum episcopatu Romanae urbis, ac dioecesis, concludunt obiecta Patrum testimonia, secus in universali totius orbis. Si vero quis urgeat *sollicitudinem omnium Ecclesiarum* a Paulo habitam, animum advertere debet ad *clavem scientiae* duntaxat, quam Apostolo Doctori gentium universarum traditam scite monet S. Augustinus, quum *clavis potentiae* Petro soli credita esset. Igitur consors Petro Paulus extitit in praedicatione, ac doctrina per universum orbem diffundenda, haudquaquam in potestate universalis regiminis.

VIII. Ad VI. Genuinus S. Cypriani, aliorumque Patrum sensus de vero principatu B. Petri, et consortio Apostolorum satis, superque perspicuus, quum sit ex usque modo perpensis sacrarum Litterarum locis, et concordibus traditionis apostolicae testimoniis, a veritate longissime aberrasse noscuntur, qui honorificum sine iurisdictione Primatum effinxerunt, quique vel cum Edmundo Richerio (5) somniarunt Ecclesiam regimine pure aristocratico institutam, proindeque Petrum fuisse caput symbolicum, seu figurativum, ministeriale, et accidentale; vel cum Lu-

(1) Id liquet ex B. Petri *ep. 1. cap. 1.*
(2) Actor. *cap. 10. et cap. 15. vers. 8.*
(3) Actor. *cap. 13. vers. 46.* — (4) Ibidem. *cap. 9. vers. 15.*
(5) Richer. *lib. de ecclesiastica, et politica potest.*

*

dovico Dupinio (1) supremam Potestatem originarie penes Ecclesiam esse, ab eaque in Romanum Pontificem, ceterosque Praesules derivare. Haeresim porro, et schisma sapiunt huiusmodi assertiones. Non inficior S. Augustinum (2) cum nonnullis aliis Patribus sensui allegorico insistentem docuisse, quod Petrus, quando ei divinitatem Christi confesso dictum est: *tibi dabo claves*, universam repraesentaret Ecclesiam, Ecclesiaeque nomine claves accepisset, attamen *ut Princeps Caputque ceterorum primus exclamavit: tu es Christus Filius Dei vivi*, inquam cum S. Cyrillo Alexandrino (3), et claves accepit non aliter, quam gladium accipit nomine regni, populique Rex, aut Imperator eo usurus ad populi salutem, ac tutelam contra hostes iure monarchico, non tanquam Reipublicae Orator, ac Missus, regiam in ea potestatem non habens. Sane idemmet S. Augustinus (4) duplicem personam in Petro agnovit, alteram, quae referret Ecclesiae figuram allegoricam, alteram Principis, et Capitis veram, et realem, dum ait: *Petrus Ecclesiae figuram portans, et Apostolatus principatum tenens.* Nec alteram excludit altera, quia historicae veritati non derogare sensum allegoricum, et mysticum nemo vel leviter in sacris Scripturis versatus ignorat. Christum quoque gessisse figuram Ecclesiae, quando baptizatus est, sanctus idem Doctor exposuit allegorice (5). Numquid ergo sanae mentis homo poterit hinc inferre, quod reapse baptizatus ipse non sit, sed Ecclesia? Minime gentium. Itaque similiter ex eo, quod in clavibus accipiendis figuram Ecclesiae praesetulisset Petrus, concludi nequit, quod ipse Princeps Ecclesiae pontificias claves revera non accepisset, sed Ecclesia. Consequens hinc est a Capite Petro ad membra Corporis Ecclesiae profluxisse iura potestatis spiritalis, non e contrario a Corpore ad Caput. Tertullianus (6) scitissime scribit *claves Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* Optatus Milevitanus (7) *bono unitatis* (ait) *B. Petrus . . . . praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum* communicandas *ceteris solus accepit.* Quibuscum S. Cyprianus (8), ut ceteros sileam, idipsum exemplis solis, arboris, fontis uberiori vena perillustrat, sic inquiens: *Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: et cum de fonte uno rivi plures diffluunt, unitas tamen servatur in origine. . . . . Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur . . . . .* unum Caput *est, et* origo una, et una mater *foecunditatis.* Propterea

(1) Dupin. *dissert. 6, de Eccles. discip. §. 1, et dissert. de primatu Romani Pontificis.*
(2) S. Aug. *tract. 50, et 124. in Ioan. et in psalm. 108.*
(3) S. Cyrill. *lib. 12. in Ioannem.*
(4) S. Aug. *serm. 13. de verb. Domini.*
(5) *Lib. 15. de Trinit. cap. 16.*
(6) Tertull. *lib. Scorpiaci cap. 10.*
(7) Optat. *lib. 1. contra Parmenian.*
(8) S. Cyprian. *lib. de unitate Ecclesiae.*

Canonistae, solemnibus iuris verbis rem explanantes, fatentur potestatem ecclesiastici regiminis in Petro fuisse ordinariam, realem, perpetuam, quae ad Successores idcirco ipso iure transit: in ceteris vero Apostolis extraordinariam, personalem, delegatam, quae morte expiravit (1).

IX. In Apostolica Sede Romana primatum divi Petri perenniter viguisse, ac perseverare, *Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse*, profiteor ut Fidei dogma traditum a concilio Florentino, quod ante docuerant oecumenicae synodi Ephesina, Chalcedonensis Quinta, Sexta, Septima, Octava, unoque simul ore SS. Patres Cyprianus, Optatus, Irenaeus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Chrysologus, Nazianzenus, ceterique (2). Quum enim Princeps Apostolorum Ecclesiam Romanam Antiochena dimissa episcopali solicitudine gubernasset viginti-quinque annos, in eaque occubuisset, utramque suam, et supremi Pastoris Ecclesiae universae, et Episcopi particularis dignitatem ad Successores eamdem Sedem Romanam adepturos transmisit.

X. Dubitatum aliquando fuit, utrum iure divino, an humano sit Romano episcopatui primatus universalis adnexus? Ignota siquidem res est, num ex Christi praecepto, divinave speciali revelatione, an voluntate sua Sedem Romae fixerit Petrus. Quippe qui potuisse videtur, vel nullius particularis Ecclesiae regimen suscipere, vel Antiochenam usque ad obitum retinere Sedem, vel alio Cathedram suam Roma transferre, quemadmodum Antiochia Romam ante traduxerat. Verum etsi

(1) Petr. de Marca *in dissert. de singulari Primatu Petri num. 8.*

(2) S. Cyprianus *ep. 52.* Cornelium omnium suffragio factum Episcopum Romae scribens, *cum Fabiani locus* (ait), *idest cum locus Petri, et gradus Cathedrae sacerdotalis vacaret.* Et *ep. 45. ad Cornelium*: *Scimus* (ait) *vos hortatos eos esse, ut Ecclesiae catholicae* radicem, et matricem, *agnoscerent, ac tenerent.* S. Petrus Chrysologus *ep.* ad Eutychetem, quae extat *par. 1. Conc. Chalcedon. n. 15*, hortatur Eutychetem, ut scriptis beatissimi Papae urbis Romae obediret: *quoniam* (ait) *B. Petrus, qui in propria Sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus Fidei veritatem.* S. Hieronymus *ep. 57. ad Damasum Papam* ita scribit: *Cum successore Piscatoris, et discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio . . . Quicunque tecum non colligit, spargit.* Concilium Sardicense, cui Patres 300, et ultra adfuere, epistola synodica ad Iulium Papam haec habet: *Hoc optimum, et valde congruentissimum esse videbatur, si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.* S. Augustinus *ep. 162*: *In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus.* Optatus Milevitanus *lib. 2. contra Parmenianum*: Cathedra *unica est, quae sit prima. Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus . . .* S. Irenaeus *lib. 3. adversus haereses cap. 3*: *Ad hanc Ecclesiam* (inquit) *propter potentiorem primi qualitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

concedamus cum sapientissimo Papa Benedicto XIV (1) ex facto B. Petri, non ex praecepto Christi, ideoque iure humano coniunctam episcopatui Romae supremam universalis Pastoris potestatem: inferri nullatenus inde potest, quod valeant homines, vel universa Ecclesia rem a B. Petro gestam destruere, unionem utriusque Potestatis pontificiae, et episcopalis dissolvere, alteram ab altera separare, et cuilibet alteri, praeterquam Romae Episcopo veram P. Petri successionem addicere. Nam aedificium Ecclesiae corruat necesse est, si petra *fundamentalis* Romae ab ipso Petro posita subruatur, et alio ab hominibus transportetur: adversus quam portas inferi toties reclusas *non praevaluisse* adhuc docet experientia tot saeculorum, nec praevalituras unquam praedixit certissime Christus Dominus.

XI. Ob urbis eminentiam, et imperium priscos Patres Romano Episcopo summum pontificatum indulsisse, perperam opinati sunt Graeci schismatici. Iisque nequit suffragari improbatissimus canon XXVIII. concilii Chalcedonensis, his verbis conceptus: *Antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes urbem, quae et Imperio, et Senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extolli, ac magnifieri*, secundam *post illam existentem*. Quis enim tam hospes in historia conciliorum erit, ut nesciat canonem istum ab Ecclesia catholica continuo, et continenter, atque a S. Leone M. reiectum, expunctumque ex collectionibus, et codicibus sacrorum canonum, qua graecis, qua latinis, praesertim Teodoreti, et Dionysii Exigui? Si cui tamen aliqua dubitatio adhuc haereat ex qualicumque istius repudiati canonis auctoritate: is inspiciat oportet dignitatem solummodo patriarchalem fuisse inibi spectatam, qua iure humano tunc fruebantur quum Romanus, tum Alexandrinus, et Antiochenus Episcopi ex canone sexto concilii Nicaeni; quamque Sedi etiam Constantinopolitanae intuitu throni imperialis largiri Patres Chalcedonenses tunc incassum conati sunt, habiturae exinde secundum gradum post Romanam utique, sed ante Alexandrinam et Antiochenam. Et nemo non videt Patres ipso Chalcedonenses ideo post posuisse Romano, et praetulisse ceteris Patriarchis Praesulem Constantinopolitanum, quia Primatum Cathedrae Romanae immobilem iure divino probe noverant.

XII. Pluribus quidem, quinimmo cunctis Episcoporum gradibus, dignitatibusque simul consociatis Pontifex Romanus reapse potitur, quippe qui non modo est universae Ecclesiae per totum orbem terrarum diffusae Pastor summus, et Papa, verum etiam Occidentis Patriarcha, Primas Italiae, Archiepiscopus seu Metropolitanus Romanae provinciae, et Episcopus urbis Romae. Papalem dignitatem, de qua hoc titulo agitur, ipse dumtaxat obtinet: ceteras in sequentibus rubricis inspiciendas cum multis Praesulum habet communes. Solus ideirco divi

(1) Bened. XIV. *lib. 2. de Synod. diocesana cap. 1. num. 1.*

Petri Successor appellatur Episcopus universalis (1), Patriarcha oecumenicus (2), Pater Patrum (3), Episcopus Episcoporum (4), Pontifex Maximus (5), et universalis Papa, praeterea nemo (6). Simplex

(1) In *ep.* B. Marci ad Anastasium, et Conc. Lateran. sub Nic. II. *in can. in nomine* §. *novit. dist. 23.*

(2) Chalcedonense concilium generale *art. 3.* multos libellos ita inscriptos habet: *sanctissimo, ac beatissimo* universali Patriarchae *magnae Romae Leoni.* Atque in acclamationibus Patres omnes eiusdem concilii ore uno dixerunt: *Leo sanctissimus apostolicus, et* oecumenicus Patriarcha *per multos annos vivat.* Hasce inscriptiones, et acclamationes commemorat S. Thomas *in opusc.* contra errores Graecorum, laudatus a Romanis Correctoribus post *can. ecce 5. dist. 99.*

(3) A divo Athanasio *ep.* ad Liberium.

(4) A Tertulliano *lib. de pudicitia cap. 1.*

(5) Pontificatu maximo ethnicos Imperatores, et verbo, et re potitos tradit romana historia, quorum exemplo adducti Constantinus M., et succedentes Christiani Impp. usque ad Gratianum sese condecoratos voluere titulo etiam Pontificis maximi sine ulla tamen re, aut potestate pontificali, ut patet ex veteribus inscriptionibus, et panegyrico Ausonii, qui Gratianum *religione Pontificem* appellat, et S. Isidoro *in can. cleros 1. dist. 21., ex act.* 3. Concilii Chalcedonensis, ubi Patrum vocibus idemmet Caesar *Pontifex inclytus* semel, iterumque dicitur. Tametsi ab eo religiosissimo Principe titulum hunc fuisse repudiatum, ab eiusque successoribus testatur Zosimus *lib. 4. hist.* Processu temporum tanta fuit Imperatorum graecorum arrogantia, ut Pontificis maximi non modo nomen, sed potestatem sibi usurpare non dubitarent, sacra faciendo, et altaris munia obeundo, ut tradit Balsamon in notis *ad can. 69. synodi VI.* Eam ob rem Nicolaus Papa *ep.* ad Michaelem Imperatorem data eum non iniuria redarguit; vetuitque, ne laici Imperatores amplius abuterentur, neque seipsos insignirent Pontificis titulo. Huius *ep.* fragmenta extant in *can. quoniam 8. dist. 10., et can. cum ad verum 6. dist. 69.*

(6) S. Gregorius M. *ep. 32. lib. 4.* ad Mauritium Imperatorem data, increpavit meritissime Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, quod se *universalem Episcopum* superbe diceret, et *blasphemiae nomen* sibi arrogare non dubitaret. *Absit a cordibus Christianorum* (aiebat Gregorius) *nomen istud blasphemiae, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certe pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici* (puta S. Leoni M.) *oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec uti consensit.* Idemque *ep. 36. Nullus unquam* (ait) *decessorum meorum tam profano vocabulo uti consensit: quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, patriarchicum nomen ceteris denegatur.* Pariter concilium Africanum in *can. primae Sedis dist. 99.* depressit superbiam Metropolitanum Africae, sanxitque ne quis primae Sedis Episcopus diceretur princeps sacerdotum, vel summus Sacerdotum. At perperam Gratianus post *cit. can. primae sedis* probandum assumpsit, quod *universalis*, nec etiam Romanus Pontifex appelletur; duabus deceptus epistolis altera Pelagii II., altera S. Gregorii M. Nam Pelagius in *can. nullus 4 dist. 99.*, rescripsit quidem, ut nullus Patriarcharum *universalis* vocabulo uteretur: verum nil de Romani Pontificis titulo attigit. S. Gregorius vero in *can. ecce 5., et ult. eadem dist.* S. Eulogio Patriarchae Alexandrino rescribens conquestus sese universalem Papam ab eo dictum *superbae appellationis verbum* (inquit humillimus Pontifex) *universalem me Papam dicentes imprimere curastis.... Quod peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat. . . Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus.* Hisce verbis egregium apostolicae humilitatis exemplum S. Pontifex dedit omnibus Patriarchis, praesertim Constantinopolitanis, ut ne titulum Summo Pontifici sacrum, eique

nihilominus Papae nomen aliis olim Episcopis tributum notat Baronius (1) cum adiuncto etiam *beatissimi* (2). Quod nomen a græco verbo πατ-τας ductum, idem, ac *Pater* latine sonans, Romano tantum Pontifici, cui speciatim convenit ex prophetico Isaiae sermone (3), adhaerere per antonomasiam sine adiectivo primum consuevit saeculo quinto (4): deinde reservatum est canonica sanctione synodi Romanae sub S. Gregorio VII. anno 1073, ubi cautum, ne quis alius, praeterquam Romanus Pontifex Papae vocabulo appellaretur.

XIII. Mutare sibi nomen solent Romani Pontifices, quia mutant et statum, exemplo divi Petri, qui antea Simon dicebatur. Morem hunc invexisse primus omnium fertur Octavianus Alberici patricii filius, qui thronum pontificium adeptus aetatis anno XVIII, nomen Ioannis XII. assumpsit, adhibuitque in rebus ecclesiasticis, in profanis vero illud Octaviani retinuit. (5)

XIV. Praerogativas plurimas primatui Romanae Sedis adnexas novit Ecclesia catholica (6). I, Papam de universis militantis Ecclesiae hominibus quavis etiam episcopali, aut patriarchali dignitate praeditis indicare in causis qua civilibus, qua criminalibus: eosque rite ob cri-

soli ab Ecclesia cum Patribus Chalcedonensibus iure dictum ipsi sibi arrogarent. Tum facto exemplum istud probaturus, posthabito Papae universalis titulo in litteris pontificiis maluit primus etiam inscribi: *Gregorius servus servorum Dei:* uti Io. Diaconus testatur in eius vita *lib. 4. cap. 58*, quam inscriptionis formulam successores Papae adhibuerunt, adhue vigentem.

(1) Ad *an. 165. num. 10. Papam* inoffenso verbo dixerunt S. Cyprianum Carthaginensem Episcopum Clerus Romanus, Aurelium Hypponensem S. Augustinus, hunc saepe S. Hieronymus, Avitum Viennensem synodus Turonensis II., ceteros ceteri.

(2) S. Hieronymus ad Augustinum *ep. 9. lib. 1.* scribens: *incolumem te* (ait) *et mei memorem Christus Dominus custodiat, domine vere sancte, et beatissime Papa.* — (3) *Cit. cap. 22. vers. 20. ad 24.*

(4) Id probat Thomassinus *par. 1. lib. 1. cap. 50. n. 14.*, ex synodis Chalcedonensis, et Toletana I.

(5) Murator. *in annal Ital. ad an. 956*, Baron. *ad eumdem annum*, Onuphr. Panvinius *in adnot. ad Platinam in vit. Io. XII.* A Martino Polono deceptus Platina falso tradit Sergium II. ante omnes mutasse sibi nomen an. 844., turpitudinis vitandae causa, propterea quod ante adpellaretur *Os porci.* At refellitur auctoritate vetustiorum historicorum, et praesertim Anastasii bibliothecarii testantis huic Pontifici paternum Sergii nomen ante Papatum quoque fuisse. Ioannis XII. exemplo usus primum est Petrus Papiensis Episcopus, qui Ioannes Papa XIV. nuncupari voluit an. 984. Tum Bruno Othonis Saxonum Ducis filius, puta Gregorius V. an. 996. Deinde alii gradatim successores, quorum nihilo minus Hadrianus VI., et Marcellus II. saeculo XVI. pristinum nomen in solio pontificio dimittere noluerunt.

(6) Earum praecipuos fassi sunt Graeci octo propositionibus Innocentio VI. oblatis, imperante Theodoro Lascaro iuniore, ad ineundam cum Romana Ecclesia unionem, quas ab Innocentio, eiusque Successore Alexandro IV. comprobatas scripsit ipsemet Alexander *ep. 305. lib. 2.*, N. Alex. *in hist. saec. 13. art. 5. de Alex. IV.* Tum Clemens VI. in professione fidei ad Consolatorem Armeniae catholicon, Clerumque universum transmissa an. 1351., iura potissima primatus pontificii quatuordecim articulis explicuit, quos excriptos habent Raynaldus *ad d. an. 1351. n. 11.*. et N. Alexander *in hist. saec. 14. cap. 1. art. 4. de Clem. VI.*

mina censuris coercere, ac degradare, vel iudicandi, ac puniendi auctoritatem aliis delegare (1). 2, a sententiis Papae ad alium indicem appellari non posse (2). 3, Papam e contrario a nemine in terris iudicari posse, et soli Deo iudicandum servari: nec saeculari cuicumque Potestati subiici quod ad institutionem iudicialem, correctionem, vel destitutionem (3). 4, Generales canones, et ecclesiasticas leges posse condere (4): easque disciplinam spectantes, aut abrogare, ac mutare, aut quandoque ab iisdem servandis dispensationem indulgere (5). 5, Quaestiones circa Fidei doctrinam e Cathedra infallibiliter definire (6). 6, Circa Sacramentorum administrationem, salvis semper iis, quae sunt de necessitate, ac integritate, diversos Ecclesiarum ritus ne-

(1) Res gestae primis etiam Ecclesiae saeculis ostendunt summos Pontifices hoc iure usos. S. Irenaeus Episcopus Lugdunensis et martyr secundi saeculi *lib. 3. adversus haereses cap. 3.*, omnes orbis Ecclesias ad Romanam propter primatum confugere tradit, sic inquiens: *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Idemque S. Doctor propterea Victori Papae fuisse potestatem excommunicandi Quartadecimanos Asiae Episcopos, quorum dux fuit Polycrates Ephesinus, quod de tempore Paschatis celebrandi a sententia Ecclesiae Romanae pertinaciter discordarent, agnovit: dum ut Eusebius *lib. 5. hist. cap. 24.* testatur, Irenaeus ipse Victorem monuit, *ne tam multas Ecclesias a corpore universae Ecclesiae penitus amputaret.* S. Stephanus Papa saeculo tertio anathema comminatus est SS. Cypriano, et Firmiliano, ceterisque Africanis, et Orientalibus Episcopis, quod rebaptizandos ab haereticis baptizatos contra traditionem contenderent, ut notat Vinc. Lirinensis *in commonitor. 1. adversus haereses cap. 5.* Et S. Cyprianus ad Cornelium PP. *ep*, 45. de Policarpo scribens ait: *Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiae catholicae radicem, et matricem agnoscerent, ac tenerent.* Aurelianus Imperator licet ethnicus, postulantibus Antiochenis Christicolis, rescripsit domum, quam Paulus Samosatenus detinebat, postquam a sede Antiochena deiectus, damnatusque a duabus synodis fuisset, debere illis restitui, ad quos Episcopus Romanus cum Italiae Episcopis pertinere iudicasset, teste Eusebio *lib. 7. hist. cap. 30*, Fleury *lib. 8. hist. eccl. n. 8.* S. Dionysius Alexandrinus Patriarcha apud Romanum Pontificem Dionysium accusatus de haeresi suas protulit defensiones, ut refert S. Athanasius *lib. de Synodis Arimini, et Seleuciae.* Sequenti quarto saeculo S. Athanasium Patriarcham item Alexandrinum, auditis Arianis accusatoribus, rite absolvit Iulius I., ut liquet ex ipsius Pontificis epistola apud S. Athanas. *apologia 2.* Quemadmodum et Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Lucium Adrianopolitanum Episcopos ab Arianis depositos suis sedibus, re cognita, restituit. Huc spectant. *can. 3, 4, et 7.* conc. Sardicensis.

(2) *Can. nemo iudicabit 13, et seqq. C. IX. qu. 3.* Nicolaus V. vetuit sub anathemate, ne disputaretur, Concilium ne supra Papam, an e contrario Papa supra Concilium esset. Et Pius II. Nicolai Successor appellationes a Papa ad Concilium omnino proscripsit.

(3) *D. can. 13, et seqq.*

(4) *Can. praeceptis 2. dist. 12, can. 2, et 4. dist. 19, et cap. 1. de constit.*

(5) *Cap. cum inferior 16. de maior. et obed.* ibi: *Cum inferior superiorem, solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter, et absolvat, et satis absonum videatur, ut filius potestatem habeat in parentem.*

(6) Quod mox inferius edisseretur.

dum tolerare, sed etiam permittere (1). 7, Concilium oecumenicum indicere, convocare, quaestiones in eo referre, illiusque decreta confirmare (2). 8, Indulgentias plenarias largiri (3). 9, Breviarium, et Missale Romanum corrigere, ac mutare (4). 10, Sanctos canonizare (5). 11, Ordines Regularium, eorumque regulas adprobare (6). 12, Cathedrales Ecclesias, sive episcopales, sive archiepiscopales, sive patriarchales erigere, supprimere, unire, easque, vel maiori dignitate ornare, vel destituere (7). 13, Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Pa-

(1) Ex decreto Eugenii IV. pro Armenis, et declarationibus supra laudatis Innocentii IV., Alexandri IV., et Clementis VI.

(2) Illisce praerogativis usos fuisse Romanos Pontifices in ante actis conciliis generalibus quum graecis, tum latinis, patet ex supradictis *tit. 6. cap. 1.*

(3) Quod ostendit Andreas Duvallius *in praef. lib. de auctor. Papae, et Concilii*, et plurimis testimoniis, constitutionibus, et exemplis praecessorum Pontificum tradit sapientissimus Papa Bened. XIV. *in ep. encyclica de praeparat. ad an. universalis iubilaei num. 13., et 14., data die 26. Iun. 1749.* Episcopis enim nonnisi limitatas indulgentias ex constitutione concilii Lateranensis III. concedere fas est, quum Romanus Pontifex ea etiam in re plenitudinem potestatis habeat, *cap. cum ex eo 14. de poenit., et remiss.*

(4) In primitiva Ecclesia Episcopus quisque liturgiam suae dioecesis peculiarem efformandi facultatem habebat, dummodo ab orthodoxa Ecclesiae doctrina nil dissonaret. Exinde diversitas formularum, et precum, et hymnorum in cultu divino prodiit, quas praesertim Ecclesiis Caesarecnsi, Constantinopolitanae, Ambrosinae conscripserunt SS. Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, aliter, quam Romana usurpavit Card. Bona *rer. liturg. lib. 1*, Bingham. *origin. eccles. vol. 1. lib. 2, cap. 6. §. 2.* Saeculis posterioribus Ecclesiae singularum Provinciarum ordinem, et formam liturgiae metropoliticae adhibuerunt more primum spontaneo, deinde legibus synodicis, Bingham. *vol. 5. lib. 13. cap. 5. §. 2.* Tandem hinc abusus episcopalium variationum, hinc utilitas concordium precum in causa fuere, ut Ecclesiae Romanae aliarum omnium parentis, et magistrae ordinem in divinis officiis, et sacris peragendis receptum observare adamussim obligarentur universae Ecclesiae ex constitutione Pii V. edita *de publicat. Breviar. Roman. correcti, 7.* Idus Iulii 1568.

(5) Alex. III. in *cap. 1. de reliq., et venerat. Sanctor.* rescripsit non licere hominem *pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae publice venerari.* Tametsi in veteri Ecclesiae disciplina sola Episcopi dioecesani, aut Metropolitae, aut Primatis auctoritate, christifideles, vel martyrio coronati, vel morum sanctitate, et miraculis celebres colebantur inter sanctos: ius nihilominus *canonizandi*, puta *praecipiendi* cultum Sanctorum ad Pontificem duntaxat maximum pertinuit Aliud quippe sonat *beatificatio*, quae *permittit* solummodo, non praecipit cultum, Quis etenim in Ecclesia cunctos christifideles ad novos Sanctos venerandum obligare iure poterit, nisi summus Pontifex? Praeterquam quod sceiestos quum non semel instar beatorum coluissent populi, vel ignorantia, vel fraude decepti: oportuit rem tanti momenti supremo Romanae Sedis iudicio reservare. Consulantur ea in re opera omnium longe praestantissima, et uberrima Benedicti PP. XIV. *de beatificat., et canonizat. Sanctor.*

(6) *Cap. fin. de religios. domib. et cap. ult. eod. tit. in VI.*

(7) His de rebus dicam *in seqq. tit.* Causas vero canonicas erigendi, vel supprimendi, vel uniendi cathedrales Ecclesias, easque eximendi a iure metropolitico innuit Ioannes XXII. in Extravag. *Salvator 5. de praeb, et dignit.* inter comm: tum in Extravag. *Sedes Apostolica 1. de concess. praeb.* Videsis quae dixi in tract. *de Beneficiis cap. 4. num. 7. 35. et seq.*

triarchas creare, et confirmare (1). 14, Inferiores Ecclesiarum titulos, et beneficia in nonnullis casibus collationi apostolicae reservare (2). 15, Maiores item alias causas ecclesiasticas, ut Episcopi ad ipsum deferrent, iubere. (3).

XV. Infallibilem divino privilegio in controversiis *Fidei ex cathedra* definiendis Romanum Pontificem orthodoxi omnes ore uno confitentur, ac norunt ex illis Christi Domini verbis: *Simon Simon, ecce Satanas expetivit* vos, *ut cribraret sicut triticum: ego autem oravi pro* te, *ut non deficiat* fides tua: et tu *aliquando conversus, confirma fratres tuos* (4). Nemo tamen inficiatur, ut privatum doctorem posse Papam errare, utque hominem infirmitate circumdatum, suam, subditorumque salutem negligere (5). Quandonam reapse dicatur ex Cathedra Pontifex definire, necne, disputant Doctores, quorum discordia non-

(1) Itidem inferius in seqq. rubricis.

(2) Patet ex supradictis *tit. 7. pag. 84, et seq.*

(3) Innoc. III. ad Arelatensem Archiep. *in cap. maiores 3. de baptismo.*

(4) Lucae *cap. 22. vers. 32.* Hoc divino oraculo edoctus divus Bernardus *ep. 190. ad Innocent. II.* ita scribit: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum periculo quaeque, et scandala regni Dei, praesertim quae de* Fide *contingunt. Dignum namque arbitror ibi resarciri damna* Fidei, *ubi non possit Fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando:* Ego pro *te* rogavi, ut non deficiat *fides tua?* Istam infallibilitatis pontificiae praerogativam constantissima, perpetuaque SS. Patrum traditio commonstrat. S. Cyprianus *ep. 55. ad Cornelium Papam* de Romanis Episcopis divi Petri Successoribus verba faciens ait: *ad quos perfidia habere non possit accessum.* S. Petrus Chrysologus *ep.* ad Eutychetem *par. 1. conc. Chalced.* hortatur Eutychetem, ut *his, quae a beatissimo Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendat: quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus* Fidei *veritatem.* S. Hieronymus *ep 57. ad Damasum* scribens: *a pastore* (inquit) *praesidium ovis flagito. Cum successore Piscatoris loquor . . . . Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior . . . Obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum . . . ut mihi litteris tuis, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.* Et fusius in *can. haec est Fides 14. C. 24. qu. 1.* S. Augustinus contra Donatistas insurgens, inquit: *Numera Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri. . .Ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* S. Theodorus Studita ep. ad Paschalem: *Vos igitur* (ait) *vere illimis fons, ac sincerus iam inde a principio verae* Fidei. *Vos ab omni haereticorum procella longe positi, securus totius Ecclesiae portus. Vos a Deo electa civitas ad salutis refugium.* Ceteri omnes huic tradendo dogmati suffragantur.

(5) *Can. si Papa suae 6. dist. 40.*, ex dictis Bonifacii martyris. Clemens VI. se fallibilem agnoscens haec morti proximus, rescripto dato 7. idus Decembris 1351., pronunciavit: *Nos, qui inter peccatores peccator vivimus, infirmitatem nostram poenitentiae passibus metientes, si qua dudum in minoribus constituti, et postquam ad fastigium apostolicae dignitatis divina bonitas dignanter potius, quam digne provexit, nos disputando, legendo, praedicando, aut aliàs contra catholicam veritatem et* Fidem, *vel bonos mores, et lapsu linguae praecipitanter forte protulimus, revocamus, et volumus pro revocatis haberi: et ea omnia Sedis Apostolicae auctoritati submittimus corrigenda.* N. Alexander *to. 16. edit. Neap. hist. saec. XIV. art. 4.* Hadrianus VI., quum ante pontificatum Lovaniensis professor docuisset *in commen. ad 4. sentent. qu. 9. de confirm.* posse Pontificem errores proferre: istiusmodi sententiam e suis commentariis haud expunxit.

nihil facessit negotium. Quae ad nonnullos privatim viros dantur a Papa epistolae, rescripta, instructiones sine maturo examine, aut sine fratrum consilio, eas tunc a privato, et fallibili doctore prolatas aio. Quas vero assumpta universalis magistri persona, implorato publicis precibus auxilio Spiritus Sancti, perpensis sacrae Scripturae, traditionis apostolicae, probatorum canonum testimoniis, adhibitoque Senatus Ecclesiae suae consilio (citra synodum quoque oecumenicam) rite promulgat dogmaticas definitiones, et encyclicas litteras ad universam Ecclesiam, cunctosque christianos edocendum, iubens, ut omnes ubique fideles talem doctrinam ita expositam amplectantur, et custodiant; has puto ex infallibili Cathedra Petri per os Pontificis Romani pronunciatas.

XVI. Galli, praesertim Sorbonici opinantur Summum Pontificem, nonnisi accedente Ecclesiae consensu, vel antecedente, vel concomitante, vel subsequente esse infallibilem. Quo vero pacto stabit sponsio Christi de fide Petri nunquam defectura, deque Petro fratres confirmaturo, si Petri fides subiiciatur omnino fratrum, puta Episcoporum censurae, aut confirmationi? Decretis synodicis, nisi accesserit auctoritas Summi Pontificis, ea nullius esse momenti, et potius conciliabulo, quam concilio attribui iam constat (1): pontificia decreta secus, quae seiunctim a canonibus conciliorum alteram Iuris Canonici partem constituunt (2). Haud parvi tamen faciendus est consensus Ecclesiae, sive per orbem diffusae, sive in synodis collectae: immo potius spectandus maximoperc, ut signum eximium, evidenter indicans infallibilitatem rerum Fidei a Cathedra Petri definitarum. Cum etenim doctrinam a Summo Pontifice propositam amplectitur Ecclesia, quae *est columna, et firmamentum veritatis*, omnis evanescat necesse est erroris suspicio.

XVII. Ex perspecta pollicitatione Christi, qui mentiri nequit, necessario consequitur Sedem Apostolicam, seu Romanam Petri Cathedram nulla unquam haeresi maculatam fuisse. Quod e re nata eliquandum superest contra heterodoxos blaterantes a Fide aberrasse et S. Petrum, et nonnullos eius Successores S. Victorem, S. Zephyrinum, S. Marcellinum, Liberium, Zosimum, Anastasium II., Honorium I., ceteros.

XVIII. Obiectant in primis, quod S. Petrus antiochenos fideles compulisset ad iudaizandum, et S Paulus in faciem Cephae ideo restitisset, quia reprehensibilis erat (3). Respondetur, quod ad doctrinam ea in re Petrum fuisse irreprehensibilem. Ipse etenim in concilio hierosolymitano, antequam venisset Antiochiam, iam docuerat non esse imponendum gentilibus iugum legis mosaycae: sed quod ad mores solummodo, et praxim doctrinae indulgentiorem erga Iudaeos sese praestitit. Quemadmodum et Paulus quoque una cum quatuor viris sese purificavit, explevitque postea coeremonias Hebraeorum pro temporis, et personarum conditione, suadentibus S. Iacobo, et senioribus, ut videretur

(1) Ex supradictis *tit. 6. cap. 1.*
(2) Liquet ex traditis supra *tit. 7.*
(3) Ad Galat. *cap. 2. vers. 11.* Eusebius Caesareensis *lib. 1. hist. cap. 14*, opinatur Cepham fuisse discipulum Domini, non Principem Apostolorum.

et ipse custodiens legem (1). Et ita *factus est Iudaeis tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucraretur* (2).

XIX. Artemonis, qui purum hominem esse Christum blasphemabat, discipuli per calumniam impudentissimam iactarunt id ab Apostolis, et Successoribus ad *Victorem* usque praedicatum. At quomodo non illos puduit tantam blasphemiam S. Victori nominatim addicere, qui Theodorum Coriarium illius execrandae haeresis ducem christiana communione interdixerat (3)?

XX. Tertullianus Montani haeresim professus solemni haereticorum more scribere non dubitavit, quod *Zephyrinus* prophetias (verius insomnia) Montani, Priscae, et Maximillae agnovisset, ac probasset (4). Tametsi ex aliis ipsius Tertulliani scriptis, itemque testimonio Gaii coaevi auctoris patet Montani errores a S. Zephyrino profligatos (5).

XXI. *S. Stephanum,* dum proscripsit errorem S. Cypriani, aliorumque Praesulum de rebaptizandis haereticis, in contrarium errorem prosiluisse, Blondellus suadere conatur ex illis Stephani verbis a S. Cypriano exscriptis (6): *Si quis ergo a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Baptizatos a quacunque haeresi venientes rebaptizari vetuit Pontifex. Ergo (ita arguit Blondellus), nec etiam eos, qui baptismum non evangelicis verbis suscepissent, vel a Marcionitis baptizantibus in solo nomine Christi, aut a Paulianistis de Trinitate male sentientibus, et formam evangelicam in baptismo non tenentibus. At consequentia haec negatur probissime, quoniam ex implicito, et ambiguo sensu verborum per coniecturam error certus male appingitur S. Pontifici, cuius mentem, quam assecutus non est Blondellus, aliam omnino fuisse testis maior omni exceptione Firmilianus (7), ut ceteros brevitatis gratia praeteream, certiores nos facit, sic inquiens: *non putant quaerendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Non igitur erravit S. Pontifex, qui baptismum a quocumque haeretico forma evangelica collatum ratum habuit.

XXII. *S. Marcellini* ad thurificandum idolis prolapsi, et facinus confessi in concilio Sinuessano (8) fabellam iamdiu conclamarunt Daniel, Papebrochius, Antonius, et Franciscus Pagius, N. Alexander, aliique. In genuinis vetustae historiae scriptis, praesertim Eusebii, et Theodoreti sanctitas Marcellini utique praedicatur: de sacrilega vero thurificatione, aut poenitentia, ne verbum quidem unum. Acta concilii Sinuessani tot falsitatum notis deturpata mercibus pseudo Isidori accensean-

(1) Actor. *cap. 21. vers. 22. et seqq.*
(2) *Ep. 1. ad Corinth. cap. 9. vers. 21.*
(3) Euseb. *lib. 5. hist. eccl. cap, 27.*
(4) Tertull. *lib. adversus Praxeam cap. 1.*
(5) Quod satis ostendit N. Alexander *to. 7. in hist. saec. 3. dissert. 1.*
(6) S. Cyprian. *ep. 74. ad Pompeium.*
(7) *Ep.* ad S. Cyprianum.
(8) *Can. nunc autem 7. dist. 21., ex ep.* Nicolai I. ad Michaelem Graecorum Imp. Bellarmin. *to. 2. de Concil. cap, 19.*

tur, aut fraudi alicuius Donatistarum paullo post divi Augustini tempora (1).

XXIII. *Liberium* Ariana haeresi infectum criminantur, propterea quod symbolo Sirmiensi subscripserit, et Arianis communicaverit, semoto S. Athanasio Alexandrino Quoniam vero duas Fidei formulas procul dubio tulit pseudo-synodus Sirmiensis a Constantio Ariano Principe coacta, alteram orthodoxam contra Photinum, Arianam alteram: utri Liberius subscripserit, facti quaestio est longe difficillima. Baronius (2), et N. Alexander (3) pluribus, iisque firmis argumentis Liberium priori formulae illimi subscripsisse tutantur contra Blondellum, ceterosque aliter sentientes. Hoc tamen certo certius docet historia, quod Liberius Nicaenam fidem, innocentiamque S. Athanasii quum diu propugnasset, irati Principis minas primum non veritus maluit exilium ferre, quam fidem prodere. Dum Beraeam Thraciae in exilium pulsus, maioribus in diem malis obrutus, periculo mortis perterritus, post biennium noxam inconstantis animi fecisse, ab officio descivisse, symbolo Fidei ab Arianis oblato Beraeae subscripsisse fertur, litterisque suis ab Imperatore facultatem redeundi ad Sedem suam postulasse. In Cathedram apostolicam vix restitutus omne crimen diluit, dum Arianorum perfidiae, et ariminensi conciliabulo restitit, ac decretam a Valente relegationem passus est animo multo constantiore. Quid exinde blaterant hostes Ecclesiae? Pontificem ne ex Cathedra definientem errasse in Fide? Ecquos characteres Papae ex Cathedra docentis praesefert subscriptio Liberii exulis? Liberius porro e Cathedra deiectus in exilium, satellitibus, qui mortem comminabantur, circumdatus, Arianis seductoribus corruptus, metu quam maxime gravi, qui libertatem, ac voluntarium viri, vel constantissimi animum prorsus ademit (5), compulsus, si arianae perfidiae symbolo revera subscripsisset: non Pontificis tranquillo animo e Cathedra docentis, sed hominis privati, miserrimique personam tunc agebat.

XXIV. *Zosimum* nugantur pelagianam haeresim probasse, propterea quod Coelestii illius sectae supparis ducis ab Africanis synodis, et Innocentio I. iam damnati, Fidem velut catholicam commendasset, litteris ab ipso Zosimo ad Africanos Basilisco datis. Nugantur sane id asserentes: quia hisce litteris Zosimus nil aliud iussit, nisi ut ad sese merita causae referrent Episcopi Africani, dubitans, quin ii aliquid fraude accusatorum, iniuriave decrevissent contra Pelagium, et Coelestium. Hic enim ad Apostolicam Sedem quum appellasset, protestabatur quum libello scripto, tum voce *se omnia, quae Sedes Romana damnaret, damnaturum*. Igitur *voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est* a Zosimo, inquam cum S. Augustino (4). Quandoquidem interea Coelestius ab humanissimo Pontifice nec absolutus, nec com-

(1) Baron. ad *an. 302. to. 2.* — (2) Ad *ann. 357. num. 46.*

(3) In *hist. saec. 4. dissert. 32.*

(4) Bellarmin. *de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 9.*, ab haeresi immunem dicit Liberium, quod externam, coactamque subscriptionem admiserit sine interno animi consensu.

(5) S. Aug. *lib. 2. ad Bonifacium cap. 2.*

munioni restitutus: sed acceptis, visisque synodorum Africae actis, quum iudicio sisti detrectasset, iterum ab eo damnatus iure merito fuit (1).

XXV. *Anastasium II.* ab Ecclesia Romana repudiatum, et a Deo percussum, quod spretis decessorum Pontificum sententiis, et sine concilio Episcoporum is communicasset Photino haeretico, et Acacium quoque revocare tentasset, iactitant blatherones verbis Gratiani (2), et pseudo-Isidori (3). At narratae rei falsitas ostenditur insigni anachronismo. Acacium mortem oppetivisse sub Felice II., vulgo III., qui sedit usque ad diem 25. Februarii anno 492., ex historia constat (4). Felici autem Gelasius primum successit anno 492., deinde Anastasius anno 496. Qui ergo fieri potuit, ut quatuor saltem annos ante praedefuncti Acacii ad communionem revocandi negotium suscepisset Anastasius (5)?

XXVI. *Honorii* fidem monothelismi labe contaminatam falso redarguunt ex litteris ad Pyrrhum, et Sergium Patriarchas Constantinopolitanos monothelitarum duces datis, quae silentium duabus Christi voluntatibus, operationibusque indicebant, et ex anathemate in ipsum dicto a sexta synodo oecumenica. Nam Honorii epistolae ad Pyrrhum, et Sergium (non ad Ecclesias orientales) procul dubio privatim rescriptae nil omnino definiunt in excitata quaestione dogmatica unius, vel duplicis voluntatis: sed eam is in medio relinqui, silentioque obrui iussit, quoadusque synodico examine eandem Ecclesia terminasset secundum evangelicas, vel apostolicas litteras. Ipsas Honorii epistolas catholico sensu explicant Ioannes Papa IV. S. Maximus martyr, et Anastasius bibliothecarius (6), labemque fidei honorianae probe diluunt. Incolumi ergo fide Pontificis e Cathedra docentis, Honorius tantum defecit in officio regiminis: propterea quod haeresim iam iam emergentem non compressisset, et haeresiarchis plus aequo indulsisset conniventia detestabili. Istam profecto culpam eius letiferam sexta synodus execrata esse iis videtur probabilius, qui Baronio non consentiunt opinanti acta synodi sextae interpolata, corruptaque esse in ea parte, quae respicit Honorii damnationem. Rebus ita se habentibus Agatho Papa, qui post S. Martinum Honorii successorem sedit, in epistola ad sextam synodum data sincere, verissimeque asseveravit decessorum suorum neminem a veritatis tramite discessisse. Quod hactenus demonstrasse sufficiat. Si enim hanc rem in ceteris divi Petri Successoribus patefacere vellem, fines Institutionum plus aequo protraherentur.

XXVII. Comperta Romanae Cathedrae infallibilitas effecit, ut Patres vel sapientissimi post synodicas etiam sententias in quaestionibus Fidei dirimendis, haeresibusque profligandis rescripta, et epistolas encyclicas

(1) S. Aug. *loc. cit. et lib. de pecc. orig. cap. 6.*, Mar. Mercator *in commonitorio cap, 1*, et Facundus Kerminensis *lib. 7. cap. 3.*

(2) Post. *can. secundum 8. dist. 19.*

(3) *Can. Anastasius 9. ead. dist. 19. ex tom. 2. Concilior. in vita Anastasii.*

(4) Nicephor. *lib. 16. cap. 12.* Evagr. *lib. 3. cap. 18.*, ceteris.

(5) Gelasius Anastasii praecessor Acacium mortuum una cum Felice ante tribunal Christi iam stetisse contestatur in *can. nec quisquam 4. C. XXIV. qu. 2.*

(6) Apud N. Alexandrum *in hist. sec. 7. dissert. 2. propos 3.*

Romanorum Pontificum expeterent, ac susciperent, ut suprema oracula, et res iudicatas, a quibus non liceret amplius reclamare (1).

XXVIII. Primatui spiritali Sedis Apostolicae accessit iure humano principatus cum temporali iurisdictione. Quonam tempore, ac iure, qui, et a quibus adepti sint Romani Pontifices temporalem ditionem, ac potestatem, quam longissima tot saeculorum possessione firmatam in urbe Roma, totoque Statu ecclesiastico, seu nonnullis Italiae provinciis, et regionibus occidentalibus, in territorio Beneventano, et Comitatu avenionensi, nostrum non est disserere.

XXIX. Nosse tamen iuvat apocrypham esse donationem regiae dignitatis in Urbe, Italia, et provinciis occidentalibus, quam S. Sylvestro Constantinum M. fecisse promit Gratianus (2): tametsi primis quidem tribus Ecclesiae saeculis ob tyrannidem persecutorum aeque Romani Pontificis, ac Episcoporum omnium quum delituisset dignitas, coepit sub Constantino primum inclarescere. At succedentibus Principibus modo faventibus, modo obversantibus lente progressa est usque ad saeculum XII. Sub Alexandro III. Paulo post medietatem dicti saeculi ad summum pervenit fastigium, devicto Friderico I., sedatisque investiturarum procellis. Declinare tandem coepit saeculo adhinc XIV., postquam Clemens V. pontificiam Sedem transtulit in Gallias anno 1205: sibi eam annos septuaginta, et amplius, perinde ac in captivitate babilonica, obtinuerunt post Clementem Iohannes XXII; Benedictus XII., Clemens VI., Innocentius VI; Urbanus V., et Gregorius XI. Ab hoc autem Pontifice Romam reducta anno 1376., teterrima, et omnium diuturnissima subivit schismata Antipaparum Avenionensium, quae maximo fuerunt detrimento rebus ecclesiasticis.

TIT. XIII.

De Cardinalibus

I. Ut Cardinalium dignitas nunc super omnes alias post Papam eminens Romano Senatui supremo, ita ceteri hierarchiae gradus aliis Imperii dignitatibus comparantur.

II. Cardinalium S. R. E. collegium prisca Romani Cleri iura semper obtinuit.

III. Cardinales appellari dudum consueverunt quum Episcopi, tum presbyteri, diaconique fixi, et perpetui, ut a subsidiariis, et commendatariis distinguerentur.

IV. Regionarii urbis presbyteri, et diaconi olim Cardinales regionis primae, secundae, et mox Cardinales tituli huius, illiusve parochiae ac diaconiae appellati, nec non ab saeculo inde XII. septem, dein sex Episcopi suburbicarii.

(1) S. Augustinus *lib. 2. contra Pelag. cap. 3. Per Papae rescriptum* (ait) *causa Pelagianorum finita est, totoque Orbe post eius damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii tota hac de re dubitatio sublata est.*

(2) *In can. Constantinus 14. dist. 96.*

V. Ut numerus ipsorum varius nec LXX. maior, nec minor amplius esset, statuit Xystus V.

VI. Post schisma Paparum Avenionensium Cardinalibus datum est ius optandi titulos maiores nonnullis conditionibus obnoxium.

VII. Papae collaterales, et coadiutores ii sunt in regimine universalis Ecclesiae.

VIII. Eos ad eminentem, qua ipsi nunc potiuntur, dignitatem omnibus superiorem evexit electio Papae activa et passiva.

IX. Rubro pileo, ac titulo eminentiae serius decorati. Profana ornamenta eis vetita, non item crux octogona Ordinis Melitensis.

X. Quasi episcopale iurisdictione fruuntur in Ecclesiis titulorum suorum, et collatione beneficiorum, si resideant iu urbe.

XI. Novis constitutionibus, et Cancellariae Regulis fere non obligantur generatim, et si quae ad ipsos extenduntur speciatim, solent ab his etiam indulto eximi.

XII. Ex indulto communi conferunt beneficia etiam Sedi Apostolicae reservata.

XIII. Exceptis prima Cathedralium, et principali collegiatarum dignitatibus, monasteriis concistorialibas, beneficiis familiarium Papae, et vacantibus apud Sedem et in Curia: haec autem Papa nonnisi de consensu Cardinalis ordinarii collatoris confert.

XIV. Nec non duplici aequali reservatione affectis.

XV. Sed novae provisionis litteras pontificias intra condictos menses debet adeptus reservatum a Cardinale beneficium obtinere.

XVI. Excipiuntur quoque ab indulto reservata per constitutionem perpetuam.

XVII. Ordinario Cardinalium indulto favorabilis est interpretatio, extraordinario secus.

XVIII. Plures quantumlibet incompatibiles Ecclesias, et beneficia licet Cardinalibus perpetuo ipsorum privilegio retinere, praeterquam inferiores dignitates, et canonicatus residentiales.

XIX. Litteras apostolicas eis Cancellaria gratis dat, excepta componenda.

XX. Nec sine consensu Cardinalis patroni beneficia familiarium ipsius confert.

XXI. Pensiones, quas Cardinales habent, ex indulto medias transferunt Clericis, aliisque personis earumdem capacibus.

XXII. Ex eoque simul testantur de bonis intuitu Ecclesiae quaesitis sine iuris civilis solemnitatibus.

XXIII. Sed sacra eorum supellex ad Capellam palatii apostolici pertinet, vel ad Ecclesias episcopales eis commendatas.

XXIV. Altare viatico utuntur omnes etiam non Episcopi Cardinales.

XXV. Leo X. plura statuit de Cardinalium vita, moribus famulatu, consanguineis, Ecclesiis titulorum, et commendatis, earumque bonis, de muniis obeundis, et residentia, de libertate sententiarum, et arcano servando, de funeribus.

XXVI. Tridentinae reformationis decreta de electione, deque officiis, et residentia Episcoporum Cardinales etiam obstringunt.

XXVII. Cardinalis dignitas olim episcopatu minor, cum eoque incom-

patibilis : nunc maior episcopatus quam residentiae , tum titulares probe retinet.

XXVIII. Residentia in episcopatu , quam Romae urgentior.

XXIX. Honor Cardinalibus ubique debetur.

XXX. Offensae coercentur excommunicatione latae sententiae , aliisque poenis.

I. Proximum Summo Pontifici gradum dignitatis obtinent sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales , quum eos recentior disciplina praetulerit Episcopis , Archiepiscopis , et Patriarchis. Dignitatum , politiaeque Imperii Romani imaginem in hierarchia , disciplinaque ecclesiastica expressam qui viderint , non dubito eos, si sana mens erit, perinde comparaturos Romano Imperatori Augusto Pontificem Romanum , ac supremo urbis Senatui Collegium Cardinalium , tum Patriarchas Praefectis Praetorio dioecesum , Exarchos, et Primates Proconsulibus, et Legatis , Rectoribus provinciarum Metropolitanos , demum Episcopos Magistratibus cuiusque civitatis.

II. Cardinalium S. R. E. Collegium primitivo Clero Romano suffectum est, qui Papam suis consiliis in universali Ecclesia regenda coadiuvare consuevit, vices pontificias viduata Ecclesia supplere, et Praepositi sollicitudinem ab Ecclesiae incunabulis gerere , adeout S. Cyprianus tertii saeculi scriptor Clerum Romanum florentissimum cum S. Cornelio Papa praesidere dixerit veracissime , suamque sententiam de pace lapsorum consilio, iudicioque illius Cleri subiecerit (1). Vocabulo

(1) *In ep. 55.* S. Cypriani ad Cornelium Papam de Fortunato , et Foelicissimo , sive contra haereticos, iuxta ordinem Pamelii, et Balutii, haec leguntur. *Florentissimo illic Clero tecum praesidenti.* Ad Clerum Carthaginensem de secessu divi Cypriani scribens Clerus Romanus *ep. 2.* inter cyprianicas, sua praepositi sollicitudine utitur, vicesque Pastoris in Carthaginensi Ecclesia deficientis supplet, sic inquiens: *Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum... et cum* incumbat nobis, *qui videmur* Praepositi *esse, et* vice Pastoris *custodire gregem etc.* De hisce Cleri Romani ad Clerum Carthaginensem litteris loquens S. Cyprianus *ep. 22. ad Clerum Romae consistentem* scripsit, *in quibus* (ait) *Evangelii plenus vigor, et disciplina robusta Legis Dominicae continentur. Laborantes hic nos, et contra invidiae impetum totis fidei viribus resistentes multum sermo vester adiuvit, ut divinitus compendium fieret, et priusquam venirent ad vos litterae, quas vobis proxime misi, ut declararetis nobis, quod secundum Evangelii legem nobiscum fortiter, atque unanimiter etiam vestra sententia concurrat. Rursus in ep. 29. ad Presbyteros, et diaconos Romae consistentes* S. Cyprianus sententiam suam de lapsis referre studuit, quia *et dilectio communis* (ait), *et ratio exposcit, fratres carissimi, nihil conscientiae vestrae subtrahere de his , quae apud nos geruntur , ut sit nobis circa utilitatem ecclesiasticae administrationis commune consilium.* Clerus vero Romanus *ep. 31.* ad Cyprianum ita rescripsit. *Pro tua verecundia, et ingenita industria consiliorum tuorum nos non tam iudices voluisti, quam participes inveniri , ut in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus.* Subditque prope finem huiuscemodi epistolae sese temperamenti Cyprianici moderamen tenere, et cum quibusdam Episcopis vicinis, pontificia Sede iam vacante per obitum S. Fabiani, deliberasse nihil innovandum ante novi Pontificis constitutionem quod ad lapsorum viventium pacem , sed moribundis tantummodo poenitentibus eam fore indulgendam. Quot verba, tot patentia monimenta praestantissamae auctoritatis ,

igitur longe vetustior est res ipsa, et dignitas (1) Romanae Ecclesiae Cardinalium, splendorem externum una cum Apostolicae Sedis maiestate sensim processu temporum adepta.

III. In synodo Romana II. sub S. Sylvestro (2) primum occurrit vox *Cardinalis*, et septem in urbe Roma diaconos Cardinales fuisse: at commentitia istius synodi acta in comperto sunt eruditioribus. Saeculo V. reapse Gelasius Cardinalem Episcopum dixit, puta perpetuum, et fixum, ut eum distingueret ab Episcopo visitatore, seu subsidiario, et commendatario (3). Sequenti autem saeculo S. Gregorius M. nomen istud dignitatis saepe usurpavit, tribuitque presbyteris etiam, etc. diaconis a propria, ad quam ordinati erant, Ecclesia translatis ad aliam in perpetuum (4), in eaque fixis velut cardinibus. Tum latior patuit notio Cardinalis, ad significandum quemlibet sive Episcopum, sive Presbyterum, sive diaconum principali cuicumque Ecclesiae perpetuo adscriptum: secus qui in commendam, vel vicario iure ad tempus assumeretur (5). Deinde quum in ceteris Ecclesiis fere exolevisset nomenclatura Cardinalium, eam sola Ecclesia Romana retinuit.

et dignitatis Cleri Romani in Ecclesia universa. Praeterea dum Cornelius Papa *contraxisse presbyterium* contra schismaticos nunciavit S. Cypriano *ep. 46.* inter cyprianicas, quid aliud significavit, nisi presbyteros Ecclesiae Romanae ut Papae consiliarios, sine quorum consilio nihil agere solebat, congregasse, atque ad tantam rem deliberandam adscivisse ?

(1) Eugen. IV. *in const. 15. §, 4. to. 1. Bullar. Etsi huius dignitatis nomen* (ait), *quod modo in usu est, ab initio primitivae Ecclesiae non ita expressum fuit, officium tamen ipsum a B. Petro, eiusque Successoribus evidens invenies.*

(2) Quam Binius coactam putat *an. 324.*, et in *can. Praesul 2. qu. 4.*

(3) In *can. presbyteri 3. dist. 24*, ex *ep.* Gelasii Papae ad Coelestium Episcopum, ibi: *Suprascriptum* Iulianum diaconum *presbyterii honore decorabis, sciturus eum* visitatoris *te nomine, non* Cardinalis *creasse Pontifices.*

(4) *Can. fraternitatem 5. dist. 71.*, ubi Fortunato Episcopo Neapolitano ita Gregorius M. *Fraternitatem tuam a nobis petiisse recolimus, ut Gratianum Ecclesiae Benafranae diaconum tuae concederemus Ecclesiae cardinandum. Et quoniam nec Episcopum, cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente licentiam, diaconum illum nostra interveniente auctoritate Ecclesiae tuae, Deo propitio, constituere Cardinalem duximus concedendum.* Heic loci Correctores Romani censent eum, qui de una ad alteram Ecclesiam transferebatur, sive Episcopum, sive presbyterum, sive diaconum, in priori Ecclesia *ordinatum*, in posteriori *incardinatum* a Gregorio dici consuevisse. Quo sensu idem Pontifex Agnellum Fundorum Episcopum, civitate ab hoste vastata, cardinalem constituit sacerdotem, puta Episcopum Tarracinae, defuncto Petro istius civitatis Episcopo, *can. relatio XXI. qu. 1.* Idem *lib. 1. ep. 73. ad Ianuarium* Archiepiscopum Calaritanum scribens, *Liberatus* (ait), *qui diaconi fungi perhibetur officio, si a decessore tuo non est factus Cardinalis, ordinatis a te diaconibus nulla debet ratione praeponi.* A praelaudatis Gratiani Correctoribus dissentire videtur Io: Diaconus *in vita S. Greg. M. lib. 3. cap. 2.*, dum inquit: *Cardinales violenter in parochiis* ordinatos *forensibus, in pristinum* cardinem *Gregorius revocabat.* Quum cardinis nomen primae etiam Ecclesiae tribuat Ioannes, inde arguitur Cardinalem ordinari aeque in secunda, ac in prima Ecclesia: et latiorem cardinandi notionem aevo gregoriano quoque fuisse, quam acceperint correctores.

(5) Hoc sensu Cassiodorius *lib. 7. variar. cap. 3.* Principem *Cardinalem* dixit

*

IV. Horum triplex ordo est, diaconorum, presbyterorum, Episcoporum. Regionarios presbyteros in urbis Romae titulis, seu parochialibus Ecclesiis, diaconos in diaconiis, seu hospitalibus domibus, et regionibus aevo martyrum institutos a SS. Pontificibus Evaristo, Higyno, Fabiano, et Marcello ferunt scriptores (1). Eos posterior aetas appellavit Cardinales regionis primae, secundae, tertiae, et sic reliquarum. Tum posthabita denominatione numerica morem hodiernum instituit nuncupandi N. presbyterum Cardinalem tituli S. Marcelli, tituli S. Praxedis, atque N. diaconum Card. S. Agathae, seu S. Eustachii, et sic deinceps ab ipso parochiae titulo, diaconiaeque nomine. Ad Cardinales presbyteros, et diaconos saeculo XII. accesserunt septem prius, postea sex Episcopi suburbicarii, scilicet Ostiensis (cui Veliternus unitus est), Portuensis cum adnexo altero S. Rufinae, Sabinus, Praenestinus, Tusculanus, Albanus, qui ob locorum propinquitatem simul et Pontifici adesse, et suo non deesse gregi possunt, inquit Cardinalis Brancacius de suburbicariis hisce Episcopis Cardinalibus edisserens.

V. Numerus Cardinalium incertus olim, et varius ad libitum Summorum Pontificum erat. Non plures, quam viginti numerabantur sub Ioanne XXII anno 1331 : et vacante Sede per obitum Clementis XI. anno 1352. placuit sacro ipsorum Collegio constituere, ut ultra viginti ne in posterum crearentur. Urbanus VI. tres supra viginti invenit, dum Petri Sedem ascendit anno 1378. Grassante schismate Paparum Avenionensium numerus admodum excrevit, quum obedientiae suae Cardinales quisque Pontificum sive verus, sive dubius, sive illegitimus adlegere studuisset. Synodus Constantiensis anno 1415. praefigere censuit numerum viginti quatuor, ne tantae dignitati multitudo quid detraheret (2). At paulatim excrevit praesertim sub Pio II. (3), qui conquerentibus vilescere numero Cardinales respondit haud fas sibi esse preces Principum transalpinorum contemnere, et Nationes longinquas in eiusmodi dignitatibus distribuendis omnino praeterire. Tum etiam sub Xysto IV., Alexandro VI. et Leone X., quo sedente sexaginta duos Cardinales extitisse recenset Cohellius (4). Paulus IV. instantibus Car-

Praefectum Praetorio eius vita durante creatum. Alii tamen cum Iureto, et Pancirolo ideo Cardinales dixerunt, quia principales, et primos, ad discrimen inferiorum ministrorum: quemadmodum dicuntur virtutes cardinales, ara cardinalis, et Missa. In Ecclesiis Mediolanensi, Ravennatensi, Lucensi, Placentina, Florentina, Veronensi viguisse nomenclaturam Cardinalium ostendit Muratorius *to. 3. dissert. 61. edit. Neap.* Atque inter cathedralis Ecclesiae Neapolitanae Canonicos ordinis quum presbyteralis, tum diaconalis nonnullos adhuc nuncupari Cardinales, recte observavit cum Vghellio *to. 6. Italiae sacrae.*

(1) De Evaristo an. 112. ita liber Pontificalis Damasi : *Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris, et septem diaconos ordinavit.* De Higyno: *Hic Clerum composuit, et distribuit gradus.* De Fabiano: *Hic regiones divisit diaconibus.* De Marcello: *Hic vigintiquinque titulos in urbe Roma constituit quasi dioeceses.*

(2) Raynaldus *ad an. 1331. n. 33.* alibique, et Thomassinus *cap. 114. n. 13. par. 1. lib. 2.*

(3) Pius II. *lib. 2. commentar. pag. 129.*

(4) Cohellius *in notitia Cardinalium cap. 3. §. hunc tamen.*

dinalibus in bulla, quam *compactum* vocant, ad quadraginta eos reduci praescripsit : verum alios amplius deligere non abstinuerunt et ipse Paulus IV., et eius successores Pius, et Gregorius XIII. Ad extremum Xystus V. (1) sancivit, ne Cardinalium numerus septuaginta excederet, perinde congruens cum LXX. senioribus in Moysis adiumentum assumptis, ac LXX. discipulis Christi Domini : eisque addixit (2) sex episcopatus suburbicarios, quinquaginta titulos presbyterales (3), et quatuordecim diaconias (4). Xystinus hic ordo stat adhuc.

VI. Diaconias, titulosque semel adeptos mutandi libertas in more veterum non fuit usque ad nefandum Paparum Avenionensium schisma, quod diversae obedientiae Cardinalibus necessitate urgente aditum reclusit sub Alexandro V. dimittendi unum, et optandi alium titulum (5). Tum consuetudine, quam subsequentes Pontifices nedum tolerare, sed etiam probare duxerunt, factum est, ut Cardinalibus in Curia vacationis tempore praesentibus optio detur titulorum vacantium, in Consistorio personaliter facienda, nisi quis detineatur infirmitate in urbe, aut causa reipublicae, vel Pontificis legatione absit : hic enim sua optandi vice per procuratorem ex ipso collegio deputandum specialiter probe fungitur. Optare gradatim debet antiquior diaconus presbytera-

(1) Xystus V. *const. 50. edita an. 1586.*

(2) Id. *const. 55. edita an. 1587.*

(3) Prior Xystina constitutio presbyteros Cardinales non amplius L. praefixit. Posterior tamen presbyterales titulos LI. maluit eum in finem, ut titulus S. Laurentii in Damaso in perpetuum S. R. E. Vicecancellario adnexus quinquagenarium presbyterorum numerum non posset deminuere, quum Vicecancellarii munus obiret vel Episcopus, vel diaconus Cardinalis, Cohell. *notit. Cardin. cap. 6. in fin.* Card. de Luca *lib. del Cardinal Pratico cap. 3. n. 4. Videlicet ex antiquis*, ait Xystus *const. 55. §. 2*, S. Crucis in Hierusalem, SS, Marcellini, et Petri, SS. quatuor coronatorum, SS. Ioannis, et Pauli, S. Anastasiae, S. Sabinae, S. Stephani in Coelio Monte, S. Clementis, SS. Nerei, et Achillei, S. Susannae, S. Pudentianae, S. Xysti, S. Petri ad vincula, S. Martini in montibus, S. Eusebii, S. Priscae, S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Lucina, basilicae duodecim Apostolorum, S. Laurentii in Damaso, quae S. Romanae Ecclesiae Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa, et assignata est, S. Balbinae, S. Caeciliae, et Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariae Transtiberim. *Ex posterioribus* vero SS. Quirici, et Iulitae, S. Ioannis ante portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentii in Palisperna, S. Thomae in Parione, S. Sylvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomaei in Insula, S. Matthaei in Merulana, S. Mariae de Aracoeli, S. Mariae in Via, S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum. His novos alios ab se institutos addidit, videlicet S. Augustini, S. Mariae de Populo, S. Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, S. Mariae de Pace, S. Salvatoris de Lauro, S. Petri in Monte aureo, SS. Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariae Transpontinae.

(4) Ex Diaconiis antiquis, videlicet S. Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmodin, SS. Cosmae, et Damiani, S. Mariae Novae, S. Adriani, S. Mariae in via lata, S. Mariae in Porticu, S. Angeli in foro piscium, S. Nicolai in carcere Tulliano, S. Mariae in Dominica, S. Eustachii, S. Viti in Marcello, S. Agathae, ac S. Gregorii ad Velabrum.

(5) On. Panvin. *de septem Urb. Eccles. cap. 3.* pag. *de vit. Alex. V. to. 2. n. 15.* Spondan. *ad an. 1410.* Card. Brancat. *in disc. de option. scx Episc.*

lem titulum, et presbyter episcopalem. Quoties tamen deminutus reperiatur XIV. diaconorum numerus, nonnisi post exactum in ordine diaconatus decennium quisque Cardinalis diaconus optare presbyteratum ante omnes presbyteros post ipsum ad cardinalitiam dignitatem promotos; dummodo decem saltem cardinales diaconi superessent (1). At usu non viget privilegium a Xysto V. iudultum antiquiori diacono optandi episcopatum suburbicarium, quarta dum acciderit vacatio, in concursu presbyterorum (2). Cardinalibus autem adeo infirmis, et invalidis, ut nequeant episcopales functiones exercere, optionem suburbicarii episcopatus vetuit Urbanus VIII die 20. Augusti 1629. Optio itidem Decanatus S. Collegii nonnisi antiquiori in episcopatu suburbicario Cardinali, qui praesens in Curia, vel intra duas dietas adsit, vel pontificia mandata ob causam publicam alicubi expleat, datur post habito Episcopo in altera Ecclesia, cui praesit, residente. (3)

VII. Praecipuum Cardinalium munus est Papam in Ecclesiae universalis regimine consilio, et opera coadiuvare (4). Nam unicum ipsi cum Romano Pontifice Senatum totius Orbis perinde componunt, ac cuiusque Ecclesiae. Senatum Canonici singularum cathedralium una cum Episcopo suo: eosque propterea S. Bernardus *collaterales, et coadiutores* Papae appellavit (5). Quandoquidem Sedi Apostolicae iugiter inhaerentes officia exequuntur, et munia Vicecancellarii S. R. E. Camerarii, Magni Poenitentiarii, Vicarii, urbis, Secretarii quum Status, tum Brevium, et a libellis, Auditoris, et Legati a latere extra Urbem. Quamplurima item, eaque maxima negotia, quae in Urbem ex orbe deferuntur, collatis consiliis, definiunt tam in Concistorio coram Papa, quam in quindecim Congregationibus Cardinalium a Xysto V. institutarum ad faciliorem universae Reipublicae christianae, Status

(1) Ex decreto Concistoriali die 18. Aug. 1597, impresso in *const. 48.* Clem. VIII. *to. 3. Bull.* Tametsi ante vetuerat Xystus V. *cit. const. 3o. §. 7.* Diaconis optare presbyteratum, quoadusque suppletus esset numerus XIV. in Diaconorum ordine.

(2) Io. B. Spada *cons. 138. to. 1.*, et Card. de Luca *in addit. ad cap. 3. del Cardinal Pratico.*

(3) Ex const. Clem. XII. die 10. Ian. 1731, quae incipit *pastorale officium*, ubi constitutio Pauli IV. conformis innovatur, contraria vero Benedicti XIII. abrogatur.

(4) Nicol. III. in *cap. fundamenta militantis Ecclesiae 17. de elect. in* VI. Innoc. III. *cap. bonae memoriae 3. de post. prael.* Trid. *sess. 25. de ref. cap. 1. in fine*, ibi: *Cardinalium consilio apud SS. Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administratio nititur.* Otho Frising. *lib. 1. de gestis Frid. cap. 57.* tradit Cardinales contra Gallos, qui eorum auctoritatem contempserant, ita scripsisse ad Eugenium III: *per nos tamquam per cardines universalis Ecclesiae volvitur axis.* Absentes a Curia Romana Cardinales sine licentia Papae, vel sine officio ab Apostolica Sede iuncto, privandos fore fructibus beneficiorum sanxit Leo X. *const. 7. §. 28.*

(5) S. Bern. ad Eugen. *lib. 4. de considerat. cap. 4. Veniamus ad collaterales, et coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt . . . an non eligendi de toto orbe orbem iudicaturi?* Et Innocentius III. *in cap. per venerabilem 13. qui filii sint legitimi. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis* (ait) *fratres nostri, qui nobis iure levitico in executione sacerdotalis officii coadiutores existunt.*

Ecclesiastici, Romanaeque Curiae negotiorum expeditionem. Videlicet supremae Inquisitionis Fidei, pro Signatura gratiae, pro Ecclesiarum erectione, et provisionibus concistorialibus, pro annona Status ecclesiastici, sacrorum Rituum, pro paranda, et servanda classe ad Status defensionem, Indicis librorum prohibitorum, pro executione, ac interpretatione concilii Tridentini, pro sublevandis Ecclesiastici Status gravationibus, pro universitate studiorum Urbis pro negotiis Episcoporum, et regularium, pro viis, pontibus, et aquis curandis, pro typographia Vaticana, pro Status ecclesiastici negotiis (1). Eisque tres alias addidit Clemens VIII., nimirum pro bono regimine communitatum Status ecclesiastici (2), super Baronibus earum (3), et adversus bannitos (4). Ad istas insuper accedunt aliae Congregationes temporariae, et particulares, quas cogere Papa solet extra ordinem (5). Pontificias item epistolas, et decretales prioribus saeculis rescribere de sententia Cleri urbis florentissimi consueverunt Pontifices Romani, quemadmodum novae constitutiones, ac bullae posteriori aevo nonnisi de consilio Cardinalium prodivere, ac passim eduntur : et non semel inter solemnia inaugurationis spoponderunt sese in summi pontificatus muneribus obeundis consilium sacri eorum Collegii adhibituros (6). Tametsi haud necessarium esse Cardinalium adsensum, ut decreta, et constitutiones pontificiae vim habeant, Bellarminus, Azorius, ceteri plurimi tenent (7).

VIII. Tot tantisque muneribus fulgentem Cardinalium dignitatem magis, magisque amplificavit electio Papae activa, et passiva, de qua inferius : extulitque super omnes alios non modo Episcopos, sed Metropolitanos etiam, et Patriarchas, quos praecedunt diaconi, et presbyteri Cardinales, licet episcopali charactere carentes, sicuti in conciliis generalibus praecessisse commonent acta Conciliorum Lugdunensium I. et II, Florentini, Tridentini, aliorumque. Enimvero paucis retro saeculis olim Episcopi honorem, vel presbyteri, vel diaconi Cardinalis renuebant, ne revocato gradu viderentur a maiore ad minorem descendere dignitatem (8), neve cogerentur episcopatum dimittere (9).

(1) Xystus V. in *const. immensa 74, to. 2.* Bullarii, ubi iurisdictionem, et facultates singularum eiusmodi Congregationum simul definit.

(2) Clem. VIII. in *const. pro commissa 10. to. 3.* Bull.

(3) Idem in *const. iustitiae 41.*

(4) Idem in *const. in regendis 15.*

(5) Apud Rigant. in *Reg. VIII. §. 2. num. 12.*

(6) Id patet ex formulis *libri diurni* Pontificum Romanorum a Io: Garnerio editi. — (7) P. de Marca *lib. 1. de concord. cap. 9. in fin.*

(8) Nam praestat potestate ordinis Episcopus Cardinali presbytero, ac diacono, secus dignitate, Card. Bellarmin. *to. 2. controv. lib. 1. de clericis cap. 16.*

(9) Thomassin. *de vet. ac nov. Eccl. disc. par. 2. lib. 3. cap. 5. n. 12. et cap. 33. §. primogenitum.* Sane (ut Cardinales a Paulo III. selecti pro Ecclesia reformanda an. 1538. affirmarunt in consultatione sua) *officium Cardinalium, et officium Episcopi incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuae pro gubernanda universali Ecclesia, officium autem Episcopi est pascere gregem suum, quod praestare bene, et ut debet, haud potest, nisi habitet cum ovibus, ut pastor cum grege.*

Nunc inolita iamdiu consuetudine quum Episcopi inter Cardinales, vel presbyteros, vel diaconos adleguntur, tum Cardinales ad episcopatus ab urbe remotos promoventur, ad residendum in dioecesibus obstricti ex sanctionibus Tridentinis, aliisque Summorum Pontificum: quia demptis absentibus, aut residentiae episcopalis, aut legationis apostolicae gratia, complures adhuc in Urbe, et apud Sedem Apostolicam remanent semper.

IX. Rubrum pileum eis indulsit primum Innocentius IV. anno circiter 1244; quem ne quis alius ferret, inhibuit Paulus II. Tum Regulares etiam professos in Cardinalium collegium cooptatos eodem purpureo galero Gregorius XIV. decoravit. Urbanus VIII. anno 1623. *eminentissimos* nuncupari voluit perinde Cardinales, ac ecclesiasticos Imperii Electores. Demum Innocentius X. anno 1645 votum S. Congregatio Rituum comprobavit, omnes ut aeque Cardinales uno eodemque titulo *Eminentissimi*, *ac Reverendissimi*, seu *Eminentiae Reverendissimae* contenti essent, suaque sigilla coronis, aliisque profanis ornamentis omnino amotis, solo pileo insignirent sub poena excommunicationis. Verum Benedictus XIV. litteris ad Ioachimum Cardinalem Portocarrerum datis die 13. Octobris 1745: *tu itaque dilecte fili noster*, ait, *quum eiusdem ordinis Melitensis eques professus existas, habitum professorum proprium, licet inter Cardinales S. R. E. cooptatus deferre debes*, octogonam *scilicet* crucem *supra mozzettam, cuius usu. et in urbe et extra illam potiris : nec enim dignitas Cardinalatus ab hac obligatione te eximit, quemadmodum nec alios Cardinales ex Ordinibus monasticis, aut mendicantibus assumptos a delatione habitus eorum Ordinis non absolvit.* (1)

X. Presbyteri, diaconique Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, ac diaconiis iurisdictione quasi episcopali in spiritualibus, ac temporalibus fruuntur (2), quam edisserunt Franciscus Cardinalis Albitius speciali tractatu, et Thomasinus (3). Proinde beneficia in illis fundata conferunt, dummodo in Romana Curia resideant (4). At a Curia absentes ex qualibet causa necessaria, vel de licentia Papae, etiamsi intra duas diaetas tempore vacationis commorentur, ea conferre sine specialissimo indulto nequeunt, licet apud suas episcopales dioeceses commo-

(1) Benedict. XIV. in *const. biennium num. 2. in supplem.* Bullarii *to. 4.*

(2) Honorius III. *in cap. his quae 11. de maior. et obed.* rescripsit presbyteros, et clericos Ecclesiae titulari S. Laurentii in Damaso obedientiam praestare debere, et sententiis presbyteri Cardinalis sui parere. Hinc ordinariam iurisdictionem Cardinalis titularis iure communi fundatam arguunt Fagnanus, et Gonzalez hoc in textu, secus potestatem ordinis episcopalis, Cironius *in not. ad hanc decretal. in V. compil.* Benedict. XIV. in *const. ad audientiam 11. t. 4.* Bull. declarat Cardd. Episcopos suburbicarios in propria capella intra urbem Romam subditis suis non posse praeter primam tonsuram conferre maiores, vel minores Ordines, nisi post petitum, et obtentum Cardinalis Urbis Vicarii consensu.

(3) Thomasin. *vet. nov. Eccl. discipl. to. 1. lib. 2. cap. 26. n. 8.*

(4) Ex limitatione *Reg. 8. Cancell. Apost.* inter editas a Bened. XIV, apud Rigant. *to. 1*, quam satis explicui in *tract. de Benef. eccles. cap. 5. num. 42.*

rantur (1). Quum enim facultas conferendi beneficia titulorum, et diaconiarum Cardinalibus ea sub conditione largiatur, si et quousque resideant in Romana Curia, consequens est, ut absentia quaelibet, vel a culpa immunis impediat implementum conditionis, et usum gratiae conditionalis. In tribus autem basilicis S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, ac S. M. Maioris de Urbe, quae inter titulos cardinalitios haud recensentur, Archipresbyteri Cardinales diverso fruuntur privilegio conferendi beneficia inferiora, etiamsi absentes a Curia reperiantur (2).

XI. Novis constitutionibus, et Regulis Cancellariae per Papam *edendis* post primam Regularum editionem non comprehendi Cardinales, nisi vel iisdem faveant, vel de ipsorum consilio editae fuerint, vel expressam eorumdem faciant mentionem, edixerunt primum Leo X, tum Successores Pontifices inter Cancellariae Regulas, quemadmodum et novissime Papa Benedictus XIV. in Reg. LXX. Idemque Pontifex a constitutione quum Xysti V., tum sua *de damni* dati poenis in ecclesiastica ditione exemptos palam Cardinales edixit (3). Quod vero ad iam *editas* constitutiones, ac Regulas, quae Cardinales etiam obstringunt (4), multiplicia indulta solet ipsis largiri Sedes Apostolica, quorum tenor attendendus est, ne communes iidem leges contemnant extra fines dispensationis (5).

XII. Praestat inter omnia indultum de facultate conferendi beneficia Sedi Apostolicae reservata, Regulis Cancellariae non obstantibus, quod singulis Cardinalibus concedi consuevit. Huius virtute ordinaria Episcoporum iurisdictio reservationibus apostolicis sopita excitatur, et in integrum restituitur Cardinalibus in Romana Curia praesentibus, aut de licentia Papae inde absentibus, ut omnia, et quaecumque beneficia nedum sui tituli cardinalitii, verum etiam cathedralium Ecclesiarum, et dioecesum, abbatiarum, et monasteriorum sibi commendatorum (6) perinde valeant conferre, *ac si reservationes, affectiones, regulae, et constitutiones huiusmodi non apparerent* (7). Ex his verbis concludunt Doctores hocce in-

(1) Rigant. *to. 1. ad Reg. 8. n. 124., et 135.* In suburbicario episcopatu quoque suo residens Cardinalis amittit privilegium conferendi beneficia in eadem dioecesi vacantia, quae non ordinario Episcopi iure, sed extraordinario indulti pontificii conferri asseverat laudatus Rigantius.

(2) Card. de Luca *in lib. del Cardinal pratico cap. 18. n. 2, et seqq.*

(3) Bened. XIV. in *const. inveterata 38. §. 4., to. 4.* Bullarii.

(4) Felin. *in cap. ad aures 11. de rescript.* Fagnan. *in cap. ne pro dilatione de poenit., et remiss. num. 55., et seqq.* Falsa enim est Ancarani, et Romani opinio Cardinales eximens ab *editis* constitutionibus, et regulis, perinde ac ab edendis.

(5) Anastasius Germonius in tr. *de indultis apostolicis Cardinalium* in 25. articulos, seu §§. dissectum indulti tenorem a Xysto V. concessi. Ilier. Cardinali Ruvereo, velut omnium exemplar edisserit, doctisque illustrat commentariis.

(6) Ex §. *tibi quoad vixeris*, §. *tam ratione*, §. *nec non quarumcumque*, *et* §. *quibuscumque* citati indulti apud Germonium.

(7) Ex §. *commendare* cit. indulti. Consonant verba subsequentis §. *alioquin provisiones*, ibi: *Decernentes reservationes, affectiones, regulas, constitutiones, et ordinationes . . .* quoad impediendum te, *quominus in praemissis* tam ordi-

dulto non augeri ordinariam iurisdictionem novis facultatibus, sed redintegrari solummodo ad primaevum, quo ea vigebat, statum; nec ius extraordinarium largiri, sed obstacula Regularum Cancellariae removeri (1). Expressa quidem continetur indulto potestas conferendi beneficia Sedi Apostolicae reservata ratione familiaritatis, vel praemortui Papae, vel Cardinalium, vel notariorum, et scriptorum, aliorumque officialium Sedis Apostolicae (2), vel in titulum perpetuum, vel in commendam clericis saecularibus conferri solita (3), etiam electiva (4), sine tamen praeiudicio eorum, qui ius habent eligendi.

XIII. Excipiuntur nihilominus indulto primum Dignitates *maiores* cathedralium, et *principales* collegiatarum (5), *monasteria concistorialia*, quibus scilicet abbates perinde praeficiuntur, ac cathedralibus Episcopi per cedulam Concistorii, et *conventum habentia*, puta monachorum sub regulari disciplina conviventium: et *quorum fructus in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur* (6), excedentes videlicet valorem florenorum 631*f*3, quos etiam ducatos Camerae hodie appellant. Deinde beneficia vere familiarium regnantis Papae, una et continuorum commensalium, etiamsi obiissent, dum adhuc Cardinalis erat (7). Ad extremum vacantia *apud Sedem* Apostolicam, seu *in Curia* (8), quod unum idemque sonat, scilicet per obitum in Urbe, vel intra duas ab Urbe diaetas: aut per promotionem beneficiarii ad episcopatum: aut dimissionem in Papae manibus, aut amissionem poenalem. Tamen haec apud Sedem, seu in Curia vacatura beneficia Papa se non collaturum spondet (9), nisi Cardinalis indulto fruens consensum suum in Cancelleria per semetipsum, si praesens Curia sit, vel per procuratorem, si abfuerit, praestiterit: alias nullius erit momenti collatio pontificia (10). Excipe, si resignatio in favorem certae personae facta sit, ad quam perficiendam consensus haudquaquam requiritur Cardinalis vel titularis, vel commendatarii, vel ordinarii collatoris.

XIV. Quum ista quatuor exceptionum genera firment in ceteris casibus contrariam regulam: censebat Germonius (11), quae duabus pluribusve reservationibus, licet coequalibus obnoxia sunt beneficia extra Curiam vacantia, ea posse Cardinalem vi indulti conferre: nam tenor indulti fere idem non limitare videbatur unicam reservationem, nec excipere duas reservationes. At vero iussu Pauli V. anno 1615. re perpensa aliter censuerunt celebres Rotae Auditores Ubaldus, et Vero-

naria auctoritate, quam concesso *tibi per praesentes* indulto *huiusmodi, uti valeas ad dicta beneficia ad tuam etiam cum alio, vel aliis dispositionem pertinentia, nullatenus se extendere.*

(1) Puteus *dec. 220. n. 2. lib. 1., et dec. 93. lib. 3.*

(2) §. *Etiam ex eo.* — (3) §. *Quibusvis personis.*

(4) §. *Ac beneficia.* — (5) §. *Etiamsi saecularia.*

(6) §. *Regularia vero.* — (7) §. *Praeterquam ratione..*

(8) §. *Quae extra dictam Curiam.* — (9 §. *Si vero illa.*

(10) §. *Alioquin provisiones* cit. indulti, et Reg. 32., et 33. Cancellariae *de impetrantibus benef. pro obit. familiar. Cardinal.*

(11) Eodem *tract. de indult. Card.* §. *commendare n.* 33.

spius (1). Tum Urbanus VIII. (2), et Alexander VII. (3) aperte prohibuerunt Cardinalibus indulto fruentibus collationem beneficiorum *duplici aequali personali* reservationi subiectorum. Secus ergo erit, si reservationes essent, aut disparis generis, puta si personalis reservatio cum reali, vel locali, vel temporis reservatione concurret: aut si essent inaequales, et altera alteram absorberet.

XV. Collatio tamen beneficiorum in octo mensibus apostolicis vacantium, aliorumque reservatorum, quam faciunt Cardinales vigore indulti, revocabilis erit, nisi eam Pontifex litteris apostolicis *novae provisionis* vulgo dictis ratam habebit: quas is, cuius interest, assequatur oportet intra quatuor, vel plures indulto condictos menses, alias iure cadet suo (4). Hisce *novae provisionis* litteris ea semper adiicitur clausula: *dummodo beneficia praefata sub indulto comprehendantur*. Cuius virtus est, ut validam Cardinalis collationem firmet, secus invalidam de beneficiis exceptis.

XVI. Ad exceptiones indulti iam dictas adduntur et beneficia perpetuo Sedi Apostolicae reservata, puta per constitutionem pepetuam (5). Huius generis sunt erecta in solo Lateranensi: quae viduata episcopali Sede vacaverint (6), aut per obitum conclavistarum, secus dapiferorum (7).

XVII. Quod modo expendimus indultum conferendi beneficia reservata, *ordinarium* nuncupant Doctores, propterea quod Ordinariis conceditur collatoribus, iisque eo restituitur submotis Cancellariae Regulis vetusta facultas ordinaria. Quamobrem favorabile cum putetur, benigniorem suscipit interpretationem, vigetque, papali etiam Sede vacante. Haud parum proinde differt ad indulto *extraordinario*, quale est, quod aliquando Cardinali Ecclesiam episcopalem, vel abbatialem dimittenti Papa largitur conferendi beneficia Ecclesiae dimissae in octo mensibus apostolicis vacatura, quatuor aliis mensibus ordinariis successori Episcopo, vel abbati relictis. Hoc enim odiosum est, strictaeque interpretationis, et quoadusque pontificia Sedes vacaverit, una cum Cancellariae Regulis expirat: quum Ordinarii collatoris iurisdictio tum reviviscat (8). Praeterea si ad aliam episcopalem, vel abbatialem Ecclesiam translatus Cardinalis erit, et beneficia in hac posteriori conferat Ecclesia, uti ordinarius Collator a regula mensium exemptus: tunc etiam expirat indultum conferendi beneficia prioris Ecclesiae dimissae, ex constitutione LX. Urbani VIII., quae inhibuit, ne Cardinales pluribus eodem tempore indultis

(1) Apud Gratian. *discept. 982. n. 13., et seq.*
(2) *In const. quamvis 165., to. 4.* Bullarii, *die 15. Iulii 1642.*
(3) *In const. cum noviter 171. to. 5.* Bullarii Fagnan. *in cap. sicut unire n. 49. de excess. Prael.* Rigant. *to. 1. ad Reg. 1. Cancell. §. 2. n. 20.*
(4) Rigant. *ad Reg. IX. n. 52; et 151. to. 2.* Videsis quae dixi in tract. de Beneficiis *cap. 7. num. 17.*
(5) Rigant. *ad Reg. IX. n. 12. to. 2.*
(6) Idem *to. 1. pag. 314. n. 414.*
(7) Idem. *to. 1. pag. 608. n. 16., et pag. 383. n. 130.*
(8) Germon. *in §. per quae sublatis n. 93. ad 99.* Rigant. *to. 2. ad Reg. IX. §. 4. n. 9, et seqq.* contra sententiam Card. de Luca *disc. 31. de benefic.*

uterentur in duabus Ecclesiis, altera dimissa, et altera, cui actu praeessent (1).

XVIII. Plura item beneficia, licet incompatibilia retinendi privilegium iis, qui ad Cardinalatum promoventur, perpetuo largitus est Xystus V. (2), scilicet metropolitanas, et cathedrales Ecclesias, monasteria etiam commendata, prioratus, cetera omnia beneficia, *quae videntur* (ait) *convenire dignitati Cardinalatus*. Secus alia, quae tanto gradui repugnant, veluti archipresbyteratus, archidiaconatus, decanatus, canonicatus, et similia: quum obtinentes huiusmodi beneficia, et residere in choro, et habere debeant locum post Episcopum, dignitati Cardinalis non congruentem. Mos vero invaluit, nonnisi Cardinalibus conferendi archipresbyteratum in tribus Romae basilicis patriarchalibus S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, et S. Mariae Maiores (3).

XIX. Immunes sunt insuper a taxis Cancellariae in expeditione litterarum apostolicarum, excepta componenda, dummodo sex saltem menses urbem assidue incoluerint: aliter speciali mandato pontificio expediendi gratis opus habent (4).

XX. Consensus privilegio gaudent, quem expetere impetrantes beneficia familiarium ipsorum Cardinalium a Sede Apostolica debent. Irrita enim habebitur collatio pontificia, nisi Cardinalis patronus defuncti, vel renunciantis beneficiarii suum praestiterit in Dataria consensum personaliter, si adsit, aut absens per procuratorem, ex Reg. XXXII. Cancellariae. Quod si ea beneficia ad alterius Cardinalis collationem pertinerent, ubi extra Curiam ex gr. vacassent: Cardinalis patroni ex novis constitutionibus, non Cardinalis collatoris ordinarii consensus in apostolica expeditione requiritur (5). Absens quoque cito reversus Cardinalis patronus utitur consensus praerogativa, si post obitum familiaris sui ad Urbem infra decem, vel quindecim dies reapse regressus sit, ex eadem Regula.

XXI. Pensiones transferunt suas pro medietate coram solo notario, et testibus, indultum si obtinuerint eo tenore, quem refert Card. de Luca post *tractatum de pensionibus*. Nam Cardinales plerumque fruuntur indulto pensiones transferendi *clericali charactere saltem insignitis*, *aut alias pensionum huiusmodi capacibus*, quales ex. gr. sunt milites Lauretani, aliorumque ordinum equestrium, quamvis non clerici (6).

XXII. Testandi facultatem de bonis intuitu Ecclesiae quaesitis sine peculiari indulto non potiuntur (7). Sed indulto freti bene testantur per

(1) Card. de Luca *disc. 3. de benefic. num. 16.*, Rigant. *in Reg. IX. §. 3. numer. 69.*

(2) *In const. sanctissimus 79. to.* 2. Bull., quam refert Iacobus Cohellius *in notit. Cardinal. cap. 9.*, Hoieda *de incompatibil. par. 1. cap. 2.*

(3) De ipsorum iure in conferendis beneficiis earumdem basilicarum inferioribus iam dixi in *tract. de beneficiis cap. 7. num. 20*, *et cap. 5. num. 42.*

(4) Rigant. *to. 3. in Reg. 27. n. 101*, *et seqq.*

(5) Rigant. *ad Reg. 33. n. 29. t. 3.*

(6) Ex traditis a Rigantio *to. 3. in Reg. 46. Canc. §. 2. n. 139.*, *et seq.*

(7) Barbat. *in tr. de praestant. Cardinal. qu. 3*, *et 4.*, Germon. *d. §. quod in Romanam n. 18.*, *et 19.*

schedulam (1), neglecto testium in supremis tabulis iure civili praescriptorum, perinde ac milites, dummodo rei veritas satis ex ea appareat, nullaque falsitatis suspicione laborare schedula videatur.

XXIII. At Iulius III. declaravit *paramenta, ac ornamenta Capellae ipsorum Cardinalium iam tanto tempore, quod eius initii hominum memoria non habetur, Capellae Apostolicae, in qua Missae papales celebrantur, devolvi consueverunt* (2). Mox Urbanus VIII. inhaerens constitutioni Clementis VII., abrogavit omnia indulta Cardinalibus concessa disponendi de sacra domesticorum Oratoriorum supellectile, decrevitque ut *omnia, et singula mitrae, pluvialia, tunicellae, aliaque ornamenta, et vestimenta, ac calices, patenae, vasa etiam aurea, et argentea, aliaeque res, et utensilia quomodolibet nuncupata, praesertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales nunc, et pro tempore existentes, etiam praefatam, seu quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem apostolicam de illis disponendi, ac ad heredes etiam ab intestato transmittendi, ut praemittitur, habentes, non solum in Capella Pontificis, seu processionibus, coeremoniis, et aliis functionibus pontificiis praefatis, sed etiam in eorum Capellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, ad Sacristiam praefatam* (scilicet ad sacellum Cardinalium in palatio apostolico) *ipso iure spectent, et pertineant, et ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una tunicella pro quolibet Cardinale diacono, et una planeta pro quolibet Cardinale presbytero, ac uno pluviale pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis candelabris, ac malluviis, et gutturniis*, bacili, e bocali *vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis* (3). Consuevit nihilominus Apostolica Sedes peculiari indulto Cardinalibus adhuc tribuere facultatem de iisdem etiam sacris supellectilibus disponendi, atque *ad heredes suos, si quem intestatum mori contingeret, transmittendi: dummodo tamen de illis in favorem alicuius Ecclesiae, seu Capellae, vel loci pii, vel ipse arbitrio suo disponeret, vel per ipsius heredes, et successores, quatenus ipse ab intestato decederet, disponeretur.* Hinc Benedictus XIV. eos per modum consilii hortatur, *ut eas potissimum Ecclesias prae oculis habeant, quas sive metropolitanas, sive cathedrales, sive abbatiales, aut ad ecclesiastica ipsorum beneficia spectantes, gubernaverint, et obtinuerint, quos quidem Ecclesias decessor noster* (ait) *S. Pius Papa V. in hoc rerum genere tam amplo privilegio donavit, ut in sua* constitutione XXXII., *quae incipit* Romani Pontificis, *decreverit, et declaraverit quaecunque ornamenta, paramenta, vasa, et alia utensilia sacra ad usum, et cultum divinum in privatis Capellis, et oratoriis Episcoporum, abbatum, aliorumque ecclesiastica beneficia obtinentium destinata, sub appellatione spoliorum Camerae Apostolicae debitorum, minime venire debere, nec etiam*

(1) Card. de Luca *de testam. disc. 2. ad 6.*
(2) Iul. III. in *const. cum sicut 7. to.* 1. Bull.
(3) Urban. VIII. in *const. aequum est 166. to.* 4. Bullarii.

sub quibusvis testandi facultatibus, et indultis comprehendi, sed ad singulas Ecclesias , monasteria , et beneficia , in quibus praedicti resederint , aut quibus praefuerint , seu quae alias obtinuerint , omnino spectare, et pertinere. Tum etiam pari ratione iisdem commendamus Ecclesias illas , quarum titulum, ac regimen in ipso Cardinalatus ordine obtinuerint, quae etiam in sancta synodo Lateranensi V. impense ipsis commendatae fuerunt a decessore pariter nostro Leone Papa X. (1).

XXIV. Altare viaticum , seu portabile valent Cardinales, etiam non Episcopi adhibere, quum dignitate Episcopis praecellant : nam Bonifacius VIII. (2) nedum Episcopis, sed eorum Superioribus altare viaticum indulsit.

XXV. Leo X. in reformatione generali Praelatorum ecclesiasticorum, eorumque officialium die 5. Maii 1514. § 16 , *oportere* , ait , *ut S. R. E. Cardinales vitae munditia, ac virtutum splendore cunctis praefulgeant... Ita sobrie , caste , ac pie quisque vivat , ut non solum a malo , sed ab omni etiam specie mali abstinens coram hominibus luceat , Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles , ac divinis officiis , Missarumque celebrationibus intenti , habeantque Capellas suas in loco honesto, prout facere consueverunt. Sitque eorum domus, familia, mensa, supellex, non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus , neque aliquo modo reprehensibilis , ne peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed ut aequum est , modestiae , et frugalitatis speculum dici mereatnr. Praelatos, et quoscumque alios insignes viros ad Romanam Curiam venientes benigne , honorificeque tam publice , quam privatim tractent, et apud Nos , et successores nostros gratiose , liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant.* § 17. Ministeria indecora *Episcoporum, Praelatorumque in domibus* non habeant , *ne pastoralis officiis contemptus inducant.* Eosque *honorifice, ut fratres , ac iuxta eorum status decentiam tractent.* § 18. Ne fiant *promotores , aut defensores Principum, aut communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quempiam , nisi quantum iustitia, et aequitas postulet: sed privata omni passione semota, sedandis*, et *componendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent, incumbantque. Principum , et quorumcumque aliorum, ac praesertim pauperum , et religiosorum iusta negotia pio promoveant affectu , oppressos , et iniuste gravatos* pro viribus, et officio adiuvent. § 19. *Tituli sui loca praesentes in Curia personaliter , absentes per vicarium idoneum semel quotannis visitent* , mores subditorum explorent, et corrigant, circa divinum cultum, et bono Ecclesiarum invigilent. *Pro* divini cultus augmento inter vivos donent, vel morientes relinquant suo quisque titulo , vel congruam unius presbyteri substentationem , vel quantum necesse putaverint pro Ecclesiae

(1) Bened. XIV. in *const. inter arduas 5.* §. *9.* data 22. Aprilis 1749, *to. 3.* Bullarii.

(2) Bonif. VIII. *in cap. fin. de privileg. in VI.* Fagnan. *in cap. quod nonnullis n. 5., et seq. de privileg.*

reparatione, aliave subventione (1).§.20. *Affines, et consanguineos, praesertim benemeritos, et ope indigentes* non negligant : sed ita iis provideant moderate, ut ceteri damnum inde non patiantur, neque scandalum nascatur. *Ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis, et sanctis operibus exponant.* §. 21. Ecclesiae ipsis commendatae debito ne fraudentur servitio : Cathedralibus Vicarios idoneos cum mercede competenti praeficiant, reliquis Ecclesiis, et monasteriis *de iusto clericorum, vel capellanorum, seu religiosorum, aut monachorum numero* provideant. § 22. *Ædificia quoque, possessiones, et iura quaelibet in statu convenienti conservent, et diruta instaurent* pro boni Praesulis, et Commendatarii officio. § 23. Luxum, ac prodigalitatem in familiarium, et equorum numero vetat, simul et sordidam avaritiam *cum domus Cardinalium* patens hospitium portus, ac refugium *proborum, doctorumque maxime virorum, et pauperum nobilium, honestarumque personarum esse debeat.* § 24. Cardd. quisque Sacerdotes, et levitas honeste indutos in famulatu habeat, beneficiarios, vel in sacris constitutos indui veste versicolori, aut indecenti ne patiatur. Presbyteri talarem deferant, dignitates, et Canonici caputium insuper in publico gestent; scutiferi prope talarem, parafrenarii breviorem. Comam, neque barbam nutriant, mulas, vel equos cum phaleris, et ornamentis non ex serico villoso, vel plano, sed ex panno, vel corio tantum utantur. Contumaces post tres a prima monitione menses excommunicationem incurrat, post totidem a secunda menses a perceptione fructuum beneficiorum suspendantur, denique post sex a tertia monitione menses beneficiis omnibus ipso facto privati habeantur. § 25. Id etiam ad Papae familiares extendit, quibus vestimenta rubri coloris consueta indulget. § 26. Haereses, errores, superstitiones ubilibet pullulantes, corruptosque mores, et belli semina investigare, ac Papae referre pro congruis remediis studeant. § 27. Provincias, ac civitates legationis titulo acceptas per sese plerumque gubernent pro maiori parte temporis inibi residendo, quamvis ipsas per vicelegatos, auditores, locumtenentes, ceteros officiales liceat eis administrare cum debitis provisionibus, et salariis. § 28. Cumque Cardinalis officium in primis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia, et Sedis Apostolicae negotiis *omnes Cardinales in Romana Curia resideant... alioquin fructus beneficiorum, et omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter, et specialiter Cardinalibus concessis, quamdiu abfuerint, omnino careant: exceptis tamen illis, quos ratione* officii *ab Apostolica Sede iniuncti, vel de Romani Pontificis* mandato, *aut* licentia, *vel* iusto metu, *aut quavis alia* legitima causa *impediente, vel* aegrotationis *abesse contingat* : privilegia tamen, et indulta in suo robore nihilominus permansura voluit. § 29. *Expensae funebres* cuiusque *Cardinalis computatis omnibus 150. florenorum summam* non excedant : nisi *executorum providentia iustis de causis, ac rationibus plus expendendum esse duxerit* (2).

(1) Idipsum firmavit Xystus V. in *const. religiosa 55.* §. *12.*, *to.* 2. Bullarii.
(2) Qua forma, quibusve ritibus sint exequiae Cardinalium in Curia Romana

Exequiae, *et castrum doloris prima*, *et nona die fiant*, *infra octavam vero Missae de more celebrentur*. § 30. Libertas votorum in sacro senatu, ut maior fiat, fas est *Cardinali cuique secundum Deum*, *et conscientiam suam libere*, *et impune quodcumque sentiat*, dicere. At *vota in concistorio data*, in eoque *gesta*, vel *dicta*, quae possit odium alicuius vel praeiudicium, vel scandalum parere, non licet eis quomodolibet revelare *sub poena periurii*, *et inobedientiae* § 31. *Silentium* quoque ipsis *a Romano Pontifice super aliqua re expresse indictum* servare omnimodis debent sub poena excommunicationis latae sententiae Papae soli, praeterquam in mortis articulo, reservatae. Hactenus Leonis X. constitutio (1).

XXVI. Tridentina synodus post expositas in Episcoporum electione qualitates, *omnia*, *et singula*, ait, *quae de Episcoporum praefiendorum vita*, *aetate*, *doctrina*, *et ceteris qualitatibus*, *alias in eadem synodo constituta sunt*, *decernit eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium*, *etiamsi diaconi sint*, *exigenda*, *quos Romanus Pontifex ex omnibus christianis Nationibus*, *quantum commode fieri poterit*, *prout idoneos reperit assumet. Postremo eadem synodus*, *tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota*, *non potest non commemorare nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium*, *quam ut beatissimus Romanus Pontifex*, *quam sollicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet*, *eam hic potissimum impendat*, *ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat*, *et bono maxime*, *atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat*; *idque eo magis*, *quod ovium Christi sanguinem*, *quae ex malo negligentium*, *suique officii immemorum Pastorum regimine peribunt*, *D. N. I. Christus de manibus eius sit requisiturus* (2). Tum quae de ministerio episcopali, et Episcoporum moribus, frugalitate, modestia, continentia, humilitate, et iusta redituum ecclesiasticorum distributione cavit, ea etiam *ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit: quorum consilio apud Romanum Pontificem quum universalis Ecclesiae administratio nitatur*, *nefas videri potest*, *non iis etiam virtutum insignibus*, *ac vivendi disciplina eos fulgere*, *qui merito omnium in se oculos convertunt* (3).

XXVII. Episcopos dignitatem Cardinalis ob onus residendi in urbe Roma iamdiu renuisse liquet (4). *Morem olim fuisse in Ecclesia diutissime servatum*, scribit Hieronymus Platus, *ut non alii essent Cardinales Episcopi*, *quam illi septem prius*, *postea vero sex* nimirum suburbicarii, *qui ob locorum propinquitatem simul*, *et Pontifici adesse*, *et suo tamen gregi non deesse poterant*: *alii vero aliarum civitatem Episcopi nunquam ad Cardinalatum promoverentur* (5). Sed

obeuntium mane celebrandae, statuit Bened. XIV. *in const. praecipuum 37. to. 1.* Bullarii.

(1) Leo X. in *const. supernae 7. §. 16*, *et seqq. to. 1.* Bullarii.

(2) Trid. in *cap. 1. sess. 24. de ref.*

(3) Idem in *cap. 1. sess. 25. de ref.*

(4) Thomassin. *par. 2. lib. 3. cap. 5. num. 12.*, *et cap. 33. § primogenia* pluribus id exemplis comprobat.

(5) Hier. Platus *de Cardinalis dignitate*, *et officio cap. 4. §. 1.*

processu temporum Romani Pontifices consueverunt Episcopos vel remotissimos in Cardinalium collegium cooptare cum dispensatione insimul retinendi episcopales Ecclesias. Probantibus id aliis, alii refellere non destiterunt. Cardinales ad consilium reformationis Ecclesiae a Paulo III. selecti anno 1530. esse incompatibilia consueverunt *officium Cardinalis, et officium Episcopi* (1). Patres vero Tridentini posthabito eiusmodi consilio satius duxerunt S. R. E. Cardinales, qui episcopatum extra regiones suburbicarias retineant, adigere ad residendum in eo, quam consuetudinem abolere multis rationibus innixam, et comprobatam (2). Et Benedictus XIV. multa Decessorum suorum exempla sectatus, rescripsit ad Cardinalem *delle Lanze* supremum Regis Sardiniae eleemosynarium, regiique sacelli Capellanum maiorem non indecorum, sed congruum esse, ut promotus ad Cardinalis dignitatem, episcopatum etiam titularem in partibus infidelium sine residendi onere adsumat, munia episcopalia quandoque obiturus in legationibus apostolicis, et apud Reges (3).

XXVIII. Ex recitatis constitutionibus, quae Cardinales ad episcopalem residentiam obstringunt, consequitur obligationem residendi in episcopatibus primum ab Urbe remotis, tum suburbicariis, quam in Urbe esse potiorem. Tridentina synodus decrevit, *omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quocunque nomine, ac titulo praefectos, etiamsi S. R. E.* Cardinales *sint, obligari ad* personalem *in sua Ecclesia, vel dioecesi* residentiam, *ubi iniuncto sibi officio defungi teneatur: neque abesse posse, nisi ex causis scripto probandis* (4), alias post sex absentiae menses quartam partem fructuum, post alios totidem menses quartam alteram ipso iure amittant, et crescente contumacia Romani Pontificis arbitrio, Ecclesiis etiam priventur (5). Pius IV. executionem eiusmodi decretorum urgens addidit poenas privationis tam Ecclesiarum, quam facultatis testandi, aliasque arbitrarias (6). Gregorius XIII. in concistorio decrevit Tridentina decreta de personali residentia locum etiam contra S. R. E. Cardinales habere. Clemens VIII. id etiam in concistorio firmans, addidit poenam inhabilitatis ad dignitates maiores, aliasque Ecclesias. Tum Urbanus VIII. cunctas Praecessorum suorum sanctiones innovando, statuit: *omnes, et singulos Ecclesiis episcopalibus quocunque nomine, seu titulo praefectos, etiam S. R. E.* Cardinales,

(1) Eorum sententia iam recitata superius est *hoc tit. num. 8.*

(2) Ex traditis a Bened. XIV. in *const. cum a nobis 36. §. 6, to. 2.* Bullarii. Idemque Pontifex in *const. ad universae 18. §. 25.* de residentia Episcoporum, *eod. to. 2.* Bullar. apertius declaravit *S. R. E. Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus, et episcopalibus Ecclesiis ex dispensatione apostolica nunc praesunt, et in futurum praeerunt, comprehendi, ac comprehensos esse sub eadem ipsius constitutione de residentia Episcoporum.* — (3) *Cit. constit. cum a nobis.*

(4) Trid. in *cap. cum praecepto divino 1. sess. 23. de ref.*

(5) Trid. in *cap. eadem 1. sess. 6. de ref.*

(6) Pius IV. *const. in suprema 91., to. 2.* Bull., 7. Kal. Decembr. 1564.

in Romana Curia degentes intra mensem unum (1), extra eam in Italia existentes intra duos, extra Italiam intra quatuor menses a die promotionis suae sese itineri commissuros ad Ecclesias, et dioeceses sibi concreditas, et inde *non discedere, nisi obtenta a Romano Pontifice licentia*: sub poenis *interdicti ab ingressu Ecclesiae, et amissionis tam fructuum earumdem Ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi, et disponendi de bonis suis, a Sede Apostolica sibi alias concessarum, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, necnon privationis a regimine, et administratione suarum Ecclesiarum huiusmodi, aliisque poenis Romani Pontificis arbitrio infligendis* (2). Edixtque nullam aliam causam ab incursu poenarum eiusmodi excusare quempiam posse, nisi personalis interventus in synodis provinciae, vel comitiis regni consuetis ex munere vel personae, vel Ecclesiae adnexo: *Nec etiam a praedicta residentia*, inquit, *et poenarum praefatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales alicui praefatarum Ecclesiarum praefectos, seu praeficiendos, etiamsi aliquem ex titulis episcopalibus prope Urbem obtineant, et in eisdem titularibus episcopatibus urbi proximis resederint, vel in Romana Curia in suis titulis respective, etiam Nobis, et Successoribus nostris scientibus, videntibus, et quomodolibet tolerantibus, moram traxerint* (3). Ad visitanda vero limina SS. Apostolorum quolibet triennio menses quatuor Episcopis citra montes, et maria, septem ultramontanis indulsit (4). Insuper ad electionem Romani Pontificis in conclavi faciendam Cardinalibus discessum a sua residentia, et moram in Conclavi toto Sedis vacantis tempore, duosque praeterea menses ad redeundum post novi Pontificis coronationem (5). Quae omnia innovavit, firmavitque Benedictus XIV. (6). Absentes tamen ab Urbe Cardinales quum ob residentiam in suis episcopatibus, tum quavis alia ex causa, *rotuli fructu* (7) *omnino carere, licet bis per annum Romam accesserint* (ut olim fiebat), statuit Benedictus idem XIV. (8). Accedentibus ad urbem ex legitima causa quotam ex eo capere consuetam, tempori, quo Romae versentur, respondentem indulsit: iique Papam in primis adeant salutatum, nec Roma discedant sine ipsius licentia, innovans in eos Ioannis XXII. sanctionem de accessu, et recessu Praesulum ab Urbe (9).

XXIX. S. Congregatio coeremonialis, Benedicto XIV. iubente, de-

(1) Benedictus XIII. in conc. Romano an. 1725, *tit. 17. cap.* 2., concessit Cardinali Urbis Vicario facultatem protrahendi istud mensis spatium, causa cognita, prout res postulaverit, ad alios quadraginta dies, et non ultra.

(2) Urban. VIII. in *const. sancta synodus 139. to. 4.* Bullarii.

(3) Ibidem §. 10. — (4) §. 12. — (5) §. 13.

(6) Bened. XIV. in *const. ad universae 18., to 2.* Bullarii.

(7) Pecuniae nimirum S. R. E. Cardinalibus Romae degentibus distribui solitae, velut laborum stipendii, quos ii ferunt in Concistorio, et S. Congregationibus, Sacelloque pontificio, ex Cancellariae Apostolicae emolumentis. Horum ius exponetur inferius *lib. 4. tit. 16. num. 13., et 31.*

(8) Bened. XIV. in *const. in regimine 119. to. 1.* Bullarii.

(9) Io. XXII. in *extravag. etsi deceat 3. de maioritate, et obedientia.*

crevit, quod Praelatis quum privata causa, tum publica itinerantes, quoties acciderit per urbes, ubi aliquis S. R. E. Cardinalis adsit, eos pertransire, ipsum honorificae visitationis officio non defraudent pro conditione temporis, et loci (1).

XXX. Quoniam Cardinales membra Pontificis Romani, eiusque Corporis pars appellantur, Eugenius IV. sacris canonibus sancitum affirmat: *eos, qui in Cardinalem manus iniecerint violentas, aut fugarint, aut insecuti fuerint, seu ad hoc dederint consilium, vel favorem, ut criminis laesae maiestatis reos, maximis, et multiplicibus poenis esse plectendos, perinde ac si ipsi violaverint apostolici throni maiestatem* (2). Summi praeterea Pontifices in bullis coenae Domini censuerunt anathema fulminare in eos potissimum, qui percutiunt, capiunt, detinent, vel hostiliter insequuntur S. R. E. Cardinales, aut Legatos, et Nuntios Sedis Apostolicae, aut eos a suis ditionibus, et dioecesibus eiiciunt, vel mandatum, ratihabitionem, auxilium, consilium, favorem eo in facinore praestant (3).

TIT. XIV.

De Patriarchis

I. Metropolitis, et Primatibus praecellunt Patriarchae.

II. Tres initio urbes primariae Patriarchas totidem habuerunt: Romanum oecumenicum, Alexandrinum, et Antiochenum. Hierosolymitano concessus honor post eos patriarchicus.

III. Post varias, et diuturnas contentiones Constantinopolitano Archiepiscopo concessus est, instantibus Graecis Imperatoribus, et Episcopis, primus post Romanam Sedem locus patriarchicus.

IV. Romani Patriarchae dignitas in suburbicariis Ecclesiis semper patuit, quamvis earum limites in quaestione adhuc sint.

V. Provincias suburbicarias invadere non dubitarunt Constantinopolitani Archiepiscopi.

VI. Iiique sibi titulum oecumenici Patriarchae arrogantes nefarii schismatis auctores fuerunt, quo factum est, ut titularem Constantinopolitanum Patriarcham consueverint Romani Pontifices creare, sibi alterum schismatici.

VII. Alexandrina Sedes orthodoxos primum Patriarchas, mox haereticos interpolate cum catholicis habuit, binos schismaticos, alterum Cophtum Alexandriae, alterum Abyssinum in Æthiopia sedentem.

VIII. Antiochena pariter Ecclesia alios primum catholicos, alios mox haereticos plerunque habuit, deinde Maronitas ortohodoxos in Monte Libano residentes.

IX. Simul et Graecos Melchitas, nunc etiam catholicos.

(1) S. Congr. coeremonial. die 23. Nov. 1742. apud Bened. XIV. in *append. ad to. 2.* Bullarii *num. 5.*

(2) Eugen. IV. in *const. non mediocri 15.* §. *6. to. 1.* Bullar.

(3) Bened. XIV. in *const. pastoralis 14.* §. *11. to. 1.* Bullarii.

*

X. Hierosolymitanus honorarius primum Patriarcha sub Theodosio Imperatore tribus praefuit Palaestinis.

XI. Sedem Hierosolymitanam, latinis imperantibus, catholici reapse tenuerunt, post barbaricam Terrae sanctae servitutem, titulares Patriarchae successerunt.

XII. Collapsae in haeresim, eversaeque Patriarcharum Sedes ostendunt Romanae perpetuitatem nunquam Christi verbo defecturam.

XIII. Patriarcharum dignitas humano iure finibus limitata nunquam valuit eos ab oecumenico Romano eximere.

XIV. Priscis iam dictis Patriarchis alii postea superadditi.

XV. Nimirum Aquileiensis, et Venetiarum.

XVI. Indianus apud Thessaliam Archiepiscopus Pharsalicus.

XVII. Ulyssiponensis demum in Lusitania Archiepiscopus.

XVIII. Peculiaria eorum iura duodecim recensentur.

XIX. Patriarchae vox, quam dignitas in Ecclesia antiquior.

I. Patriarcha, idest Patrum princeps, ut ex ipso vocabuli sono definit S. Isidorus (1), summo fungitur honore, praecellens post Cardinales compluribus, et Metropolitanis, et Primatibus provinciarum, et dioecesum: quum Sedes patriarchicae in maximis tantum urbibus erectae sint.

II. Post ruinam monarchiae Graecorum quum coaluissent in unum imperia Occidentis, et Orientis, tres aevo Apostolorum supereminebant in orbe Romano urbes primariae, *Roma, Alexandria, et Antiochia.* Totius Orbis domina *Roma* occidentales praecipue regiones administrabat. *Secundam* sub sole urbem *Alexandriam* appellavit Chrysostomus (2), ubi Praefectus augustalis Ægypto, Africae, et regionibus imperabat meridionalibus. *Antiochia* orbis Romani tertia metropolis dicta a Iosepho (3) est, atque a Chrysostomo (4) mater urbium orientalium. Eodem ordine sublimiorem, (quae *archiepiscopalis* primum, recentiori deinde nomine *patriarchalis* nuncupata est) auctoritatem super occidentalibus Ecclesiis peculiarem Episcopo *Romano*, qui ceteroqui Patriarcha oecumenicus revera est, reliquit; alteram super meridionalibus *Alexandrino*, tertiam *Antiocheno* super orientalibus detulit consuetudo vetustissima ab Apostolorum (5) moribus derivata. Eamque prima synodus Nicoena ra-

(1) S. Isidor. in *can. cleros 1. dist. 21.* — (2) Chrysost. *orat. 22.*

(3) *Lib. 3. de bello Iudaico cap. 3.* — (4) *Hom. 3. ad populum.*

(5) S. Leo M. *ep. 53. ad Anatolium* tres primarias Patriarcharum sedes *instituto Apostolorum Principis* adscribit, easque stabiliter permansuras iussit. Nicolaus I. in *resp. ad consulta Bulgarorum cap. 92. Desideratis nosse* (scribit) *quot sint veraciter Patriarchae? Veraciter illi habendi sunt* Patriarchae, *qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent: idest qui illis praesunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, et Alexandrinam, et Antiochenam.* Hincmarus *opusc. 55. cap. 16. Cum multi sint Apostoli* (ait): *pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quae unius est in tribus locis. Ipse enim sublimavit Sedem (Romanam), in qua etiam quiescere, et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem* (Alexandrinam), *in quam Evangelistam discipulum* (Marcum) *misit. Ipse firmavit Sedem* (Antiochenam), *in qua septem annis, quamvis discessurus sedit.* Hinc dignitatem Patriarcharum fuisse ab Apostolis insti-

tam habuit, dum *can. VI.* (1) decrevit: *antiquos esse mores servandos, qui sunt in Ægypto, Lybia, et Pentapoli, ut* Alexandrinus *Episcopus horum omnium haberet potestatem: quia et urbis* Romae *Episcopo parilis mos esset. Similiter et in* Antiochia, *ceterisque provinciis privilegia sua unicuique servanda Ecclesiae.* Adhaec subdit sequenti *can. VII.* (2). *Heliae, idest* Hierosolymae *Episcopo, ut honor deferretur,* solius puta praecedentiae post Antiochenum, *ex more antiquo, manente tamen propria metropolitanae civitatis dignitate*, seu potestate.

III. Imperiali autem Sede translata Byzantium, quae anno 330. *Constantinopolis, et novae Romae* nomen accepit, Metrophanes eius urbis Episcopus, licet Heracleensis Metropolitae, et Antiocheni Patriarchae ad ea usque tempora suffraganeus, eiusque successores, non modo iura patriarchica sibi usurpare in tribus dioecesibus Thraciae, Ponti, et Asiae sunt aggressi: verum etiam superbo Patriarchae oecumenici titulo utentes provincias occidentales intra fines Romani patriarchatus, et dioecesum occidentis sitas invadere, ac patriarchicam Romani Pontificis dignitatem aemulari coeperunt, effraenaque ambitione, propitiis Imperatoribus, et conspirantibus suarum partium Episcopis primum ex thronis Patriarcharum vix post Romanum contendere, deiecto exinde Alexandrino Archiepiscopo, tum reliquis etiam Patriarchis in subsequentes abire gradus compulsis (3). Quum tantam, quae tandem in exitiosum schisma

tutam putant Baron. *to. 1. annal. ad an. 39. num. 16.*, Petr. de Marca *de concord. to. 1. lib. 1. cap. 3. n. 5.*, Richer. *hist. conc. to. 1. cap. 1. num. 14.*, Christ. Lupus *can. 4. Nic. par. 1.*, Emm. Schelstrat. *antiqu. illustr. par. 1. diss. 1. cap. 3. art. 1.* Leo Allacius *de Eccl. Occid.*, *et Orient. consens. lib. 1. cap. 2.*, ceteri. Contra Lodovicus Ellies du Pin. *de antiq. Eccl. discipl. diss. 1. §. 6*, negat fuisse ab Apostolis instituta iura patriarchica in praedictis Ecclesiis primariis, licet eas Apostoli fundaverint: quod plures alias Ecclesias, et Cathedras quidem fundarunt Apostoli, puta Corinthi, Philippi, Thessalonicae, Ephesi, quae ideo *Apostolicae* dictae sunt, patriarchales non item. De quibus loquens Tertullianus *lib. de praescript: percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur.* At vero a Patribus Nicoenis inclitam antiquis moribus trium Patriarcharum dignitatem probantibus saltem in hoc bene refellitur Dupinius, quod non ante Constantinum agnoverit institutionem dioecesum patriarchalium.

(1) Nicaena synodus in *can. mos antiquus 6. dist. 65.*

(2) *Can. quoniam mos 7. dist. 65.*

(3) Concilium Constantinopolitanum an. 381. *can. 3. Primatum honoris* detulit Episcopo Constantinopolitano post Romanum, *propterea quod ipsa* (ait) *sit iunior Roma.* Nectarius Constantinopolitanus idcirco inter Episcopos eidem concilio primus comperitur subscripsisse. Theodosius Imperator in *l. 3. C. Th. de fide catholica* agens de orthodoxorum Episcoporum cum Primatibus cuiusque dioecesis communione, Nectarium in primis nominavit, deinde Timotheum Alexandrinum, ceterosque. Patres autem Constantinopolitani in *epistola synodica* ad Damasum Papam, et concilium Romae congregatum, nunciata quum ordinatione Nectarii in Episcopum Constantinopolitanae Ecclesiae, tum renovatione canonum Nicoenorum de dioecesibus, et provinciis divisis, retinuerunt omnino decretum ab ipsis primatum Ecclesiae Constantinopolitanae. Et supra iam relati *tit. 6. cap. 1. de conc. gener. pag. 65*, *et 66*, canones fidei tantum concilii

evasit, audaciam cohibere non valuissent S. Damasus, S. Leo M., Gelasius, S. Gregorius M., Nicolaus I., Leo IV., ceterique: tandem

Constantinopolitani I. fuisse a Damaso confirmatos, secus decreta disciplinae. Negat quoque S. Leo M. *ep.* ad Anatolium hosce disciplinae canones conc. Constant. I. a Romana unquam Ecclesia receptos. Honorarium ne solummodo primatum, an potestatem quoque in dioeceses aliquot patriarchicam largiti Patres istius concilii sint, dissentiunt acriter interpretes. Quaestio haec satis delegit fraudem Constantinopolitani Episcopi ab honorario primatu ad potestatem dioecesanam irrepentis. Porro Anatolius Constantinopolitanus tribus faventibus Metropolitis, a Theodosio Imperatore ad Orientem delegatis, sategit, ut *act. 15.* synodi Chalcedonensis absentibus Sedis Apostolicae Romanae Legatis conderetur *canon 28.*, quo ius patriarchicum Sedi Constantinopolitanae confirmatum est cum iure ordinandi Metropolitanos in dioecesibus Thraciae, Ponti, et Asiae. Cumque Legati adfuissent sequenti *act. 16*, et canonem 28. coram ipsis recitatum circumscribi, et revocari institissent, uti Nicaenis regulis adversantem, et ab aliis, praeter quam ipsis Legatis, quorum interierat, relatum, atque a ducentis solum Patribus, quos ii circumventos ad id asserebant, subscriptum: Patres tamen summa omnium consensione comprobarunt. Deinde in *epistola synodica* ad Leonem Papam declararunt se consuetudinem longi temporis Ecclesiae Constantinopolitanae eiusmodi synodico decreto firmasse. At S. Leo M. eodem apertissime repudiato, antiqua provincialium Primatum iura servanda rescripsit in *ep. 53, et duabus seqq.* ad Anatolium, Marcianum Imperatorem, et Pulcheriam A. In quinta synodo Vigilius Papa quare non adfuisset, una causarum fuit praecedentiae dissidium inter Patriarchas. Quin sexta synodus Trullana an. 692, Iustiniano Rhinotmeto imperante coacta, renovato concili Constantinopolitani. I. decreto privilegia, quae Roma senior haberet, similia tribuere Sedis Constantinopolitanae non dubitavit, *can. renovantes 6. dist. 22.*, quem canonem sextae synodo male inscribit Gratianus. Sed synodum hanc erraticam meritissime appellavit ven. Beda, cuius plerosque canones reiectos ab Ecclesia Romana fuisse compertum est: quum Sergius I. Papa confirmationem eorum a praelau dato Imperatore postulatam recusaverit, uti refert Anastasius bibliothecarius. Nec Hadrianus I. *in ep. ad Tharasium Arch. Const.*, nec septima synodus *can. 1.*, alios ex canonibus Trullanis receperunt, nisi *qui iure, ac divinius* promulgati sunt.

Longaevas summorum Pontificum contradictiones synodicis orientalium decretis pro Sede Constantinopolitana fregit summa Imperatorum gratia: praesertim Theodosii (a Socrate *lib. cap. 28.*), Basilisci tyranni (*ex Evagrio lib. 3. cap. 7.*) Zenonis *in l. decernimus 16. C. de sacros. Eccles.* et Iustiniani *Novell. 31. cap. 2*, ibi: *Sancimus* (ait) .... *Archiepiscopum Constantinopoleos novae Romae secundum habere locum post sanctum Apostolicum senioris Romae: aliis autem omnibus Sedibus praeponatur.* Posthaec octava synodus oecumenica, seu Constantinopolitana IV. ann. 869. *can. 21*; quum anathematis mucrone debitum Patriarchis honorem vindicandum, tuendumque sanxisset: primum gradum Constantinopolitano post Romanum addixit, *can. diffinimus 7., et ult. dist. 22.* Synodum VIII. ab Hadriano II. confirmatam esse liquet ex eius *ep. ad Basilium Imperatorem* ad calcem actorum exscripta. Hadrianus II. in VIII. synodo Romana 869. decrevisse legitur locum Patriarchae Constantinop. post Papam antiquae Romae, ceteris digniorem, *can. diffinimus 7. dist. 22.* Tandem in concilio Lateranensi IV. Innoc. III. *can. 5., antiqua patriarchalium Sedium privilegia* renovando constituit: *ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum christifidelium, et magistra*, Constantinopolitana *primum*, Alexandrina *secundum*, Antiochena *tertium*, Hierosolymitana *quartum locum obtineant: servata cuilibet propria dignitate.*

synodus VIII. ab Hadriano II. confirmata, et Innocentius III. in concilio Lateranensi IV. (1), instantibus graecis Imperatoribus, decrevere primum post *Romanam* Sedem locum *Constantinopolitanae*, secundum *Alexandrinae*, *Antiochenae* tertium, *et Hierosolymitanae* quartum, servata cuilibet propria dignitate.

IV. Romanum Pontificem ab Ecclesiae primordio in Ecclesiis suburbicariis patriarchica potestate usum semper fuisse, licet inficias iverit nemo: plurimi tamen in definiendis provinciarum suburbicariarum limitibus certant acerrime. Quidam post Io. Gothofredum, et Cl. Salmasium Ecclesias suburbicarias perinde intra centesimum ab urbe lapidem claudunt, ac loca Praefecto Urbi subiecta (2). Alii cum L. Dupinio (3) ad decem provincias, quae Vicariatui, seu Praefecturae Romanae parebant, contrahunt: videlicet Picenum suburbicarium, Campania, Tuscia, et Umbria, Apulia, et Calabria, Brutii, et Lucania, Samnium, Valeria, Sicilia, Sardinia, et Corsica. In istis enim regionibus quum Metropolitanos, et Episcopos omnes ordinare Papa consuevit, tum eius iniussu nulla inibi res expediri momentosa (4). At vero qui discernunt consociatas in Romano Pontifice varias dignitates, iis videntur viri sagacissimi Gothofredus, et Salmasius metropoliticam Papae auctoritatem, et Dupinius exarchicam cum patriarchica male commiscere. Hi proinde alii probabilius cum Iac. Sirmondo (5), Bened. Bacchinio (6), P. de Marca (7), Emm. Schelestrate (8), et L. Allatio (9) Patriarchatum Romanum extendunt per totum Occidentem, quam longe lateque patet, non modo ad *solidam Italiae dioecesim* (10), sed ad dioeceses etiam

(1) Innoc. III. *in cap. antiqua 23. de privilegiis.*

(2) Ex *l. 1. §. 4. D. de off. Praef. urbi. Si quid intra centesimum milliarium* (ait Ulpianus) *admissum sit, ad Praefectum urbi pertinet: si ultra ipsum lapidem, egressum est Praefecti urbi notionem.*

(3) *De antiq. Eccl. discip. diss. 1. §. 11.*

(4) Ad hunc respexit morem S. Leo *ep. 4.*, alias *16. ad Episcopos Siciliae* sic scribens: *Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis.* S. Gregorius idipsum indicat *ep. 13.* ad Rectorem Siciliae *lib. 6*, et alibi.

(5) Sirm. *in censura coniecturae anonymi Scriptoris de suburbicariis regionibus, et Ecclesiis:* tum *in censura vindiciarum coniecturae alterius Anonymi.* Anonymus prior Gothofredus, posterior Salmasius.

(6) *In diss. de ecclesiast. hierarch. orig.*

(7) *Lib. 1. de concord. cap. 5.*

(8) *De antiqu. illustr. diss. 2. cap. 3.*

(9) *De occid. et orient. Eccles. consens. lib. 1. cap. 9.*

(10) Eam bipartiebant duobus Vicariis. Priores decem provincias *Vicarius Urbis* regebat, septem reliquas *Vicarius Italiae*, scilicet Flaminiam, et Picenum alterum, Venetiam, et Histriam, Æmiliam, Liguriam, Alpes Cottias Rhoetiam primam, et secundam, quarum in spiritualibus regimen erat penes Exarchum Mediolani, et Metropolitas Ravennae, et Aquileiae. Archiepiscopum Milanensem nonnisi praevio Papae consensu ordinatum ostendit S. Gregorius M. *lib. 2. ep. 31.* Tametsi S. Ambrosium ab Italiae Episcopis ordinatum, nulla pontificiae auctoritatis facta mentione, scribit Theodoretus *lib. 4. hist. cap. 7*, quod in ferius eliquabitur.

Illyrici (1), et Africae, quas Praefecto Praetorio Italiae omnino subiecerat Constantinus: praeterea Gallias, Britannias, Germaniam, et Hispanias (2). Tanta porro fuit, eritque in perpetuum stabilitas huiusce Sedis super immobilem Petram fundatae, ut missis in irritum tot conatibus inferorum, ipsa procedentibus saeculis magis magisque invaluerit, effusaque potiatur amplitudine: aliae contra subiverint multas fortunae vicissitudines ex mutata praecipue forma urbium, et provinciarum civi-

(1) Praefectus Praetorio per Illyricum duas administrabat dioeceses, Macedoniam, et Daciam. Exarcha sacer in Macedonia erat Episcopus Thessalonicensis: in Dacia Episcopus Sardicensis, sive Iustinianae I. Holstenius in lucem protulit multas Pontificum epistolas, praesertim Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii,, Coelestini, item acta Synodi Romanae sub Bonifacio II, unde liquet Thessaliam, ceterasque Illyrici provincias Romano Patriarchae paruisse. Antiqua canonica iura Patriarchae Romani in hac dioecesi, et usurpationes vicissim Patriarchae Constantinopolitani sub Leone Isauro incoeptas, et post Bulgarorum, qui praecipuas earum provincias subegerant, conversionem instauratas sub Hadriano II., et restitutionem Bulgariae dioecesis factam Romanae Ecclesiae sub Ioanne VIII., enarrat N. Alexander *in hist. saec. IX. dissert. 4. §. 23. to. 13. edit. Neap.* Anastasius bibliothecarius in praefat. ad Synodum VIII. oecumenicam pluribus quoque testimoniis probat Bulgarorum patriam Illyrico constitutam, et omnes iuxta Histrum, seu Danubium fluvium sitas regiones ad Romanam Sedem pertinuisse.

(2) S. Basilius *ep. 10.* Romanum Episcopum appellavit *Occidentalium Coriphaeum.* S. Augustinus *lib. 1. contra Iulianum cap. 4.*, Innocentium Papam *Ecclesiae Occidentalis Praesidentem* dixit. Innocentius ipse in *ep.* ad Decentium Eugubinum scripsit manifestum esse *in omnem* Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, *atque* Siciliam, Insulasque interiacentes *nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos ven. Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes. Aut legant, si in iis provinciis alius Apostolornm invenitur, aut legitur docuisse?* S. Hieronymus *lib. adversus Vigilantium*, commemoratis Patriarcharum Antiocheni, et Alexandrini ditionibus, *quaecumque supersunt* (ait) *Ecclesiae, idest occidentales, sunt Sedis Apostolicae,* Romanumque Episcopum, ut Patriarcham *agnoscunt, et venerantur.* Zonaras ad *can. 6.* Nicaen. memoriae item tradidit, *quod et Ecclesiae Romanae Antistes, ut occidentales provincias regeret, mos obtinuit.* S. Cyrillus, in conc. Ephesino, *par. 1. cap. 21.*, qui sequerentur sententiam Coelestini Papae in synodo Romana contra Nestorium probatam, eos dissertissime dixit *totius Occidentis* communionem amplecti. Et synodo ipsi Ephesinae *ep.* ad Principes visa est universa *occidentalium Episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum Orbis* consentire ad profligandam Nestorii haeresim. Iustinianus *Nov. 109.* Patriarcham *Hesperiae Romae* nuncupat, tum reliquos quatuor Patriarchas *totius terrarum Orbis* consentire ad profligandam Nestorii haeresim. Iustinianus *Nov. 109.* patriarcham *Hesperiae Romae* nuncupat, tum reliquos quatuor Patriarchas *totius orbis terrarum*, cum quibus non communicantes uti haereticos damnat. His ex verbis probe conicit P. de Marca *loc. cit. n. 4.*, universas Occidentis provincias ad Patriarchatum Romae Hesperiae, seu occidentalis pertinere. Eamque coniecturam probat, firmatque inibi Stephanus Balutius *in notis* ad fragmentum *ep.* Ioannis VIII. ad Paulum Episcopum Anconitanum in Germania, et Pannonia legatum apostolicum. *Non solum* (scribebat Pontifex) *intra* Italiam, *ac ceteras* Hesperiae *provincias, verum etiam intra* totius Illyrici *fines consecrationes, ordinationes, et dispositiones Apostolica Sedes patrare antiquitus consuevit.*

lium (1), non minus, quam ex bellorum eversionibus, et dominatu infidelium, adeunt omnino ferme interiverint.

ADDITIONES

DE ROMANO PATRIARCHATU

I. Quum nicaeni Patres alexandrini patriarchatus amplitudinem apertissime decernant, de Romano vero reticeant (2), hinc de huiusce finibus gravissima inter eruditos enata est controversia. Etsi autem omnes conveniant sequioribus Ecclesiae saeculis in solidi Occidentis regiones Romanum Pontificem patriarchica iura exercuisse, de ipsius tamen potestate primis aerae christianae aetatibus maxime inter se dissentiunt. Huiusce dissidii materiam praebuit quoque sequens canonis VI. Nicaenae synodi interpretatio prorsus arbitraria a Rufino edita (3): *ut apud Alexandrinum, ait, et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ne igitur rei ecclesiasticae parum peritis errandi occasio detur, nonnulla heic veterum scriptorum monumenta attexenda duximus, quibus Apostolicam Sedem patriarchica iura in totius Occidentis provincias semper exercuisse aperte demonstratur.

II. Et principio potiora Patriarcharum iura, quae tamquam nativam eorumdem potestatem constituunt, profecto sunt. I. Synodum dioeceseos indicere, eidemque praeesse. II. Metropolitas initiare. III. Appellationes a provinciae synodis recipere. At Romanum Patriarcham isthaec iura vel primis Ecclesiae saeculis per totam occiduam terram, quanta quanta erat, atque etiam per totum Illyricum exercuisse veterum scriptorum auctoritas maximopere evincit.

III. Et sane quod spectat ad synodi indicendae potestatem, primo nobis occurrit vetus exemplum saeculo III. ineunte sub Cornelii pontificatu. Is enim, uti narrat Eusebius (4), epistolas misit ad Fabium Antiochenum, in quibus erant *tum acta synodi Romae habita* (quae Novatiani haeresim damnarunt), *tum quae ab omnibus in Italia, in Africa, inque aliis provinciis de eo errore statuta sunt:* mox vero addit in extrema eius epistola omnium Episcoporum subscriptionem conspici. Rursus Liberium Pontificem anno circiter 336. ad Orientalis Ecclesiae Antistites synodicas epistolas misisse testatur Socrates hac inscriptione: *Liberius Episcopus, et Occidentis Episcopi salutem* (5), et advertit Sozomenus non solum decreta romanae synodi contra Arii sectatores illas continere, sed etiam ea omnia, quae Itali, Afri, Galli, Siculi adversus haeresim, quae ubique grassabatur, sanxerunt (6). Cum ergo Pontifices in

(1) Viam mutandis Sedium episcopalium dignitatibus maxime stravit canon 17. conc. Chalcedonensis, quo cautum, *ut si qua civitas ab Imperatore innovata fuerit, civiles, et publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.*

(2) Can. VI. — (3) Lib. II. hist. ecc. cap. IV. — (4) Lib. VI. hist. ecc. cap. 43.

(5) Lib. IV. cap. 12. — (6) Lib. VI. cap. 12.

suis litteris decreta inseruissent, quae in Italiae, Africae, aliisque Occidentalis Ecclesiae regionibus ferebantur, clare patet easdem synodos ad illos pertinuisse.

IV. Praeterea in epistola ephesinae synodi ad Theodosium missa Coelestini Pontificis legatos *totius Occidentis synodi sententiam exposuisse* legimus. His autem verbis illud explicatur, quod Philippus Apostolicae Sedis legatus manifeste asserit, nestorianas scilicet blasphemias consentiente totius orbis Ecclesia fuisse proscriptas (1): *nam orientalis, inquit, atque occidentalis Ecclesiae sacerdotes vel per se, vel certe per suos legatos* (ad Romanum Pontificem missos) *sacerdotali huic comitio intersunt* (2). Quamobrem ex praemissis illud aperte eruitur vel aliquos ex totius Occidentis provinciis Antistites Romam ad concilium convenisse, vel ipsius romanae synodi decreta Ecclesiis omnibus missa unanimi Episcoporum consensione comprobata fuisse. Utrumque vero luculentissime demonstrat occidentalis dioecesis provincias Romanae Sedi paruisse, unumque concilium conflasse. Quod si Afri, Galli, Hispani, et Illyrici Antistites Romanae Sedis potestati subiecti non essent, non per Pontificis legatos, sed profecto vel per se, vel per suos legatos illi synodo adfuissent.

V. Huc accedit Agathonis Pontificis alia epistola synodica romani concilii, quae sic inscripta erat (3): *Agatho Episcopus servus servorum Dei cum omnibus synodis ad Apostolicae Sedis synodos pertinentibus.* Quibusnam vero Episcopis illa concilia conflata fuissent, ultro aperit idem Pontifex (4): *ad oceani usque fines exporrigi ad occidentem, ac septentrionem habitare inter longobardos, et sclavos, inter francos, gothos, ac britannos versari*, quod nimirum est per universam occiduam regionem, ac proinde omnes Episcopos ad romanam synodum primis Ecclesiae saeculis pertinuisse, ex praemissis exploratissimum est.

VI. Quod vero ad alterum patriarchalis iurisdictionis ius, Episcopos scilicet, ac praesertim Metropolitanos consecrandi, id profecto in solidi Occidentis regiones, atque in totum Illyricum ad Romanum Pontificem spectasse compertissimum est. Enimvero id plane eruitur ex eo, quod de synodi indicendae potestate modo ostendimus ex regula iuris: *qui Episcopi pertinent ad consecrationem, pertinent et ad synodum.* Praeterea Antistites omnes, et praecipue Metropolitani in cunctas occidentis dioeceses puniri non poterant, nisi a Romano Pontifice, vel ab illis, quos ipse iudices constituebat ex altera iuris canonici regula (5), *qui aliquem ordinare non potuit, nec iudicare potest.* Hoc autem apertissime etiam demonstrat epistola romanae synodi sub Damaso habitae anno circiter 378. ad Gratianum, et Valentinianum imperatores. In eadem legimus eiusdem concilii Patres ab imperatoribus petiisse, ne Pastores a Romana Sede damnati Ecclesias impune retinerent. Ipsa synodi verba audire non pigeat: « quaesumus clementiam vestram, ut iubere » pietas vestra dignetur, ut quicumque, vel eius (Damasi), vel no-

(1) Synod. epist. ephes. concil. ad Theodosium imperat. — (2) Act. III. ephes. concil. — (3) Act. IV. — (4) Ibidem.
(5) Cap. III. nullus tit. de parochiis.

» stri iudicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque iniuste » voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus a sacerdotali iudicio per con- » tumaciam non adesse, seu ab illustribus viris praefectis praetorio Ita- » liae vestrae, sive a vicario accitus ad Urbem Romam veniat, aut si » in longinquioribus partibus huiusmodi emerserit quaestio, ad Metropo- » politani per locorum iudicia deducatur examen : vel si ipse Metro- » politanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Epi- » scopus iudices dederit, contendere sine dilatione iubeatur. » Hisce sane verbis illud sponte fluere videtur provinciales Antistites cuiusque Metropolitani iudicio subesse, aeque ac Metropolitanos ipsos a Romano Pontifice dumtaxat ordinari posse. Hoc vero postulabat et Damasus romanae urbis Praesul, et omnes Italiae sacerdotes in concilio congregati. Quibus postulationibus, quippe quae legitima, et vetera Romani Praesulis iura continerent, Gratianum imperatorem benigne annuisse colligimus ex eius rescripto ad Aquilinum Urbis vicarium (1).

VII. Illud quoque animadvertendum censemus ipsum imperatorem non solum praefecto praetorii Italiae, verum etiam praefecto praetorii Galliae, et proconsulibus quidquid eodem rescripto sanxit, exequi praecepisse, cum nimirum explorata res esset priscis Ecclesiae saeculis patriarchica iura in cunctas Occidentis regiones Romanum Pontificem exercuisse : « volumus inquit..., ut qui evocatus ad sacerdotale iudicium » per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris praefectis prae- » torio Galliae, atque Italiae, sive a proconsulibus, et vicariis aucto- » ritate adhibita ad episcopale iudicium remittatur, vel ad urbem Ro- » mam cum prosecutione perveniat » (2).

VIII. Iamvero ex veteri Ecclesiae disciplina, tum in Oriente, tum in Occidente vigente duo aperto colliguntur: alterum quod in Patriarchas dumtaxat Romanus Pontifex animadvertere posset: alterum quod in Metropolitas proprius Patriarcha iurisdictionem ordinariam exerceret, ac proinde nulla provinciae Episcopis in Metropolitanos auctoritas fuit. Ad primum quod spectat, extant profecto luculentissima testimonia. Et sane cum Athanasius alexandrinus a sua Ecclesia quadam coacta synodo ejectus esset, Iulius Papa eusebianos maxime reprehendit, quippe quod id decrevit synodus sine Romanae Sedis consensu. Tum Coelestinus Pontifex anno circiter 430. Romae concilium indixit, ut nestorianam haeresim grassantem damnaret: in eadem statuit, ut si Nestorius in suis erroribus persisteret, Ecclesiae communione privaretur : deinde Cyrillum alexandrinum vicarium suum constituit, iussitque, ut Nestorio illud decretum aperiret: quod si contumax ille fieret, alium Antistitem constantinopolitanae Ecclesiae praeficere curaret. Postremo universa Ecclesia in concilio Ephesi habito in synodica epistola ad Coelestinum missa, cum de Ioannis antiocheni iniuriis permulta dixisset, quippe quod Cyrillum alexandrinum, et Memnonem ephesinum Episcopum, indicta synodo, temere amovisset, apertissime docuit nullam in ipsos iurisdictionem illi esse. Isthaec sunt synodi verba (3): *indignetur ergo*, in-

(1) Eodem tom. II. concil. — (2) Ibidem.
(3) Epist. concil. ephes. ad Coelestinum tom. III. concil.

quiunt Patres, *tua reverentia valde ob ea, quae gesta sunt: si enim data fuerit volentibus licentia, et maiores sedes iniuriis afficiendi, et contra eos, in quos non habent potestatem contra leges sic, et contra canones proferendi sententiam.... ad extremam confusionem redigentur res Ecclesiae.* Quare ex praemissis liquido patet ex veteris Ecclesiae disciplinae regulis nulli Patriarchae licere, excepto Romano Pontifice, in alium Patriarcham animadvertere.

IX. Ad alterum quod spectat: quicumque de iuribus Patriacharum egerunt, eamdem doctrinam habent, et tum exempla, tum canones, hierarchie ipsius rationem vades dederunt. Videsis Leonem Allatium de Eccles. Occid., et Orient. perpet. consens (1)., Emmanuelem Schelestratum (2), et Morinum (3).

X. Reliquum tandem est, ut maxima, qua poterimus brevitate appellationem ius primis Ecclesiae, saeculis, et totius occidentalis Ecclesiae synodis ad Romani Pontificis patriarchicam potestatem pertinuisse ex re historico-ecclesiastica demonstremus.

Et principio illud observatu dignum, quod appellationum ius ad Romanum Pontificem praecipue spectat ratione primatus, quo in universum dominicum gregem per totum Orbem dispersum iure divino gaudet, ita ut sine ipso sacer principatus concipi nequeat. Hinc sapientissime adfirmavit Benedictus XIV. (4): *appellationum ius adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere.* Quamobrem immensam prorsus appellationum segetem veterum monumenta quolibet aevo suppeditare videntur, ex quibus exempla ad Orientem pertinentia plurima collegit Thomassinus (5): ad Occidentales vero provincias, quae spectant, breviter huc adferemus, ut patriarchalis Romani Pontificis iurisdictio, de qua agimus, luculentius pateat,

Et sane Privatum Lambesitanae Ecclesiae in Africa Antistitem ad Romanum Clerum provocasse, schismaticos Afros Fortunatum, et Felicissimum ad Cornelium Pontificem, Basilidem, et Martialem Hispaniae Episcopos a provinciae conciliis damnati tertio ineunte saeculo, ad Stephanum Petri Successorem confugisse ex Cypriani epistolis edocemur (6): idque factum ante sardicense concilium, quod anno 347. indictum fuit. Tum quinto aerae christianae saeculo Romani Antistitis iudicium reclamarunt sub Innocentio, scilicet Bubalius, et Taurianus Illyrici Episcopi (7): sub Zosimo Apiarius africanae Ecclesiae sacerdos (8): sub Bonifacio Antonius Fussalensis in Africa Episcopus (9): sub Coelestino Felix Illyrici Episcopus (10): sub Leone Chelidonius, et Proiectus Galliani Praesules (11): atque Lucipinus afer Antistes (12). In sequenti sae-

(1) Lib. I. cap. 12. pag. 188. colon. 1648, — (2) Antiq. ecc. tom. II. diss. VI. pag. 409. — (3) Exercit. eccles. Lib. I. exercit. VI. pag. 17. Paris 1666.

(4) Synod. dioeces. lib. IV. cap. 5. — (5) De veteri, et nova Eccl. discip.

(6) Epist. 55. et 68. edit. pamel.

(7) Epist. t. 18. Innocent. ad Illyrici Episcopos.—(8) Epist. africani concilii anno 419. ad Bonifacium Pontif. tom. III. concil. — (9) Augustin. epist. 209 — (10) Epist. III. Coelestini apud Constant.—(11) Leo epist. 89. ad viennensis prov. Epis.

(12) Idem epist. 87. ad africanos Mauritanae Epis.

culo ad Petri Successorem provocarunt quoque sub Agapeto Contumeliosus gallicanae Ecclesiae Episcopus (1): sub Pelagio I. Sepaudus arelatensis Antistes (2): sub Ioanne III. Episcopi Galli Sagittarius, et Salonius (3): sub Gregorio M. hispani Praesules Ianuarius, et Stephanus (4): necnon ex Afris Petrus (5), et Paullus (6) Episcopi.

At ne diutius in re tam perspicua immorer, permulta praesertim sequioris aetatis monumenta omitto. Illud tamen hic advertere non pigeat quod frequentiores, quam alibi Occidentalis Ecclesiae ad Romanum Pontificem fuerint appellationes, eo quod hae magis ad ipsum spectabant ob patriarchicam eius dignitatem. Extat ad rem Leonis testimonium, qui in epistola ad viennensis provinciae Antistites haec scribit (7): » » nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro » sua reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotalibus innumeris re- » lationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus » consuetudo poscebat, appellationem caussarum, aut retractata, aut con- » firmata fuisse iudicia. » Quibus sane verbis aperte colligitur frequentiores fuisse etiam gallicanae Ecclesiae appellationes, ideoque illas non quinto aerae christianae saeculo, uti perperam asserit Quesnellius (8), locum habuisse, sed veteri consuetudine obtinuisse: denique easdem fuisse veri nominis appellationes, quippe quod iudicia ecclesiastica, caussa denuo exagitata, aut retractata, aut confirmata fuerunt.

Igitur ex his omnibus, quae hactenus enucleavimus, satis nobis illa, quae exposuimus probasse videntur, Christi nempe Vicarium, et Petri Successorem in universam occiduam terram priscis Ecclesiae saeculis patriarchica iura exercuisse. Quamobrem haec de veteribus Romani patriarchatus finibus satis sunto: nostraeque additioni finem imponamus oportet.

V. Constatinopolitani Patriarchae, proximo Sedi Romanae gradu occupato, Imperatorum graecorum potentia freti, quum non contenti provinciis orientalibus essent, invadere coeperunt provincias suburbicarias, easque a Romano patriarchatu divellere. Bulgaria primum in Illyrico, Basilio, et Leone AA. faventibus, sibi usurpata, ordinarunt in ea graecos Episcopos, latinis inde expulsis, ex eo quod ibidem ante paganorum dominationem graecos consedisse faterentur. Deinde ad plurimas huiusce regni Neapolitani, et Siciliae Ecclesias irruperunt, quo tempore earum urbes plerumque maritimae, et illustriores sub graeco erant, vel redibant imperio, devictis Longobardis. Scilicet ad *Rhegiensem* metropolim cum tredecim suffraganeis. Ad *S. Severinae* cum quinque suffraganeis. *Hydruntinam* sine suffraganeis primum, deinde cum quatuor suffraganeis. *Syracusanam* cum tredecim (9), *Bariensem, Tranensem*,

(1) Epist. 8. Agapeti conc. Rom. tom. V.—(2) Epist. XIV. Pelagii tom. VI. concil. — (3) Gregorius turon. lib. V., hist. cap. 21. — (4) Idem lib. XIII. epist. 45. ad Ioannem defensorem.

(5) Idem lib. VI. epist. 37. ad Columbum Episcopum Numidiae.

(6) Idem lib. VIII. epist. 13: ad Columbum Episcopum Numidiae.

(7) Epist. LXXXIX.—(8) Diss. V. ad opera S. Leonis part. I. cap. XIV., et seq.

(9) Haec apparent ex *notitia* Imperii apud Leunclavium *to.* 1. *Iuris Graec. Rom.* ex catalogis Ecclesiarum conscriptis a Codino, et Io: Curapalate apud

ceteras Apuliae, et Calabriae. Istas omnes Romanae Sedi revindicandi studio Otho II. Occidentis Imperator post medietatem saeculi X. ad Nicephorum Phocam Orientis Imperatorem, legationem demandavit Luitprando Cremonensi Episcopo, qui eam in cassum habitam enarravit libro peculiari, in eoque memoriae tradidit imperiale ipsius Nicephori praeceptum, *ne* Constantinopolitanus Patriarcha Polyeuctus permitteret *in omni Apulia, seu Calabria lotine amplius, sed graece divina mysteria celebrari.* Normanni tamen Principes saeculo XI. fusis qua Saracenis, qua Graecis, eorumque deleto penitus dominatu, Apulia et Calabria, et utroque citra, et ultra Pharum regno potiti, suas Romano Patriarchae Ecclesias omnes cum pristinis iuribus restituerunt in integrum. Istarum nonnullae ritus graecos tenacissime servarunt, ad haec usque tempora a Romana Ecclesia permissos. Sed de his alias

eundem Leunclav., a Nilo Archimandrita, alias *Doxapatrio* in tractatu *de quinque thronis patriarchalibus* ad Rugerium I. Siciliae Regem dato anno 1143., et Novella Leonis apud Leunclavium, qui haec inter alia habet. *Ordo praesidentiae metropolitanorum, qui subsunt apostolico throno Constantinopolis, et subiectorum eis Episcoporum...XXXII. Rhegiensi, sive Calabriae.* 1. Bibonensis. 2. Taurianae. 3. Locridis. 4. Rusiani. 5. Scylacii. 6. Tropeae. 7. Amanteae 8. Cotronae. 9. Constantiensis. 10. Nicoterensis. 11. Bisiniani. 12. Novocastrensis. 13. Cassani. . . XLIX, *Severianae, Calabriae. LV. Hydruntino qui subsit, nullus est thronus. Sicilia praeterea* (scribit Nilus modo laudatus), *et Calabria se Constantinopolitano supposuerunt, et S. Severina, quae et Nicopolis dicitur. Sicilia autem unum metropolitam habebat, Siracusanum: reliquae vero* Siciliae *Ecclesiae Siracusani erant episcopatus, etiam ipse Panormus, et Therma, et Cephaludium, et reliquae. Calabria quoque unum metropolitam Rheginum: reliquas vero Ecclesias episcopatus Rheginus sibi vindicabat Taurianam, in qua S. Fantini monasterium est, Bibonem, cuius locum occupavit Miletum, Constantiam, quae Consentia nunc dicitur, et reliquos omnes Calabriae subiectos. Erat et S. Severina metropolis, habens et ipsa sub se varios episcopatus: Callipolim, Asyla, Acherontiam, et reliquas: et sunt hae Ecclesiae descriptae in* Tacticis Nomocanonis *sub throno Constantinopolitano. Adnexae itaque* Siciliae Calabriae, S. Severinae *Sedes throno Constantinopolitano a Romano avulsae; quemadmodum et* Creta *sub Romano cum esset, sub Constantinop. facta est. Nihilominus Pontifex viles quasdam partes, et episcopatus nonnullos in* Sicilia, *et* Calabria *habere deprehenditur. Metropoles enim, et urbes in eadem illustriores, et digniores Constantinopolitanus possidebat usque ad Francorum* (puta Normanoorum) *adventum. Sic etiam in* Longobardia, et Apulia, *et in omnibus his regionibus maritimas metropoles antea possidebat Constantinop., reliquas Romanus, ut regiones illae per partes possiderentur . . . . Cum autem universae* Longobardiae *Ducatus, quae vetus* Hellas *erat, sub Imperatore erat Constantinop. Papa vero separatus sub aliis gentibus vivebat, propterea Patriarcha Ecclesias obtinebat: nam* Brundusium, et Tarentum *a Constantinopoli Sacerdotes accipiebat, idque nullum latet:* hucusque Nilus. Praeterea Luitprandus Cremonensis Episcopus in *legatione ad Nicephorum Phocam pro Othonib.* refert, Episcopos *Acherontinum, Turcicum, Gravinensem, Materanum, et Tricaricensem* fuisse a Nicephoro Phoca subiectos metropolitae *Hydruntino.* Theodorus Balsamon inter occidentales Ecclesias Sedi Constantinopolitanae subditas conscripsit *Bariensem n.* 31. *et Tranensem n.* 44., imperante Andronico Palaeologo.

opportunius (1): pauca nunc de inveterato graecorum schismate, quod maiores induxit res novas, subnectam.

VI. Superbum oecumenici Patriarchae titulum, quem Ioannes IV., cognomine Ieiunator declinante saeculo VI. sibi primum arrogaverat (2), quum resumpsisset saeculo IX. Photius, unus omnium ambitiosissimus: hic se, suamque Ecclesiam ab Romana coepit infeliciter abscindere. Sed schisma eius cum eo interiit, quum succedentes XVII. Patriarchae communionem cum Papa maluissent (3). Illud tandiu intermissum instauravit exitiosissime medio circiter saeculo XI. Michael Cerularius (4), quo nemo turbulentior, cuius successorum alii sensim in universas Provincias orientales, quam longae sunt, propagarunt, nonnulli pacem cum latinis praeoptavere. Initio saeculi XIII. Constantinopoli a latinis expugnata, binos deligere Patriarchas orsi sunt: alterum latini latinum (5), alterum graeci schismatici graecum Nicaeae sedentem. Latinorum vix quatuor patriarchae Sedem Constantinopoli reapse tenuerunt (6). Nam expulsis inde latinis anno 1261., titulares seu honorarios Patriarchas Constantinop., creare instituit Ecclesia Romana, qui nudo dignitatis nomine, et honore nunc sine re decorantur. Sanxit enim Benedictus XI. anno 1340 (7), ne Romano Pontifice inconsulto, Canonici quatuor Sedium patriarchalium, quamdiu civitates ipsae ditioni schismaticorum, aut infidelium subessent, ad eligendos, vel instituendos Patriarchas devenirent: alias irrita foret electio, et quaevis provisio. E contrario graeci suos pseudo-patriarchas ordinarunt perseveranter, ex quibus quisquiam aliquando latinorum dogmata est amplexus: praesertim Ioannes anno 1331. electus a schismaticis, et Iosephus II. qui vix subscripta cum latinis concordia in concilio Florentino, diem clausit extremum. Eugenius IV. in fine concilii Florentini graecos adhortans, ut novum Patriarcham in defuncti vicem eligerent, *eum, qui a me eligitur*, ait, *amovebo, efficiamque, ut unus Patriarcha sit.* At ii

(1) Sequenti *lib. 2. tit. 3. num. 25., et seqq.*

(2) Eam ob rem increpitus a Pelagio II., rescissis actis synodi Constantinop. in qua tam pestiferum vocabulum usurpaverat, et seiunctus a communione Apocrisarii apostolici S. Gregorii M, qui Pelagio in pontificatu successit, Evagrius *lib. 6. hist. cap. 7.*, idem S. Greg. M. *lib. 4. ep. 36. ad Eulogium, et ep. 38. ad ipsum Ioannem*, *lib. 7. ep. 69. ad Eusebium Thessalonic.*, et alii *ep.* supra relati *tit. 12. pag 139.* Ut primae Sedis Episcopus non appelletur *princeps sacerdotum*, aut *summus sacerdos*, aut aliquid huiusmodi, sed tantum *primae sedis Episcopus*, Conc. Africanum sub Anastasio Papa decrevit *can. 6.*

(3) N. Alexand, *in hist. saec. IX. dissert. 4. §. 29.*

(4) Idem *in hist. saec. XI. cap. 4. art. 3.*

(5) Concilio Lateranensi IV. *an. 1215.* Patriarchas Matthaeum Constantinop., et Rodulphum Hierosolymit. latini utrumque ritus, adfuisse testatur Abbas Auspergensis *in Chronico.*

(6) Eorum nomina habet index chronologicus Patriarcharum penes Io: Doviat in fine *praenot. Iur. Canon.*

(7) *In extravag. sancta Romana 3. de elect. inter comm.* Ubi fertur ad id iubendum Benedictus XI. impulsus, quia post mortem Petri Patr. Const. unus vix Canonicus, ceteris absentibus, et profugis, successorem elegerat, electus autem iuri suo sponte renunciaverat in manibus Papae.

responderunt electionem Constantinopoli faciendam ab universa Provincia, ibique in templo maiori consecrandum fore electum. Post iugo Turcarum, subacta Constantinopoli anno 1452., Gennadius Scholarius Patriarcha renovandi schismatis auctor graecis extitit, illudque suos ad successores transmisit (1).

VII. Alexandrina secundum locum inter Sedes patriarchicas sortita provincias Lybiae, Ægypti, et Pentapolis a Nicaeno canone designatas non excessisse videtur Dupinio (2), putant alii aliter. Hunc thronum illustrarunt post S. Marcum S. Petrus martyr, S. Athanasius, S. Eulogius, S. Ioannes eleemosynarius, ceteri orthodoxi: commaculavere autem Ariani, Eutychiani, Monothelitae, aliique haeretici Patriarchae, in eo interpolate sessi cum catholicis usque ad annum 634, quo Saracenorum tyrannidi cessit Ægyptus. Tamen singulae fere haeresum sectae suos habere Patriarchas, eosque titulo antiquarum Sedium decorare consueverunt. Petrum Alexandrinum pseudo-patriarcham monothelitam damnavit S. Martinus Papa I. in celeberrima synodo Romana anno 649. (3). Cophtos Patriarcham suum Alexandriae sedentem adhuc habere, atque Abyssinos Patriarcham totius Æthiopiae, subiectum quodammodo Cophtensi Patriarchae, monet Dupinius (4). Pallium Patriarchae Alexandrino Clemens XI., postulante Prospero Lambertino tunc advocato concistoriali, Pontifice meritissimo, indulsit (5).

VIII. Tertia Sedes Antiochena in Orientis dioecesi provincias quindecim obtinuit (6). Ex Antiochenis Patriarchis alii orthodoxi numerantur, et sanctitate conspicui, in his SS. Evodius, Serapio, Babyla, Ignatius martyr, Cyrillus, Meletius, Flavianus, Anastasius Sinaita; alii haeretici, aut schismatici, quales fuere Paullus Samosatenus, Leontius, Eudoxius, Dorotheus, Porphirius, Io. Grommaticus, Petrus Fullo, Severus, Anastasius III. Iacobita (7), Macedonius, Macarius, ceteri eiusdem furfuris. Post X. saeculi medietatem Nicephorus Phoca quum de-

(1) Nicephor. *in chronographia*, Io: Leunclavius *lib. 4. iur. Graeco Rom. in graeco indice Patr. Const.*, et Doviat. *in append. ad praenot. Canon. cap. 4.*

(2) *Cit. dissert.* 1. §. 11. Rufinus tamen *lib. 10. cap. 9.*, narrat Frumentium Tyrium a S. Athanasio Alexandrino ordinatum Episcopum Indorum, quos ipse Frumentius ad fidem duxerat. Rursus alium Indos Episcopum ab eodem, Iustiniano imperante, postulasse tradit Elmacin. *hist. Sarac. lib.* 1. *cap.* 12. Et Binghamus *to.* 1. *origin. lib. 2. cap.* 17. §. 12., ex quodam *canone 36. Arabicorum*, observat, catholicum in Æthiopia Episcopum non Patriarchae potestate frui, sed Patriarchae Alexandrino parere.

(3) N. Alex. *in hist. saec. 7. cap. 1. art.* 4.

(4) Dupin. in *tr. de antiq. Eccl. discipl. diss.* 1. *§. 5. in fine.* Videsis infra *num. 16.*

(5) Ex allocut. eiusdem Papae *to 2. Bullarii in append. pag. 43.*

(6) Innocentius I. *in ep. ad Alexandrum Antiochenum* rescripsit Antiochenam Sedem Romanae cessuram nunquam fuisse, *nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum, et apud se consummatum gauderet.* Sed secundum quoque (nedum Romanae primum) locum Alexandrinae, in secunda Imperii urbe erectae, concessit.

(7) Damnatis oecumenica synodo Chalcedonensi erroribus Eutychetis, duas in partes scissa est Ecclesia Antiochena: alteram *Iacobitarum*, qui dogmaticis con-

bellatis Agarenis Antiochiam graeco revindicasset imperio, factum est, ut Patriarchae Constantinopolitani, velut oecumenici, Antiochenos Patriarchas sibi subigere, et ordinare subinde aggressi sint. At saeculo XI. Patriarcha Antiochenus eiurato schismate sese in sua Sede confirmari a S. Leone IX. petiit, et obtinuit (1). Tum ab anno 1098, quo latini Gothofredo Bullionaeo duce Antiochiam adepti sunt, usque ad annum 1268. octo latini Patriarchae eam occupavere cathedram. Istis, postquam Syria in miserrimam Saracenorum servitutem recidit, successerunt Patriarchae Maronitarum orthodoxi in Monte Libano sedentes, quo latini Antiochia profugi se receperunt. Quamobrem Alexander IV. creatus Pontifex anno 1254, Patriarchas Maronitarum Antiocheni Patriarchae titulo exornatos voluit, quo ipsi abhinc tempore sunt usi (2). Leoni X. Petrus Maronitarum Antiochenus Patriarcha perfectam spopondit obedientiam: alios eiusdem Nationis catholicos Patriarchas sub Pio IV., Clemente VIII., Urbano VIII. collaudat Ios. Sim. Assemanus (3). Clemens XI. Iacobum Patriarcham a Maronitis Episcopis de more electum confirmavit, eumque iniuria depositum ad Sedem restituit. Tandem Benedictus XIV., ob eligentium discordiam quum repulisset duos ab iis electos, Simonem Petrum Evodium Damasci Archiepiscopum patriarchatu Antiocheno decoratum praefecit Maronitis.

IX. Graeci vero Melchitae (4) quum ante, tum post Latinorum ditionem suos etiam Antiochiae Patriarchas ab Constantinopolitano ordinatos habere non destiterunt. In generali tamen synodo Florentina saeculo XV. Dorotheus I., Antiochenus Patriarcha schisma detestatus ad catholicam redivit fidem. Successoribus in schisma relapsis, Athanasius, et Cyrillus Fidei professionem labente saeculo XVII. ad Sedem Romanam transmisere, ut ab ea pallium acciperent: sed spe sua frustrati sunt. Cyrillum alterum a Graecis-Melchitis electum pro asserta erga Sedem Romanam contra Sylvestrum schismaticum Antiochenae Sedis invasorem obedientia, ob idque in Monte Libano exulantem auctoritate apostolica confirmavit, et pallii auxit decore Benedictus XIV. anno 1744. (5), ritusque Ecclesiae graecae observandos Melchitis iussit, Maronitis Maroniticos (6).

X. Hierosolymitanus demum primariis Patriarchis additus est nudo

cilii definitionibus contradixerunt, *Melchitarum*, hoc est *Regiorum* alteram, qui edicto Marciani Imperatoris piissimi obtemperantes fidem synodice definitam amplexi sunt. Utrosque in regionibus Graecorum subsistere adhuc, Benedictus XIV. scitissime commemoravit in oratione concistoriali habita die 3. Febr. 1744. pro concessione pallii Patriarchae Antiocheno Graeco Melchitarum, *in appendice ad to. 2. Bullarii sui pag. 33.*

(1) Idem *loc. cit.*

(2) Idem *in altera allocutione die 13. Iulii 1744. ibidem pag. 36.*

(3) *In orat.* pro gratiarum actione nomine Iacobi electi Maronitarum Patriarchae habitae coram summo Pontifice penes acta concistorialia, in *cit. app. to. 2. Bullar. pag. 44., et 45.*

(4) Qui ante schisma catholici erant, postea non item.

(5) Bened. XIV. litteris in forma Brevis die 29. Febr. 1744. datis, *to. 1. Bullarii const. 92.*, et actis concistorialibus *loc. cit.*

(6) Idem *const. 87. data die 24. Decem. 1743. to. 1. Bullar.*

primum honore, tituloque sine dioecesi (1), quod *mater christiani nominis* (2) Hierosolyma fuisset, in eaque *Christi Domini thronus* (3), licet mobilis extitisset, S. Iacobo primum traditus prae ceteris Apostolis, quam ideo Cathedram Apostolicam appellavit Eusebius Caesareensis (4). Quamvis enim Ælia (sic dicta est post eversionem Hierosolyma ab Ælio Hadriano Imperatore reaedificata) ad metropolim Caesareae, et dioecesim patriarcham Antiochiae pertineret: gradum tamen honorabiliorem Episcopo Hierosolymitano, quam Caesareensi Metropolitae, ceterisque Orientis Episcopis, et Exarchis deferre veteres consueverant (5). Deinde ad honorem Sedis Hierosolymitanae accessit vera Patriarchae dignitas in tribus Palestinis rescripto Theodosii Imperatoris, et subsequuto canone synodi Chalcedonensis, quae Hierosolymitano tres Palaestinas dimisit: duas vero Phaenicias, et Arabiam, quas Theodosius etiam Hierosolymitano addixerat, pacis studio restituit Antiocheno.

XI. Communibus Occidenti calamitatibus haeresum, schismatum, tyrannidis paganorum hanc maximopere oppressam Sedem Hierosolymis tenuerunt imperantibus latinis latini Patriarchae, sacra etiam urbe in barbaricam servitutem prolapsa in finitimis oppidis, et praesertim Ptolemaide: donec anno 1291. tota Syria Christianorum Reipublicae erepta est. Exinde S. Coelestinus V., cuius animo iam sederat recuperandae Terrae sanctae consilium, Rodulphum a Magaavilla Ord. Praedic. anno 1294. Patriarcham Hierosolymitanum designavit. Tum Clemens V. in sacra belli expeditione iam educata anno 1305. Antonium Episcopum Dunelmensem, istoque mortuo Petrum Rutenensem anno 1314; eo patriarchatu insignivit. Post Ioannes XXII. in Petri defuncti locum suffecit Raymundum Nimosiensem Episcopum, deinde Petrum de Paluda Ordinis Praedicatorum anno 1329., qui spem conceperat adeundi Hierosolymam, et personaliter ibi sua munia obeundi (6). His vo-

(1) S. Hieronymus *ep. 61. ad Pammachium to. 2.* retundit errorem Ioannis Hierosolymitani Episcopi, ex eo quod spretis Nicenae synodi canonibus ad Patriarcham Alexandrinum a synodo Palestinae appellasset. *Ad Alexandrinum Episcopum* (ait) *Palaestina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi* (in conc. Nic.) *decernitur, ut Palestinae metropolis Caesarea sit, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad* Caesareensem *Episcopum referre debuerat ... aut si procul expetendum iudicium erat*, Antiochiam *potius litterae dirigendae.* Et paucis retro annis Acacius Caesareensis Cyrillum Hierosolymitanum de Primatu Palestinae cum eo contendentem damnavit, cuius sententiam a synodo Seleuciensi ratam habitam, narrat Sozomenus *lib. 4. cap. 24.*

(2) Hoc nomine appellata est ab Iustino Imp. *in ep.* ad Hormisdam Papam.

(3) Utar verbis S. Epiphanii *haeresi 77.*

(4) Euseb. *lib. 7. hist. eccles.*

(5) Synodo Caesareensi de celebratione Paschatis habitae an. 196. sub Victore I. Narcissum Episcopum Hierosolymitanum cum Episcopo Caesareae praesidisse tradit Eusebius *lib. 5. hist. eccl. cap. 23*, Idemque *lib. 7. cap. 28.*, enarrans res contra Paullum Samosatenum gestas in synodo Antiochena anno 266, et 272., Episcopo Caesareae praefert Hierosolymitanum. Macarius Hieros. proinde synodo Nicaenae ante subscripsit, quam Eusebius ipse Caesarensis.

(6) Raynald. *in annal.* Bollandi sectatores *in hist. chronol. initio to. 3.* et egregie sapiens Bened. XIV. *ep. ad Card. delle Lanze const. 36, Bullar. to. 2.*

to veris, re titularibus Patriarchis (abrupta ope deiiciendi iugum infidelium, non tamen omnino deposita) successerunt reliqui titulares, quos creare solet Sedes Apostolica, ut sit perennis insignium Ecclesiarum memoria (1).

XII. In tantis Sedium patriarchalium casibus videre licet digitum Christi Domini, quo caeteris collapsis sustinetur immobiliter sola Petri Cathedra, omnium parens, et magistra, et princeps. Haec sola iure divino patriarchatum oecumenicum sortita est. Alii Patriarchae pontificalis officii participes iure humano primum non scripto, deinde scripto, et utroque mutabili, quantum sunt passi Ecclesiae Patres. Quod amplitudo metropolum fere dignitatem patriarchalem, aut metropoliticam attulerit Episcopis, obnituntur commonstrare acerrimi viri Dupinius, Binghamus, caeteri: tamen isti negare nequeunt, quod historia manifestat, iura Patriarcharum singula synodis ecclesiasticis, et adsensum Romanorum Pontificum modo explicata, vel adaucta, modo coercita, vel moderata saepius fuisse.

XIII. Simul constat ex historia, alium ab alio Patriarchas non dependere, quod par pari haud imperet. Verum excipitur suprema Sedes Romana, cui subesse universos, quavis dignitate etiam patriarchica praeditos, iam satis ostendi (2): aliter monstruosa esset Ecclesia catholica, plura si capita haberet suprema, et coaequalia. B. Petri Sedem *unius in tribus locis* sitam dixit iuremerito S. Gregorius M. (3), quia duas ab initio Sedes *Alexandrinam*, et *Antiochenam* socias quidem habuit Romana, non tamen liberas omnino, et immunes, sed sibimet soli subditas: quae ideo postulatum ab ea ipsa pallium accipere consuerunt, tesseram accepti ab ea muneris pontificalis, et obedientiae solemniter desponsae. Non secus, quam regia insignia Reges ab Romanis, quibus parebunt, Caesaribus, accipiebant. De reliquis Patriarchis licet hinc indicare facilius.

XIV. Antiquis exinde quatuor Patriarchis posteriori aevo alii sunt additi, praecipue *Aquileiensis*, seu *Venetiarum*, *Indianus*, et *Lisbonensis*, qui nunc etiam subsistunt.

XV. *Aquileiensi* Episcopo Venetiarum, et Histriae provincias saeculo IV. attributas prodit Rubeus (4). Saeculo VI. Atalaricus Rex Gothorum non magis Metropolitas, quam caeteros Episcopos Patriarchae titulo exornare cum coepisset (5); inde Paullinus I. Aquileiensis semetipsum nedum nomine, sed re Patriarcham ostentare, ut se ἀυτοκέφαλον, hoc est liberum, subtractumque a Romani Patriarchae obedientia, et subiectione persuaderet (6), et ausus est Aquileiensem pseudo-synodum

(1) Videsis dicenda inferius *tit. 18. num. 10.*, et Bened. XIV. *const. cum a nobis 36. to. 2.* Bullarii.

(2) *Tit. XII. huiusce libri num. 1., et 14.*

(3) *Lib. 6. ep. 37.* Eodem ferme sensu Balsamon *de Patr. privileg.* quinque Patriarchas ad unum caput redactos exhibet.

(4) Rubeus *in monum. Eccles. Aquileien. cap. 19.*

(5) Constat id ex *ep.* Atalarici ad Ioann. II. Papam apud Cassiodor. *ep. 15. lib. 9.*, de qua Dupin. *saepe cit. dissert. 1. §. 5.*, et Murator. *in annal. ad ann. 532, et 570.*

(6) Du Chesne *to. 1. scriptor. rer. Francic. pag. 874.*, et Murator. *ad cit. ann. 570.*

cum schimaticis Episcopis Histriae, Venetiarum, Liguriae, aliarumque Italiae urbium contra V. synodum oecumenicam celebrare. Quas ob res in eum, et Honoratum Mediolanensem Pelagius I. severam dedit epistolam ad Narsetem Italiae Ducem, tanti ut schimatis auctores ambo publica potestate coercendos ad Iustinianum Imperatorem vinctos transmitteret (1). Paullinus profugus Gradum Venetorum insulam demigravit (2). Ob occupatam deinde ab Imperatore Constantinopolitano maritimam Histriae, et Venetiarum regionem anno 605., secto duas in partes episcopatu Aquileiae, Gradensem Ecclesiam ab Aquileiensis detractam accepit Episcopus Candianus, dictus inde Gradensis (3). Duo hinc Episcopi Aqueileiensis, et Gradensis titulo Patriarchae, conniventibus, immo indulgentibus Romanis Pontificibus, potiti sunt (4). Demum saeculo XV. Ecclesia Gradensi Venetias translata auctoritate Nicolai V., creatus est Patriarcha Venetiarum (5).

XVI. Indianus quoque Patriarcha beneficio Sedis Apostolicae institutus est saeculo XVI., postquam rogante Ioanne III. Lusitaniae Rege Paullus III. S. Franciscum Xaverium ad Indias orientales Apostolum cum amplissima potestate ablegavit anno 1549. Cuius sedes quoniam sita est in urbe Pharsalia apud Thessaliam, Archiepiscopus Pharsalicus idem nunc, et Patriarcha Indiarum est (6). Æthiopes item, et Abyssini eodem ferme tempore christianam Fidem amplexi, quae Romano Pontifici Clementi VII. nunciata est litteris, et muneribus Davidis eorum Imperatoris (7), suum ab Iulio III. Episcopum anno 1551. dignitate pa-

(1) Cuius epistolae fragmenta sunt in cit. *can. 42.*, *et duobus seqq. Caus. 23. quaest. 5.*, *can. 4. dist. 17.*, quem Gregorio Gratianus male inscribit, et *can. istud est 20. C. 40. quaest. 1.*, Florens in *comment. ad hanc caus. 40. pag. 20. p. 2.*

(2) Paul. Diacon. *lib. 2. cap. 8.*, scribit metu Longobardorum Paullinum Aquileia Gradum profugisse.

(3) Gonzal. *in cap. ex litteris 29. de off.*, *et potest iud. deleg.* verbo *Gradense.*

(4) Primatis privilegium Rodoaldo Aquileiensi concessum a Leone VIII. anno 980. probat transcripto diplomate Ioannes Candidus *lib. 3.* apud Gonzal. *loc. cit.* Ad Gualbertum Patriarcham Aquileiae, ut Cumensis Ecclesiae Antistitem electum is ordinaret, ni vellet eumdem a Papa consecratum accipere, rescripsit Stephanus Papa (nescio quis) in *can. nunc vero 20. C. IV. q. 3.* Apud Gratianum in huius epistolae inscriptione legitur *Gualberto Patriarchae*, sine Aquileiae tamen adiuncto, quod supplet probabiliter Germon. *lib. 3. de Sacror. immunit. cap. 3. num. 3.* Urbanus II. *Dominico Patriarchae Gradensi* certius scripsisse legitur in *can. erubescant 12. dist. 32.* Alexander III. Patriarchae item Gradensi decretalem dedit in *cap. constitutis 23. de appellat.*, aliam Gregorius IX. in *cap. dilecti 13. de maiorit.*, *et obed.* Et Honorius III. quandam eiusdem Patriarchae causam explicat in *cap. fin. de caus. possess.*

(5) Murator. *ad dict. ann. 570;* de Rubeis *loc. cit.*, et Petrus de Monte Episcopus Brixien. *in repertor.* apud Germon. *loc. cit.*

(6) Ruffin. *lib. 10. cap. 9.* narrat quemdam Frumentium Tyrium a B. Athanasio Alexandrino Episcopum Indorum, quos fide Christi initiaverat, ordinatum fuisse, et Elmecin. *lib. 1. hist. Saracen. cap. 12.*, refert Indos imperante Iustiniano adhuc consuevisse Episcopum accipere a Patriarcha Alexandrino.

(7) Paull. Iovius *de Æthiopum moribus*, et Damianus a Goes *to. 3. Hispaniae illustr.*

triarchica insignitum habuere olim. Postea catholici Latini, et ipsi ad schismaticos Graecos defecti, Patriarcham totius Aethiopiae sibi delegerunt, supparem, et quodammodo obtemperantem schismatico Cophtorum Patriarchae Alexandrino (1).

XVII. In Lusitania Episcopus Ulyssiponensis (2), qui olim suffraganeus erat Primatis primum Emeritensis, tum Bracharensis, auctus XVI. saeculo dignitate metropolitica (3), tandem memoria nostra nactus est patriarchatum a Clemente XI. anno 1716. ad postulationem Ioannis V. Lusitaniae Regis (4).

XVIII. Ad ista plane summa capita rediguntur privilegia Patriarcharum. I. Metropolitanos suarum dioecesum, provinciarumque ordinare (5): iis pallium tradere post Fidei professionem, et obedientiae sponsionem (6): suamque ipsorum electionem a synodo dioecesis accipere (7). II. Synodos cogere, concelebrare, iis praesidere, et constitutiones totam dioecesim obligantes ferre (8). III. Maiores caussas iudicare (9). IV. Enormium criminum veniam sibi reservare (10). V. Appellationes a Metropolitanis, et synodis provincialibus audire (11). VI. Generales canones, et leges ecclesiasticas promulgare, ac promulgandas Metropolitis, et Suffraganeis transmittere (12). VII. Ad eos, easve exequendum cogere subditos (13). VIII. Polystaurium, seu casulam multis contextam crucibus gestare (14). IX. Elatam cum duplici antenna crucem ubique deferre, praeterquam Romae, aliove in loco, ubi adesset Papa, eiusve Legatus a latere (15). X. Praetereaque facem (16). XI. Rocheto, et

(1) Dupin. *cit. diss.* 1. §. 5. *in fine.*

(2) Ad eum scripsit Coelestinus III. in *cap. insinuante 7. qui clerici, vel voventes.*

(3) Lud. Nonius *in Hispan. cap. 35.*, apud Gonzal. *in cit. cap. insinuante.*

(4) Card. Thomas de Almeyda primum Patriarcha Lisbonensis creatus est, collaudatus in litteris apostolicis Benedicti XIV. *tom. 2. Bullar. constit. 8.*

(5) *Cap. 4. de caus. poss.*, *et propr.* Alexandrino Patriarchae specialem fuisse auctoritatem ordinandi cunctos suarum provinciarum, nedum Metropolitas, sed etiam Episcopos, contendit Binghamus *to. 1. orig. lib. 2. cap. 17.* §. 11.

(6) Innocent. III. in Conc. Later. IV. *can. 5.*, in *cap. antiqua 23. de privileg.*

(7) Conc. Chalced. *can. 28.*. Novell. 7. *cap. 1.*, et Nov. 131. *cap. 3.*

(8) Theodor. *ep. 81.*

(9) Concil. Chalced. *act. 4. can. 30, et can. 14. C. III. qu. 5.*

(10) Synes. *ep. 67.* Innoc. III. in *cap. grave nimis 29. de praeb.*, *et dign.* auctoritatem relaxandae suspensionis, a concilio comminatae contra indignis beneficia conferentes, reservavit vel Romano Pontifici, vel proprio Patriarchae, *ut in hoc quoque* (ait) *quatuor patriarchales Sedes specialiter honorentur.*

(11) Conc. Chalced. *can. 9.*, *et 15.*, *cap. constitutis 23. de appell. cap. 23. de privileg. et l. sancimus 29. C. de Episc. aud.*

(12) *Nov. 6, et 42. in fine.*

(13) *Nov. 37. cap.* 1., Socrat. *hist. eccl. lib. 7. cap. 3.*, et Sozomen. *lib. 8. cap. 6.*

(14) Zonar. *ad can.* 17. Synod. Chalced., Marca *in diss. de const. Patriarch. inst.*

(15) Cap. *antiqua* 23. de privilegiis.

(16) Balsam. *in Melete,* et Bened. XIV. *lib. 2. de Syn. dioec cap. 6. n. 3.*

palliolo, vulgo *mantelletta*, et birro, vulgo *mozzetta* superinduti per urbem incedere (1), et lemniscis nigris (vulgo *fiocchi*) equos proprii currus ornare (2). XII. Ius stauropegii habere, h. e. figendae Crucis in monasterii fundatione, sub immediata Patriarchae iurisdictione futuri (3). Verum nec omnia singuli, nec ubique, nec semper eadem iura obtinuere, neque in praesentia obtinent. Titulares quoque, seu honorarii Patriarchae praerogativa praecedendi post Cardinales omnibus Primatibus, et Metropolitanis utuntur.

XIX. Vocabulum Patriarchae apud Hebraeos (4) vetustissimum, et apud Montanistas (5), a divo Gregorio Nazianzeno (6) Episcopis catholicis promiscue, et sine discrimine dignitatis tributum, invexit in Sedes sublimiores (7) divisio dioecesum, et provinciarum, si Socrati (8) fides habenda est. *Patriarchas* (inquit) *constituerunt* (Patres Constantinopolitani I. synodi) *provinciarum divisione facta*. Synodus inde Chalcedonensis *act. 2.* cavit, ut sanctissimi *Patriarchae cuiusque dioeceseos*, adhibitis singulis, aut binis suarum provinciarum Episcopis, placitas ferrent constitutiones. Ampliori, quam recentior aetas accepit, notione Patres Chalcedonenses secundum Socratem usos explorata res

(1) Ex indulto Benedicti XIII. quatuor Patriarchis concesso.

(2) Ex decreto S. Congr. Coerimonialis *die 23. Nov. 1742.*, *in appendice ad to. 2.* Bullarii Bened. XIV. *num. 5. pag. 30.*

(3) Ex *const. 98.* Bened. XIV. §. *19. to. 1. Bullar. pag. 352.*

(4) In sacris Bibliis passim occurrit 1. Paralip. *cap. 7.*, *et 8. vers. 28.*, *et cap. 9. v. 9.* Numer *cap. 8*, *et cap. 31. v. 16.*, *cap 32. v. 28.*, *et cap. 36.*, Tobiae *cap. 6. v. 20*, Act. Apost. *cap. 2. vers. 29*, *et cap. 7. v. 10*, Ad Hebraeos *cap. 7. v. 4.* Post eversam Hierosolymam dispersi per orbem Iudaei duos Patriarchas, alterum Tiberiade, alterum Babylone diutius habuere cum iure creandi, et destituendi archisynagogos, uti liquet *ex l. 1.*, *14.*, *17.*, *et 22. C. Th. de Iudaeis.* Eos titulo *Reverendissimi* decoravit Iulianus apostata in *ep. ad Rempubl. Iudaeor.* quos postea suppressos, peremptosque observat Theodoritus *dialog. 1.*

(5) Eos ideo exagitavit S. Hieronymus *ep. 54.* ad Marcell. adversus Montanistas *to. 2.*, quod Patriarchas primo, *canones secundo*, tertio gradu Episcopos ordinibus distinctos haberent religione ambitiosiori. Id non scripsisset utique Doctor maximus, tunc si nomen Patriarcharum in hierarchiae gradibus adhiberet Ecclesia catholica. Dupinius *diss. 1. de ant. disc. §. 5*, innuit SS. Gregorium Nissenum, et Basilium, saec. IV. scriptores, hac voce eodem, quo Hebraei sensu, usos.

(6) S. Greg. Nazianz. *orat. 20*, *et 42.*, Patriarcham compellasse legitur parentem suum, Nazianzi parvae urbis Episcopum. Idemque *or. 72.*, presbyteros Episcopos synodo Constantinopolitanae sine Sedium discrimine, *ut aptiore* (ait) *verbo uteretur*, *Patriarchas* appellavit.

(7) Dices fortasse cum Salmasio *de Primat. cap. 4.* Hadrianum Imp. secundo saeculo dedisse Patriarchae nomen Episcopo Alexandrino, ex eo quod Hadrianus *ep.* apud Vipiscum in vit. Saturn. scripserit: *Nemo illic archisynagogus Iudaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ille ipse Patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christus.* At vero Salmasium meritissime refellit Binghamus *to. 1. orig. lib. 2. cap. 17. §. 3*, dum edisserit Hadrianum eo verbo respexisse ad Patriarcham Iudaeorum, non ad Episcopum Alexandrinum.

(8) Socrat. *lib. 5. hist. cap. 8.*

est: quippe qui *Patriarchae* voce complexi sunt singularum ***dioecesum*** *Metropolitas*, postmodum appellatos distinctionis gratia *Exarchos*, aut *Primates*, aut *Patriarchas minores*, de quibus mox dicendum.

TIT. XV.

De Primatibus et Exarchis (1).

I. Tredecim imperii dioeceses a Constantino M. institutae Exarchas totidem in Ecclesia pepererunt, mox aliis aliae dignitatibus auctae urbes.
II. Primatis vox a canonibus vulgo Apostolorum, et Africanis profluxit.
III. In Africa solus Carthaginensis Episcopus Africae Primas fixus, ceteri Episcoporum seniores ordine aliis praecellebant per Numidiam, et Mauritaniam.
IV. Formam dioecesum, et provinciarum civilium orientales citius, quam occidentales in dignitatibus Ecclesiarum sectati sunt.
V. Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum octavo saeculo Zacharias Papa creavit Germaniae, et Galliae Primatem.
VI. Pseudo Isidorus Primatis iura amplificare potissimum studuit apocryphis decretalibus.
VII. Italiae provincias decem Vicario urbis civili subiectas Romani Pontifices primum per sese administrarunt.
VIII. Reliquas septem Vicario Italiae addictas dimiserunt Mediolanensi Episcopo, tanquam Primati earum, et Exarchae.
IX. Mox Ravennati Exarchae Flaminiam, et Aemiliam.
X. Exinde Primatus Aquileiae, et Venetiarum suborti.
XI. In Gallia eandem simul dignitatem adepti sunt septem Archiepiscopi.
XII. In Hispania tres olim Primates, nunc unus tantum Archiepiscopus Toletanus.
XIII. In Sicilia Messanae civitas privilegium primae Metropolis adepta est ab Arcadio Imperatore, et Rugerio Rege.
XIV. Hoc in regno Ioannes XV., et Urbanus II. dignitatem Primatis Archiepiscopo Salernitano concesserunt.
XV. Capuano Episcopo Ioannes XIII. dignitatem non Primatis, sed Metropolitae concessit.
XVI. Alius nonnemo in huius regni provinciis maritimis honorem Primatis a Patriarcha Constantinopolitano olim habuit.

I. Orbe Romano in tredecim dioeceses diviso a Constantino M., qui cuique earum plures, aut pauciores subdidit metropoles, et provincias, orti

(1) *Exarchos* graece, apud latinos principem, seu Primatem sonat. Hoc tamen titulo speciatim accipitur pro Antistite ecclesiastico, qui pluribus provinciis unam dioecesim attinentibus praeest, cuique aliquot Metropolitae parent. Ad eos ideo extensum quandoque vocabulum Patriarchae. Nam Iustinianus Novell. VI in fine: *sanctissimi Patriarchae* (ait) *uniuscuiusque dioecesis haec manifesta faciant Metropolitis. Haec duo nomina* (inquit Innocentius III. *in epist. ad Episcopum Triboniensem* apud Raynald. *ad ann.* 1204. *n.* 37.): *apud nos Primas, et Patriarcha pene penitus idem sunt.*

fere totidem in Ecclesia sunt Exarchi dioecesum (1), dignitate praestantes Exarchis provinciarum, seu Metropolitis (2). Videlicet in dioecesi Asiana Exarchus *Ephesinus*, in Pontica *Caesareensis*, in Thracia *Heracleensis*, in Macedonia *Thessalonicensis*, in Dacia *Sardicensis*, in Vicariatu Italiae *Mediolanensis*, in Illyrico occidentali *Syrmiensis*, in Africa *Carthaginensis*. Patriarchis primariis, (de quibus in praecedenti titulo dictum) ea, in qua sedem habebant dioecesis uti Primatibus, seu Exarchis quoque addicta est. Itaque Orientis dioeceseos Exarchus permansit Episcopus *Antiochenus*, in AEgypto *Alexandrinus*, in Praefectura Romana, et Italia *Romanus*. Post mutatae, vel arbitratu Principum, vel temporum inconstantia urbes, metropoles, provinciae novos item Episcopos ad Exarchi, seu Primatis dignitatem extulerunt, non sine antiquorum iniuria, et altercatione. Nam synodus Chalcedonensis decrevit, *ut quaecunque civitates per litteras imperatorias* metropolis *nomine honoratae sunt,* solo honore *fruantur*, *et qui eius Ecclesiam administrat Episcopus*: *servato scilicet verae metropoli suo iure* (3). *Sin autem etiam civitas aliqua ab imperatoria auctoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles, et publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur* (4). Hinc patet discrimen primatus Ecclesiarum vel *honoris*, vel *potestatis* pro conditione metropolum diversa.

II. Vox *Primatis* videtur accepta vel a canone XXXVII. vulgo Apostolorum, quo πρωτοι, idest *primi* Episcoporum ceteris praeponuntur, vel a concilio Carthaginense III. *can.* XXVI, quo decretum est, ut nemo appelletur *princeps sacerdotum* aut *summus sacerdos*: sed tantum *primae Sedis Episcopus*. Enimvero Patres Africani, in hisce potissimum S. Augustinus, consueverunt Episcopos primarum Sedium Africae, Numidiae, et Mauritaniae *Primates* nominatim dicere (5). Inde ad latinas occiduas Ecclesias propagata vox eiusmodi est (6). Quem vero la-

(1) Concilium Constantinopolitanum I. *can.* 2. tres dioeceses Asiae, Ponti, ac Thraciae regendas singulatim *Exarchis Ephesi*, *Caesareae*, *et Heracleae* dimisit expressim. Theodorus *Ephesinorum* metropoleos Episcopus, et Exarchus Asianorum dioecesis diserte dictus est a sexta Synodo *act. XVIII.* Ceteros reliquarum dioeceseon Exarchos enumerat Ioseph Bingham. *to. 3. orig. lib. 9. cap. 1.* §. *6*, ubi *ex notitia dignitatum utriusque Imperii cum comment.* Panciroli, et ex Concil. actis exhibet tabulam dioecesum, et provinciarum.

(2) Petr. de Marc. *in dissert. de Constantinop. Patriarch. instit. pag. 63.*, scribit *exarchi* nomen Metropolitanis omnibus congruere quidem ex *can. 6.* synodi Sardicensis, et observat Zonar. ad *can. 17. Concil. Chalcedon.*; quid nihilominus augustius sonare, praesertim cum dicantur *Exarchi dioecesum*, scilicet praecipuos, honoratioresque Metropolitas, qui post Patriarchas maiores praeibant Archiepiscopos. Videsis Dupin *cit. dissert. 1.* §. *4*, et Natal. Alex. *in hist. saecul. IV. cap. 5. art. 2.*

(3) Conc. Chalcedon. *can. 17.* — (4) Idem *can. 17.*

(5) Conc. African. in *can. primae Sedis 3. dist. 99.*

(6) S. Aug. ad Victorinum *ep. 217. Legi in eadem tractoria* (ait) *etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas provincias scimus suos habere* Primates . . . *Collega noster* Xantippus *Tagastensis dicit, quod eum Primatus ipse contingat.* Possidius in vita S. Aug. *cap. 3. Adveniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc*

tini *Primatem* dixerunt, ipsum eomet sensu graeci *Exarchum provinciae* dictitabant (1).

III. In Africa duplex, et uterque antiquissimus Primatus: alter Sedis, et Ecclesiae perpetuus, et fixus, mobilis alter personae senioris in ordine episcopali (2). Solus *chartaginensis* Episcopus totius Africae speciatim dictae Primas praecelluit; in ceteris earum regionum dioecesibus, ac provinciis, puta Numidiae, et Mauritaniae quisque senior ordine Episcopus et Primatis, et Metropolitae munera obivit (3). Propterea *Senem Episcopum* Africani Primatem plerunque appellabant (4).

IV. Formam dioecesum, provinciarumque civilium ocius quidem, et accuratius, quam in Occidente, orientales Ecclesiae imitatae videntur. In occiduis autem regionibus dignitates ecclesiasticae potius Romani Pontificis beneficio obvenire, quam aliunde, sero consueverunt, cui quidquam ex tot in eo bene consociatis iuribus Metropolitae, Primatis Italiae, Patriarchae occidentalis, et oecumenici detrahere invito, negotium fuit quam difficillimum.

V. Saeculo VIII. Zacharias, Papa S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum illius Ecclesiae metropolitam constituit cum dignitate Primatis in omnes Germaniae, et Galliae Episcopos: Primatum scilicet Germaniae adnexuit in perpetuum Sedi Moguntinae, Galliae vero temporarium personae S. Bonifacii solum contulit. Qui Moguntinam synodum cum Germanis una et Gallis Episcopis habuit, metropolitanos inde in Gallia plures ordinavit, eisque pallium a Zacharia impetravit, solis,

Primate Numidiae *Megalio Calamensi Episcopo*. Tum *ep. 261. Clamet Priscus*, ait, *provinciae Caesareensis Episcopus: aut ad* Primatum *locus sicut ceteris, et mihi patere debuit, aut episcopatus mihi remanere non debuit. Sanctum senem, qui tunc* primatum Numidiae *gerebat, de longinquo ut veniret, rogans litteris impetravi.* Idem S. Aug. contra Parmen. *lib. 1. cap. 3. Qui venientes cum* Primate *suo tunc Secundo Tigisitano . . . Coecilianum traditorem esse censuerunt . . . Ita contra sedentem in cathedra Episcopum alterum ordinaverunt.*

(1) Conc. Bracarensi I. *can. 24., placuit, ut conservato* Metropolitani *Episcopi* primatu, *ceteri Episcoporum secundum suae ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.* Conc. Taurinense in Subalpinis anno 345. *can. 2.* decrevit, *quod qui ex iis* (nimirum Episcopis Arelatensi, et Viennensi) *comprobaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciae* honorem Primatus *obtineat.* Canon iste Taurinensis videtur duplicem Primatus speciem, *honoris* scilicet, et *potestatis*, spectasse paullo superius expositam.

(2) Conc. Sardicense *can. 6. Oportet illum prius*, ait, *qui non adfuerit, Episcopum admoneri per litteras Primatis* provinciae (textus graecus habet), *nempe Episcopi metropolitani, quod roget populus sibi pastorem dari.* Hinc liquet etiam synonima olim fuisse vocabula *Primatis*, *et Metropolitani.* Videsis praecedentem notam *n. 1.*

(3) Didac. de Casteion de *Primat. Tolet.* Fr. de Pisa *in hist. Tolet.*, aliique apud Gonzal. *in not. ad cap. coram 7. de in integ. restit.*, et Ciron. in *cap. 3. de dilat. in 5. compilat.*

(4) S. Aug. ep. 236. *Domino beatissimo, et venerabiliter suscipiendo Patri, et Consacerdoti* Seni Xantippo *in Domino salutem.* Ab eodem *ep. 149.* dicitur *Senex Megalius.* Tum ep. 152. *Silvanus Senex.* Et ep. 253, *fratrem, et collegam meum*, ait, *Senem Aurelium.* In codice canonum Africanae Ecclesiae *can. 90*, feruntur litterae tractatoriae *ad sanctum Senem Xantippum.*

Primatibus concedi tunc solitum (1). Eorum propterea nonnulli Primatis dignitatem Sedi suae vindicarunt Metropolitica maiorem. Hanc in illis tantum Hincmarus comprobat, *quibus canonum decretis*, ait, *et Sedis* Romanae *sententiis claret eosdem* Metropolitanos Primates *esse singulos singularum provinciarum*, *qui ex* antiqua consuetudine, *et* apostolica traditione, *et convocare synodos*, *et ordinare Episcopos*, *et ordinari a provincialibus sine cuiusquam alterius Primatis interrogatione possunt*, *et disponere regulariter quaeque per suas provincias queunt... Illi autem Archiepiscopi*, *vel Metropolitani*, *qui haec* sine consultu Primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantum, vel Metropolitani habentur (2). Exin iure meritissimo Carolus M. iussit, *ne alii Metropolitani appellentur* Primates, *nisi illi*, *qui primas Sedes tenent*, *et quos SS. Patres synodali*, *et apostolica auctoritate* Primates *esse decreverunt*. *Reliqui vero*, *qui alias* metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani *vocentur* (3).

VI. Subinde Riculfus Archiepiscopus Moguntinus quum perpetuam sibi suaeque Sedi facere dignitatem Primatis etiam Galliarum, quae per obitum S. Bonifacii decessoris sui desiverat, contra nitentibus Gallis, maximopere studeret: auctor fuisse haud temere putatur, ut pseudo-Isidorus, Ioannes nimirum Anglus Moguntiae degens ei obsequentissimus apocryphas decretales priscorum Pontificum ante Siricium conflaret (4); easque primus ipse Riculphus velut genuina vetustatis rudera in vulgus e simulatis Isidori Hispalensis pluteis proferret appositis ad persuadendum, quod Apostoli dignitatem Primatis patriarchicae immo, et pontificiae aliquando parem instituissent in primariis urbibus, eique ceteros Metropolitas omnes subiecissent. Prima S. Clementis ad Iacobum fratrem Domini epistola supposita haec de iure Primatum habet: *in illis civitatibus*, *in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum*, *atque primi legis doctores erant*, *Episcoporum* Primates *poni*, *vel* Patriarchas *B. Petrus praecepit*, *qui reliquorum Episcoporum causas*, *et maiora*, *quoties necesse foret negotia* in fide *agitarent* (5). Altera S. Anacleti ad Episcopos Italiae idipsum absurdius recinit: *provinciae multo ante Christi adventum tempore* (ait) *divisae sunt maxima ex parte*, *et postea ab Apostolis*, *et B. Clemente Praedecessore nostro ipsa divisio est renovata*. *Et in capite provinciarum* (*ubi dudum* Primates *legis saeculi erant*, *ac prima iudiciaria potestas*) *ipsis quoque in civitatibus*, *vel locis nostros* Patriarchas, *vel* Primates, *qui* unam formam *tenent*, *licet diversa sint nomina*, *leges* divinae, *et ecclesiasticae poni*, *et esse iusserunt*: *ad quos Episcopi*, *si necesse fuerit*, *confugerent*, *eosque appellarent*: *et ipsi* Primatum *nomine fruerentur*, *et non alii*. *Reliquae vero Metropolitanae civitates*, *quae minores iudices habebant*, *haberent Metropolitanos suos*, *qui praedictis iuste* obedirent Primatibus, *sicut*, *et*

(1) Liquet ex mutuis epistolis Zachariae ad Bonifacium, et huius ad illum in collect. Concil., et Flodoardo *lib. 2. histor. Rhem. cap. 16.*
(2) Hincmarus in opusc. LV. capitum *cap. 16.*
(3) Carol. M. *lib. 7. capitular. cap. 336.*
(4) Ex supradictis *tit. 9. n. 20.*—(5) Clemens in *can. in illis 2. dist. 80.*

in legibus seculi *olim ordinatum erat* (1). Tertia Lucia I. ad omnes Galliae, et Hispaniae Episcopos ad eundem scopum intendit. *Urbes, et loca*, inquit, *quibus* Primates *praesidere debent, non a modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statutae temporibus: quarum* Primates *etiam gentiles pro maioribus etiam negotiis appellabant. In ipsis vero urbibus post Christi adventum* Apostoli, *et successores eorum* Patriarchas, *vel* Primates *posuerunt, ad quos Episcoporum negotia (salva in omnibus apostolica auctoritate), et maiores causae post Apostolicam Sedem sunt referendae* (2). Proh nefas! quot glomerata paucis lineis mendacia! *Primatis vox* aevo martyrum inaudita penitus, quae non ante quartum saeculum emersit, et *Patriarchae titulus* ad primarios Episcopos eodem fere tempore traductus vah quantum abhorrent ab ore, et calamo SS. Petri, Clementis, Anacleti, Lucii, aliorumque supparium? Divisionem dioecesum, et provinciarum sine scripto iure moribus tantum procul dubio inductam, quam scripto canone primi omnium constituerunt Patres Nicaeni placido nunc aure quis audiet ab Apostolorum Principe, eiusque proximis Successoribus imperatam scriptis eiusmodi epistolarum legibus? Metropoliticae parem in ortu suo tardiore dignitatem Primatis ecquis crediderit ab Apostolis aequatam sublimiori patriarchicae, ac Metropolitanis ceteris ferme divinitus praepositam? Negotia Fidei, quae divino iure ad Petri Sedem, et concilium oecumenicum pertinent praeterea neminem, quonam pacto valuit Petrus ipse per Pseudo-Clementis epistolam remittere futuro cuiusque Primatis iudicio inferiori? Istaec absurda, aliaque plura iamdiu patefacta vitia potissimum in causa fuere, ut spurias eiusmodi epistolas Isidori mercatoris concordi animo repudiarent viri doctiores, falsa veterum interpretum de iis opinione undelibet depulsa. Qui vero totus in eo fuit larvatus Isidorus, ut potestatem Romanae Cathedrae in rebus Fidei definiendis, et ordinationibus Episcoporum occidentalium, et caussis appellationum Primati cuivis addiceret, suum is certe calamum, operamque non Romanae pontificiae potestati, sed Primati Moguntino verosimilius, aliisque quibuslibet Primatum fautoribus locavit.

VII. Bulgariae Primatem creavit Archiepiscopum Tribonitanum Innocentius III., ad eumque decretalem dedit (3). Alios alibi constitutos Primates inquirere singulatim nostra non interest. Italia more antiquo tribus martyrum saeculis Metropolitanum, Primatemque unum habuit Episcopum *Romae*, praeterea neminem. Quarto ab inde saeculo divisa in duos Vicariatus Italia, provincias decem Vicario urbis obtemperantes administrare per sese Pontifex maximus perrexit. Scilicet 1. *Picaenum suburbicarium* 2. *Campaniam* 3. *Tusciam, et Umbriam* 4. *Apuliam, et Calabriam* 5. *Aprutios, et Lucaniam.* 6. *Samnium.* 7. *Valeriam* 8. *Siciliam* 9. *Sardiniam* 10. *Corsicam.*

(1) Anaclet. in *can. provinciae* 1. *dist.* 9.

(2) Lucius in *can. urbes* 1. *dist.* 80. Conspirat eodem pseudo Felix I. in *cap. haec sunt* 2. *de accus.*

(3) Inn. III. in *cap. cum venisset* 1. *de sacr. unct.* ibique in *notis* id scite observat Emm. Gonzalez ex Spondano post Baronium *ad an.* 1204. *num.* 12, et Bosqueto *de gestis Innoc.* III. *fol.* 61.

VIII. Reliquas vero septem provincias Vicario Italiae subiectas accepit Episcopus *Mediolanensis* (1), factus inde Metropolita, et Exarchus. Quae sunt 1. *Flaminia, et Picoenum* 2. *Venetiae, et Histria.* 3. *Æmilia* 4. *Liguria* 5. *Alpes Cottiae* 6. *Rhetia Prima* 7. *Rhetia Secunda.*

IX. *Ravennatensis* initio saeculi V. Flaminiam, et Æmiliam provincias, cum iisque primatum obtinuisse fertur (2).

X. De *Aquileiae, et Venetiarum* Primatibus iam dictum superiori titulo.

XI. In Gallia Primatis dignitatem, nomenque assequuti sunt Archiepiscopi *Arelatensis, Viennensis, Rhemensis, Metensis, Senonensis, Lugdunensis, Bituricensis,* quorum singulatim initia, progressus, contentiones, decreta, et privilegia pontificia describit Dupinius (3).

XII. In Hispania tres olim fuere Primates. In Boetica a Vandalis capta *Hispalensis* Episcopus. In Gallaecia Svevorum *Bracharensis.* In Carpentaria Alanorum *Toletanus.* Post expulsis Vandalis, et Svevis, solus Toletanus primatum totius Hispaniae coepit, quem agnoverunt Patres in synodo Poletana anno 610., et in alia Toletana XII. anno 681. (4). Tum firmarunt Romani Pontifices Urbanus II., Innocentius III., et Martinus V. (5).

XIII. In Sicilia Arcadius primus in Oriente Romanorum Imperator privilegium civitati Messanensi concessit anno 407., ut ea ipsa civitas in magna Graecia, et Sicilia fieret protometropolis (6). Tum Roge-

(1) Benedict. Bacchin. *in dissert. de ecclesiast. hierarch. origin.* Plura quidem sunt, quae Milanensem Episcopum metropolitica dignitate diu nudatum indicant. Mirocles Episcopus Mediolani ad Romanam provincialem synodum a Melchiade indictam sub initio IV. saeculi adiit, uti tradit Optatus Milevit. *lib. 2. cont. Parmen.* E contrario nulla provincialis synodus unquam ante Constantini tempora a Mediolanensi Praesule convocata ostenditur.

Divi Ambrosii ordinatio consummata est a Simpliciano, apostolico Legato S. Damasi Papae, quem ideo divus Augustinus *Patrem in accipienda gratia tunc Episcopi Ambrosii* scite nuncupavit *lib. 8. confess. cap. 2.* Hanc quidem rem reticuit, at non exclusit Theodoretus *lib. 4. hist. cap. 7.*, enarrans electionem eius in Episcopum *una populi acclamatione, et praecepto Imp.* factam. Nil itaque officit reticentia Theodoreti Romano Primatui super Mediolani provincia. Gelasius I, *epist. 13.* prope finem saeculi V., Acacii Constantinop. Patriarchae superbiam irrisit, quod is Primatum in Ecclesia sibi daret ex throno imperiali in ea urbe sito: cum id antea nunquam petivissent Ravennates, Mediolanenses, Syrmienses. Trevirenses Episcopi, quanquam eorum in urbibus dudum consedissent Imperatores. *Numquid non apud Ravennam* (aiebat Gelasius), *apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus consedit Imp.* Et Pelagius I. saeculo V. rescripsit *Serius ergo indultum, ut ipsi se invicem Mediolanensis, et Aquileiensis ordinari Episcopi debuissent, quia longinquitate, vel difficultate itineris onerosum illis fuerat ab Apostolico ordinari* can. *pudenda XXIV. q. 7.*

(2) Carol. a S. Paullo *in Geographia sacra.*

(3) Dupin. *dissert. 1. de antiq. Eccles. disciplin. §. 10. per tot.*

(4) *Can. cum longe 25. dist. 63.* Ph. Ferrar. in *topograph. nova,* Casteion *lib. 1. Primat. tolet.* Ortiz *de templis Toleti.*

(5) Dupin. *loc. cit.*

(6) Id liquet ex Io. Christ. Lunig. *to. 4. codicis Italiae diplomatici sect. 2. diplom. 1.*

rius Siciliae Rex eidem civitati antiqua iura, aliasque prerogativas, et immunitates confirmavit anno 1129. (1).

XIV. Hoc in regno Neapolitano primatus dignitatem Ecclesiae Salernitanae saeculo X. concessam fert chronicon Cavense *anno 986. Amatus Episcopus Salernitanus factus est in sua Sede* Archiepiscopus, *et ipsi subditur* totus principatus *cum adsensu Papae Ioannis XV., et Principis, puta Ioannis de Lamberto* (2). Stephanus X. Alfano I. Salernitano Archiepiscopo IX. anno 1057. dies praescripsit, in quibus pallio archiepiscopali deberet in Missarum sollemniis uti, et facultatem nominandi, eligendi, et consecrandi decem Episcopos suffraganeos, Paestanum, Compsanum, Acheruntinum, Nolanum, Consentinum, Bisinianensem, Melphictanum, Policastrensem, Marsicanum, et Cassanum (3). Alexander II., dum Capuae fuit, vetera Ecclesiae Salernitanae privilegia litteris suis confirmavit (4). Urbanus II. in Urbe Salerni XIII. kal. Aug. indict. VI. anno 1099., ad petitionem Alfani Archiepiscopi Salernitani, et Ducis Rogerii, rationibus veterum Ecclesiae Salernitanae privilegiorum informatus eidem Alfano, et successoribus Archiepiscopis Salernitanis concessit *primatum* gerere supra *Compsanam, et Acheruntinam* Ecclesias, et earundem suffraganeos: quia olim metropoli Salernitanae subiectas noverat, urbemque Salerni *requiem sibi, ac portum* nonnunquam fuisse ait. Simul asseruit eas ipsas ambo Ecclesias pallii dignitatem ex privilegiorum auctoritate, nesciens qua ratione, praeteritis temporibus a Sede Apostolica meruisse: eisdemque archiepiscopalem honorem, ac nomen conservatum voluit. At quidquid subiectionis Primatibus persolvendum sacri canones constituunt, id Archiepiscopo Salernitano a Compsano, et Acheruntino persolvendum iussit: adiiciens, ut praesente etiam Romanae Sedis Legato in iis ipsis duabus Metropolitanis urbibus cum consilio semper Archiepiscopi Salernitani eligerentur Archiepiscopi, cum eiusque litteris, aut Nuntiis consecrandi ad Sedem Apostolicam dirigentur: iique ad electionem Archiepiscopi Salernitani vicissim advocarentur. Post consecrationem vero, vel pallium ab Apostolica Sede perceptum Archiepiscopo Salernitano tanquam Primati obedientiam promitterent, et exhiberent, salva tamen in omnibus secundum canonicas sanctiones Romanae Ecclesiae auctoritate.

XV. Capuanae item Ecclesiae dignitatem potius Primatis, quam solius Metropolitani fuisse collatam a Ioanne XIII. anno circiter 965.,

(1) Ex eiusdem Rugerii *dipl. 5.* apud Lunig *loc. cit.*

(2) Petrus de Salerno Cancellarius, et Girbertus archivarius in chronico sacri Montis SS. Trinitatis Cavensis. Praeterea ex monimentis in codice ms., seu platea Ecclesiae Salernitanae collectis anno 1714., fertur post triginta duos Episcopos Salernitanos Amatus I. Archiepiscopus privilegio Benedicti VII. anno 977., quem collaudat bulla Ioannis XV. ad Grimaldum Archiep. Salern. data anno 985.

(3) Ex eodem ms. codice Ecclesiae Salernitanae Lud. A. Muratorius *to. 1. antiqu. Ital. diss. 5. col. 219.*, *et seq.* de Salerni archiepiscopatu loquens *Alphanus primus omnium*, ait, *adeptus est dignitatem archiepiscopalem anno circiter 1080., ut liquet ex diplomatibus Rogerii Apuliae, et Calabriae Ducis.* At vero antiquiorem huius dignitatis accessionem ostendunt iam dicta monimenta. — (4) Ibidem.

qui *Ioannem* Pandulphi Principis Capuae germanum *consecravit in aula Archiepiscopum pro universo principatu*, sunt qui adstruunt ex breve chronico Comitum Capuae (1). At Metropolitae desiderantur, qui tunc temporis Capuano Primati subessent.

XVI. Si quis alius Antistitum alicubi in maritimis huius regni provinciis dignitatem, honoremque Primatis obtinuit, videlicet Primas Salentinorum Hydruntinus Archiepiscopus, vel Rhegiensis protocathedra, ipsam ii putantur non ab Apostolica Sede Romana, sed a schismatico throno Constantinopolis accepisse, non metropolitica maiorem, sed aequalem.

TIT. XVI.

De Metropolitanis et Archiepiscopis.

I. Archiepiscopi vox Patriarchas quoque generatim, Metropolitanos speciatim significat.

II. Provinciarum in Ecclesia divisio videtur ab Apostolis processisse.

III. Nam canonibus vulgo Apostolorum plane constitutum est, ut primatum inter se colerent Episcopi, mox apertius explicita iura Primatum, et Metropolitarum.

IV. Nicoena synodus inductas iam parochiarum, dioecesumque divisiones, et consueta Metropolitarum iura firmavit.

V. Unus totius Italiae Metropolitanus Papa maluit saeculo ab inde X. suam aliis Episcopis metropoliticam dignitatem conferre.

VI. Romana provincia olim amplior, nunc inter Capuanam, et Pisanam consistit, complectens praeterea Praesules Apostolicae Sedi subiectos immediate.

VII. Ultra Capuam ei subsunt Episcopi quinque, citra vero Archiepiscopi tres suffraganeis carentes. XVIII. Episcopi S. Sedi immediate subiecti, multique abbates nullius dioecesis.

VIII. Saeculo VII. Patriarcha Constantinopolitanus nonnullis huius regni Episcopis dignitatem archiepiscopalem, saeculo X. Pontifex Romanus coepit eam pluribus aliis conferre.

IX. Nunc tredecim metropoles archiepiscopales liberae collationis pontificiae numerantur.

X. Aliae octo ad regiam pertinent nominationem.

XI. Siciliae regnum tres habet metropoles.

XII. Iura Metropolitarum alia sunt honoris, alia potestatis.

XIII. Priscis canonibus potestas Archiepiscoporum orientalis Ecclesiae erat amplior.

(1) Chronicon Comitum Capuae praefixum necrologio Capuani monasterii S. Benedicti Casinensium a Fr. M. Pratillo typis editum, notisque illustratum *to. 3. hist. Long. Cam. Pellegr.* §. 11. haec habet: *Cum Ioannes* (XII.) *apostolicus a Romanis nequiter fuisset expulsus, et Capuam se fugiens asylaret; Pandulph statim cum eo exercitum recollegit, et Romam indeptus est, suos aemulos coesus, et fugatus est. Propterea eius germanum Ioannem vir apostolicus* (scilicet Ioannes XIII. anno circiter 965., ut notat Pratillus) *consecravit in aula Archiepiscopum pro universo principatu.* Ex hisce verbis coniicit Pratillus Primatem totius nationis Longobardicae creatum, non Metropolitam simplicem.

I. Voces *Patriarchae*, et *Archiepiscopi* synonimas facit etymologia, usus distinguit. Olim sane patriarchalium Sedium Praesules in primis soli appellabantur *Archiepiscopi* (1). Post distinctionis gratia nomen hoc Metropolitanis datum, scilicet Praesulibus in unaquaque metropoli cuiusque provinciae capite residentibus, et suffraganeos sub se Episcopos habentibus: aliis praeterea nonnullis ad honorem duntaxat sine aliqua potestate metropolitica. Quid proinde maius Archiepiscopo nunc sonat metropolitanus.

II. Provinciarum in Ecclesia distributionem repetit Petrus de Marca (2) ex gestis Apostolorum, quorum ideo Princeps Petrus inscripsisse videtur canonicam epist. 1. *electis advenis dispersionis Ponti*, *Galatiae*, *Cappadociae*, *Asiae*, *et Bithyniae*, ut Christianos distingueret distinctis provinciis, et urbibus. Et quoniam Paullus ad Corinthios, simul ad Ephesios, eorumque Praesulem Timotheum, ad Colossenses, Thessalonicenses, et Titum totius Insulae Cretensis Antistitem dedit epistolas: coniicitur eo intendisse Apostolos, ut ex illis metropolibus ad subiectas cuiusque provinciae urbes propagaretur Evangelii fides, traditionesque apostolicae promulgarentur. Haec porro iuris metropolitici probabilem faciunt coniecturam, quae tamen Dupinio, ceteris haud paucis non arridet. Probabilem inquam coniecturam: ecqnis hac in re certum proferre novit? Pseudo-Isidorus finxit epistolam divi Clementis ad Iacobum fratrem Domini (3), ex eaque divum Petrum iussisse, ut in maximis urbibus, ubi primarii aethnicorum flamines erant, Patriarchae, Primatesque, praesiderent: in minoribus, ubi archiflamines, ponerentur Archiepiscopi; in ceteris singulis Episcopi. Ad longum errorem plures haec adduxit epistola. Sed rei veritas adhuc in antiquitate ultima latet: nec enim definiri potest liquido Apostolos ipsos instituisse provincias, et dioeceses: at falsum omnino est eas nonnisi IV. saeculo introductas.

III. Enimvero ab Ecclesiae moribus vetustissimis, quorum initium nescitur, dignitas Metropolitarum prodivit coaeva cum Patriarchis, et Primatibus. In canone vulgo Apostolorum 33. cautum, ut Episcopi quique agnoscerent eum, qui *in eis primus est*, et existiment *ut caput*. De Metropolitanis canonem hunc loquutum sensit Antiochena synodus *can. 9.*, et nemo nescius nunc est consuetudines nascentis Ecclesiae sensim inolitas contineri memoratis vulgo Apostolorum canonibus. Eodem sensu Patribus concilii Carthaginensis II. *can.* 12. placuit, ut inconsulto Primate cuiuslibet provinciae nemo praesumeret Episcopum ordinare. Et S. Leo M. (4) non convelli iussit *provincialium iura pri-*

(1) Saeculo IV. antiquius non est vocabulum *Archiepiscopi*, quod veteribus antehac incognitum primus usurpavit Meletius in *cathalogo ad Alexandrum* Alexandrinum dato apud S. Athanasium aiens. *Ioannes iussus ab Imperatore., ut una esset cum Archiepiscopo.* Tum SS. Damaso, Coelestino, et Leoni, et praecipuarum item metropolum Primatibus inditum, ostendunt scripta Patrum, et conciliorum acta, quae commemorat Dupin. *dissert. 1. de antiq. disciplin. §. 3.*

(2) P. de Marca *lib. 6. de concord. cap. 1. n. 3, et seqq.*

(3) Apud Gratianum *in can. in illis* 2. *dist.* 60. Videsis dicta superius *tit. 15.*

(4) S. Leo M. *epist, 53., alias 50. in edit. Quenel.*

matum, nec privilegiis antiquitus institutis *Metropolitanos* fraudari Antistites.

IV. Nicaenis canonibus, qui aperte provinciarum, et metropolum in Ecclesia consuetudinem proculdubio antiquiorem comprobarunt, factum est, ut singulae metropolum civilium in Oriente potissimum metropoles essent ecclesiasticae: adeo ut si quos Episcoporum incessisset ambitio dignitatis metropoliticae, studerent prius ab Imperatore metropolis honorem urbi suae ipsi obtinere, vel unius in duas provincias divisionem (1). Hinc turbae, contentionesque inter Episcopos de iure metropolitico manum consertos, quas tamen concilium Chalcedonense *act.* IV., non secundum leges, aut pragmaticas, sed secundum canones censuit examinandas. Idipsum, ne ecclesiastica provinciarum iura dissolverentur legibus Principum, scite rescripserunt Innocentius, S. Gregorius M., et Nicolaus I (2).

V. In Occidente Italiae urbes, et provincias omnes multo arctius Papae, quam ceteras adhaerentes sine propriis metropolitis diutissime constitisse iam indicatum superiori titulo est. Quos autem processu temporum interrupte quidem, sed saeculo X., et XI. frequentissime creavit Romana Sedes Apostolica, suam cum illis auctoritatem metropoliticam oportuit communicare; adeo ut quo plures facti Metropolitae in provinciis suburbicariis, eo angustiores conclusi Romanae provinciae sint fines. Salva tamen ei, et integra semper potestas, vel patriarchica, vel papali permansit. Cum nimis longum sit singulos Metropolitas persequi (3): sat erit post Romanum regnicolas nostros inspicere.

VI. *Romanam* provinciam saeculo XI. inter Capuanam, et Pisanam contineri dixit Innocentius III. (4), quae praeter septem episcopatus Cardinalium, sexaginta alios tunc recensebat suffraganeos nulli Archiepiscopo subiectos (5). Ex iis adempti postea sunt viginti, quos Metropolitis novis Florentino, Senensi, Urbinatensi, Firmano, ac Bononiensi

(1) S. Gregorius Nazian. *orat. 20.*, tradit divisionem provinciarum ecclesiasticarum ideo subsequutam, quia Valens Imperator odio Basilii Cappadociam duas in partes secuerat. Theodosius quoniam precibus Eustatii Berytensis Episcopi adductus Berytum fecerat, metropolim, media Tyri provincia Photio detracta est, de qua disputatum in concilio Chalcedonensi *act.* IV.; tum ei sententia iudicum, quos Marcianus dederat, restituta. Nicomediensis Episcopus ius metropoliticum recuperavit, postquam PP. Calcedonenses *act.* XIII. cognoverunt Nicomediam olim fuisse metropolim, quo in iudicio succubuit Nicaenus Episcopus. Quid plura? Eadem synodus Chalcedonensis *can. 17.* censuit diffinire. *Si qua civitas ab imperatoria auctoritate innovata fuerit, civiles, et publicas formas, ut ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.* Puta non ipso quidem facto, sed re ante perpensa ab Ecclesiae Patribus, deque ipsorum consensu, ac voto.

(2) Nicol. I. in *can. lege Imperatorum 1. dist. 10.*

(3) De quibus diffuse Ioseph Cantelius in *metropolit. urb. hist. civil., et ecclesiast.*, Carol. a S. Paullo in *geograph. sacra*, Leunclav. Bingham. ceteri. Tholosanus episcopatus in metropolim erectus a Ioanne XXII. in extravag. *execrabilis 4. de praebendis.*

(4) Innoc. in *cap. tua nobis de off. vicar.*

(5) Ex Cod. Vaticano apud Baron. *ad ann. 1057.*, alioque Thianeo apud Carol. a S. Paulo.

divisim dederunt Martinus V., Pius II., et IV., Xystus V., et Gregorius XIII. Attamen Romanam adhuc provinciam specialem terminant hinc *Capuana*, illinc *Pisana*. Suffraganeos autem introrsus ademptos supplent extrinsecus quum *Archiepiscopi suffraganeis carentes*, tum *Episcopi Sedi Apostolicae immediate subiecti, et Abbates nullius* dioecesis *iurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui alias sibi metropolitanum, cuius provinciali concilio interessent, ad formam Tridentini non elegerunt.* Quos singulatim omnes ad provinciale concilium Romanum Benedicti XIII. anno 1725. vocatos probant litterae indictionis, alias commemoratae (1).

VII. Inter huius provinciae principis suffraganeos in regno Neapolitano Capuam ultra siti sunt quinque, *Aquilanus, Sulmonensis*, (cui *Valvensis* Ecclesia unita est), *Civitaducalis, Terami, et Marsorum.* His adduntur tres Archiepiscopi suffraganeis orbati, *Rossanensis* (2), *Lancianensis* (3), *et Nazarenus.* Tum XVIII. simul Episcopi immediate Sedi Apostolicae subiecti, scilicet *Aquini, Aversae, Bisiniani, Caietae, Cassani, Caveae, S. Marci, Melphiae, Melphictae, Mileti, Monopolis, Montispelusii, Neriti, Pennarum, et Adriae, Scalae, et Ravelli, Sorae, Triventi, Troiae.* Permulti demum Abbates nullius dioecesis cum territorio separato, et ordinaria iurisdictione: in his *Casinensis, SS. Trinitatis* Caveae, *S. Spiritus* Morrona, *Montisvirginis, S. Laurentii* Chartusiae padularum, id genus alii (*).

VIII. Quod ad reliquas huius regni provincias, exploratissima res est, eas ipsas omnes non alium prioribus saeculis Metropolitanum habuisse, nisi Romanum Pontificem (4). Ineunte saeculo VII. Patriarcha Constantinopolitanus, dum Phoca Occidenti imperabat, titulum, honoremque Archiepiscopi dare coepit Praesulibus *Hydruntino, Bariensi, et Neapolitano* (5). Romani autem Pontifices eam rem novam animo ferentes acgerrimo, Praesules illos increpare, eorumque conatibus adversari non desiverunt (6). Tum ex *notitia dignitatum* utriusque Imperii eruitur

(1) *Tit. 6. huius lib. cap. 3. num.* 44.

(2) Abbas Fuldensis, et Ughellus *to. 9. Ital. Sacr.* Rossanum refert fuisse translatum Thurii, seu Terraenovae episcopatum. Huic Archiepiscopo suffraganeum olim fuisse Episcopum Cariatensem nonnulli putant, alii Bisinianensem. Neutra sententia satis liquet.

(3) Card. Petra ad constit. apostol. Honorii *unicam* incip. *charissimus to. 1. n. 23 pag. 471.*, Bened. XIV. de *Synod. dioeces. lib. 2. cap. 4. n. 3., et 4.*

(*) Videsis nostras additiones de nova Diocesium citra Pharum circumscriptione ad tit. XIX.

(4) Id fatetur etiam historiae civilis neapolitanae auctor *lib. 2. cap. 8.*, post Dupinium *de antiq. eccl. discipl. dissert. 1.* Idemque *lib. 3. cap. 6. §. 3.* scribit, quod Gothi, et Graeci sub ditione sua has provincias nostras usque ad Iustini II. imperium obtinuere, Papam solum dignitate metropolitica potitum in hisce ipsis regionibus fuisse. Atque a Cassiodoro *lib. 9. cap. 15.* fertur Atalaricus consuevisse Episcopos generatim titulo Patriarchae honoris gratia appellare, Papam vero Episcopum Patriarcharum.

(5) Paull. Warnefrid. Ughell. *de Episc. Hydrunt.*, Beatil. *hist. di Bari.*

(6) Bart. Chioccarell. *de Episc. Neap. ad an. 730.* Guilielmus Durandus observat civitatibus, quae provinciarum capita in hisce provinciis fuissent, olim *Duces* praefuisse, ceteris *Comites*: et inde factum, ut civitates ducales habuis-

tres metropoles olim hoc in regno Patriarchae Constantinopolitano paruisse, *Rhegiensem*, *S. Severinae* in Calabria, et *Hydruntinam* (1). I. Metropolitae *Rhegiensi* tunc temporis subdebantur tredecim Episcopi, scilicet *Bibonensis*, seu *Mileti*, *Rusiani*, *Amanteae*, *Nicoterensis*, *Cassani*, *Taurianae* seu *Cariati*, *Scylacii*, *Crotonae*, *Bisiniani*, *Locridis*, *Tropaei*, *Constantiae*, seu *Cosentiae*, *et Novocastrensis*. II. Metropolitae *S. Severinae* quinque, scilicet *Euryatensis*, nunc *Oyra*, *Aisylorum*, seu *Alexani*, *Acerentinus*, *Castriveteris*, *Callipolitanus*. His adiungitur a Miraeo Episcopus *S. Leonis* Graecus (2). III., *Hydruntinus* nullum primo suffraganeum, deinde sub imperio Nicephori Phocae anno circiter 968., Episcopos *Acherontiae*, *Turcici*, *Gravinae*, *Materae*, *et Tricarici* sub se habuit, si fides Luitprando habenda est (3), itemque *Leucensem* Episcopum ex Miraeo. Addit Nilus Ecclesias *Brundusii*, *et Tarenti* a Constantinopolitano sacerdotes accepisse. *Neapolitanum* Archiepiscopum titulo tenus sine suffraganeis primum, deinde *Cumano* episcopatui praesedisse refert Miraeus (4). Atque Archiepiscopo *Beneventano* subiectos fuisse Episcopos *Montiscorvini*, *Turribinensem*, *Draconariensem*, *Florentinum*, *Civitatensem*, *et Frequentinum*. Ab historicis nostris fertur Petrus Bariensis Episcopus anno 530., sub pontificatu Felicis IV., dignitatem Archiepiscopi, et Metropolitae super duodecim Apuliae Episcopis accepisse a Patriarcha Constantinopolitano (5). Mox ipsam ab eodem alii adepti fuere, Praesules nimirum Barii, Canusiae, Brundusii, Hydrunti, Tarenti, S. Severinae, et Rhegii in Apulia, et Calabria, Lucania, et Brutiis (6)! Eas Ecclesias a schismatici

sent Metropolitanos Archiepiscopos. Et quoniam sub B. Gregorio X. Dux Neapoli praeereat, et duodecim civitatibus Pompeii, Herculani, Acerrae, Nolae, Puteolis, Cumae, Miseno, Baiae, Isclae, ceteris: inde arguunt nonnulli etiam illo ex tempore auctam dignitate metropolitica. At alii rectius tenent hanc dignitatem Neapoli concessam a Ioanne XIII. post Capuam, et Beneventum. Videsis Camill. Pellegrin. in *hist. Longobard. dissert. de Ducatu Beneventano* Eugen. Caracciolus *Neapoli sacra pag. 1*, et Chioccarell. *de Episc. Neap.* affirmant dignitatem metropoliticam Ecclesiae Neapolitanae revera accessisse temporibus multo posterioribus. Vulgatus Decretalium textus Gregorianus in *cap. 1. de statu monachorum* inscriptam exhibet epistolam S. Gregorii X. *Archiepiscopo Neapolis*, eamque Gonzalez curatius monet a S. Greg. rescriptam *Fortunato Episcopo neapolitano*, ex registro epistolarum ipsius, et prima Decretalium collectione. Pariter in eodem textu *cap. 1. de religiosis domibus* quum legatur *Gregorius Victori Archiepiscopo neapolitano* rescripsisse: mendosam eiusmodi inscriptionem ita corrigit cum Antonio Contio, et Ant. Augustino Emmanuel Gonzalez, ut pro *Archiepiscopo* reponat verbum genuinum *Episcopo*.

(1) Novell. Leonis Philosophi apud Leunclav. *to. 1. iur. Graec. Rom. lib. 2.* Leo Allac. *de Eccles. occiden., et orient. perp. consens.* Nilus *Doxopatrius de quinque thronis patriarchalibus ad Roger. Siciliae Reg.*

(2) Aubert. Miraeus *de episcopat. Patriarch. Constantinop. subiect.*

(3) Luitprand. in *legat. ad Nicephor. Phoc. pro Othon.* — (4) *Loc. cit.*

(5) Ex Ughellio de Episc. Bariens., et Beatillo *in hist. Bariens. pag. 9*, id refert auctor *hist. civ. Neap. lib. 3. cap. 6. §. 1.*, sua ex sententia addens idipsum tempore posteriori factum, propterea quod eo anno 530. nondum graeci hasce provincias invaserant, quibus tunc dominabatur Atalaricus Rex Gothorum.

(6) Idem auctor *hist. civ. lib. 2. cap. 8.*

throni servitute omnino redemptas, subacto, extinctoque in his regionibus imperio Graecorum, reapse restituit pristinae Romani Pontificis obedientiae Rugerius I. Siciliae Comes, qui legati apostolici munus ab Urbano II. promeruit anno 1098. Sub ea fere tempora plures in duodecim profanis huius regni provinciis erectae ab Apostolica Sede metropoles, provinciaeque ecclesiasticae, quam praecedenti saeculo X., sunt, quo declinante erant iam institutae metropoles *Neapoli*, *Capuae*, *Beneventi*, *Salerni*, *et Amalphiae* (1). De antiquiore singularum institutione contendentes facile refelluntur exploratis historiae monimentis.

IX. Hodie viginti una sunt (2) metropoles archiepiscopales, quarum tredecim ad liberam Papae collationem attinent, reliquae octo ad regiam nominationem (*) Primae classis pontificiae sunt. I. Metropolis *Neapolitana* cum quatuor suffraganeis Acerrano, Nolano, Isclano, alias Pithecusano, et Puteolano, unoque exempto Aversano. II. *Capuana* cum octo suffraganeis, Calatiae, Caleni (vulgo Carinolae), Calium (alias Calvi), Casertae (seu Saticulae), Iserniae, Suessae, Theani, et Venafri, exemptisque tribus Aquinense, Caietano, et Sorano. III. *Beneventana* cum sexdecim suffraganeis Abellinensi, et Frequentino, Aliphae, Ariani, Asculi, Boiani (alias Boviani), Bovini, Guardiae Alferiae, Larini, Luceriae, Montismarani, S. Agathae Gothorum, S. Severi, Telesiae, Trivici, Termularum, et Vultuariae, unoque exempto Triventino (3). IV. *Amalphitana* cum quatuor suffraganeis Capritano, Litterensi, Minorensi, et Scalensi cum exempto Ravellensi. V. *Surrentina* cum tribus suffraganeis Castro-Stabiensi, Massa-Lubrensi, Vico-Equensi. VI. *Compsana* cum sex, Laquedonensi, Montisviridis, Murano, Satriani, S. Angeli Lombardorum, et Bisacien. VII. *Bariensis* cum octo suffraganeis, Bitetti, Bitunti, Conversani (seu Cupersani), Iuvenacii, Lavelli, Minervini, Poliniani, et Ruborum, exemptoque uno Melphictensi. VIII. *Consentina* in Calabria citeriori unum habet suffraganeum Martyranensem, exemptosque tres, Cassanensem, Miletensem, et S. Marci. IX, *S. Severiniana* in Calabria quinque suffraganeos Bellocastrensem

(1) Chioccarell. *de Episc., et Archiep. Neap. an. 962.* Chron. Casssinens. *lib. 2. cap. 9.* Io: B. de Tufo Episc. Acerr. *in hist. Relig. Clericor. Regular. cap. 107.*

(2) Ex Provinciale Romano Ecclesiar. catholicar. iussu Leonis X. edito an. 1514, et Pyrrho Corrado *in addit. ad prax. dispensat. apost.* de episcopatuum totius Orbis descriptione.

(*) Videsis nostras additiones ad Tit. XIX. de Episcoporum nominatione.

(3) Quod Vitalianus Pontifex post annum 656. Barbato Episcopo Beneventano univisset, et subiecisset Bibinum, Asculum, Larinum, Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Gargano, et Sipontinam, quae in magna iacebat inopia, refert Ughellius in *Ital. sacr. de Episc. Benevent.* Tum in chronico monasterii Beneventani apud Muratorium *lib. 1. antiqu. med. aevi dissert. 5.* fertur Papa Ioannes XIII. primum consecrasse Landulphum Archiepiscopum Beneventanum anno 970, ibique sic notat Muratorius: *In concilio Romano* metropolitana *dignitas ad* Beneventanam *primum accessit Ecclesiam, postquam iam Capuana ea praerogativa fuerat insignita: quidquid perperam in retractatione sua dicat nuperus eruditus criticus. Extat to. 9.* Concil. col. 1238. edit. Labbean. *epistola Ioannis XIII. Papae data Romae 7. kal. Iunii indict. 12.*

alias Chioniensem, Chariatensem cum Gerentiano, Insulanum, Strongylensem, et Umbriaticum. X. *Sipontina*, seu *Manfredoniensis* unum Vestanensem, exemptumque alterum Melphiensem. XI. *Theatina* suffraganeum unum Ortonensem cum Camplensi, et sex exemptos, Pennensem cum Adriensi, Aquilanum, Aprutinum (di Teramo), Civitatis Ducalis, Marsorum, Sulmonensem cum Valvensi (1). XII. Archiepiscopus *Nazarenus* sedem in Ecclesia S. M. Nazaret in suburbio Baruli assecutus episcopatum Montis Viridis administrat Compsani suffraganeum, et Cannensem Ecclesiam Bariensis olim suffraganeam (2). XIII. Tandem Archiepiscopus *Rossanensis* sine suffraganeis (3) vicinior est exempto Bisiniani Episcopo, nec non Graeci ritus Episcopo S. Benedicti in Ecclesia olim abbatiali eiusdem tituli a Clemente XII. instituto (4).

X. Alterius classis regiae metropoles. I, *Acheruntina cum Materana* quinque sub se habet suffraganeos, Anglonensem cum Tursiensi, Gravinensem, Potentinum, Tricaricensem, et Venusinum. II. *Brundusina* unum suffraganeum Ostunensem, exemptosque duos Monopolitanum et Neritonensem (*di Nardò*). III. *Hydruntina* quinque, Alexanensem, Castrensem, Gallipolitanum, Liciensem alias Aleciensem, Uxentinum. IV. *Rhegiensis* novem, Bovensem, Catacensem, Crotonensem, Hieraciensem, Neocastrensem, Nicoteranum, Oppidensem, Scyllaciensem, Tropeanum. V. *Tarentina* tres Castellanetae, Mutilensem (vulgo *Mottola*), et Uritanum vulgo *Oira*. VI. *Salernitana* octo, Acerni, Campaniae, Caputaquensem, Marsicinovi, Nuceriae Paganorum, Nusci, Policastri, et Sarni: exemptumque unum Cavensem. VII. *Tranensis* tres, Andriensem, Rapollensem, et Vigiliensem (*di Bisceglia*). VIII. tandem Archiepiscopo *Lancianensi* nullus est suffraganeus.

XI. Siciliae regnum tres habet metropoles ecclesiasticas. I, *Panormitanam* cum tribus Episcopis suffraganeis *Agrigentino*, *Muzariensi* alias *Augustano*, *et Melitensi*. II, *Montisrealis* cum duobus suffraganeis *Siracusano*, *et Cataniensi*. III, *Messanensem* cum tribus suffraganeis *Cephaludensi*, *Pactensi*, *et Liparensi*.

XII. Iura Metropolitarum vel *honorem*, vel *potestatem* spectant. *Ho-*

(1) Clemens VII. an. 1526. postulante Carolo V. Imp., et civibus Theatinis huic Ecclesiae dignitatem archiepiscopalem concessit, primumque in ea metropolitam creavit Felicem Trophimum Bononiensem, ex traditis a Hieronymo Nicolino in *hist. Teatina lib. 2.*

(2) Ex bulla Pauli III. die 3. Nov. 1534. apud Ughell. *to. 7.* Archiepiscopus hic Nazarenus ad servandam memoriam loci, in quo natus est Christus D. N. ex indulto Sedis Apostolicae ubique locorum ius habet deferendi crucem archiepiscopalem, et mozzettam, seu birrum episcopalis dignitatis, ex traditis a Card. de Luca *disc. 6. in adnot. ad S. Conc. Trid. num 5.*, *et disc. 20. de iurisdict.*

(3) Ex indulto Pii IV. an. 1562. apud Ughell. *eod. to. 7.*

(4) Videsis dicta inferius *lib. 2. tit. 10. num. 59.* Gregorius XIV. saeculo XV. iurgia inter Brundusinos, et Uritanos in dies exardescentia sedandi studio dissolvit earundem Ecclesiarum unionem, relictoque Brundusinae Sedi antiquo titulo archiescopatus, Uritanum Episcopum Tarentino metropolitae suffraganeum fore statuit, ex traditis a N. Alexandro in *hist. eccles. saec. XVI.* in vita Greg. XIV. *art. 23. num. 2.*

noris caussa crucem cum unica antenna, seu transverso ligno, ut a patriarchica differat, ante se iu quovis totius provinciae loco etiam exempto efferunt (1). Pontificalibus utuntur vestibus, populoque benedicunt (2). Pallio ornantur (3), et coram eis ob reverentiam suffraganei rochetum palliolo tectum gestant (4), et praecedunt Episcopis quum ordine, tum aetate senioribus (5). Vi *potestatis*. I. caussas omnes Episcoporum suffraganeorum quum civiles, tum criminales cognoscebant olim, definiebantque secundum antiquos canones (6), omnes ad ecclesiasticum forum totius provinciae pertinentes, nunc civiles duntaxat (7) in primo gradu. II., caussas item postquam Episcopus quisque, eiusque tribunal deciderit, in gradu appellationis diiudicat Metropolitanus (8). III. Punit exinde iudices suffraganeos in officio delinquen-

(1) Andr. Sausay *de ritu deferendi Crucem*, Gonzal. *in cap. 1. ut lit. pend.* ver. *deferre Crucem*. Crucis anteferendae usum ex publicarum supplicationum ritu antiquissimo profluxisse notat de Marca in *dissert. de Primatibus n. 129*: extensumque primum ad Legatos Hormisdae Papae in Graecia, quos ad urbem accedentes Crucibus antelatis exceptos sese, ipsi scripto tradiderunt *in commonitorio*. Anastasius in *vita Hadriani* enarrat Carolum M. Romam accedentem, *venerandis Crucibus*, sicut mos est ad Exarchum, seu Patricium suscipiendum, exceptum. Romualdo II. Guarnae Salernitano Archiepiscopo XIV. anno 116., qui tutelam egit pupilli Regis Guilielmi I. cognomine *Boni*, et utriusque Siciliae regnum administravit, eiusque successoribus Archiepiscopis Alexander III. ius deferendae Crucis ante se per civitatem, et parochiam largitus fertur ex monumentis Ecclesiae Salernitanae in antedictum Codicem relatis anno 1714.

(2) Ex Conc. Vienn. in *Clement. Archiepiscopo 2. de privileg. et const. 48.* Bened. XIV. incip. *exemplis*, edita die 19. Martii 1748. to. 2. Bullar. pag. 403., ubi de ritu impertiendi pontificalem benedictionem.

(3) *Cap. 1. de auctor, et usu pallii.*

(4) Ex Conc. Mediolanen. V. *tit. de Episcopis.*

(5) Ex *can. 33.* vulgo *Apostolorum*, ibi: *cuiusque gentis Episcopus oportet scire, quinam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodo pro capite.*

(6) Ex *d. can. 33.*, item *can. 36., et 73. vulgo Apostol.* quibus cautum, ut in synodo provinciali caussas Episcoporum referret, et synodi sententia componeret, definiretque Metropolitanus. Iustiniano Nov. 123. *cap. 21.* placuit Episcopos apud Metropolitam suum fore conveniendos. Et *cap. 8. eiusdem Nov.* cuius fragmentum est in *Auth. nullus Episcopus C. de Episc., et cler.* sanxit Imperator, quod *nullus Episcopus invitus ad civilem, vel militarem iudicem in qualibet caussa producatur, vel exhibeatur, nisi Princeps iubeat. Iudex autem, qui duci, vel exhiberi impetraverit, post cinguli privationem viginti libras auri Ecclesiae illi, cuius Episcopus est, persolvat.* Hocce fragmentum habet Gratianus in *can. nullus Episcopus 8. C. XI. qu. 1*: sed deminutum, et falso inscriptum *ep.* Bonifacii Papae ad Episcopos Galliae. S. Gregorius M. utrumque *cit. Nov. 123. cap. 8. et 21.* fragmentum inserit in *ep. 54.* ad Ioannem defensorem.

(7) Trident. *sess. 13. cap. 8., et sess. 24. cap. 5. de reform.* caussas Episcoporum criminales coram Summo Pontifice referri, ab eoque terminari constituit, earum processus nonnisi a pontificiis delegatis confici, reservata Papae sententia: et vix minores, levesque caussas eiusmodi synodo provinciae terminandas permisit. Quod vero ad civilia nihil Patres Tridentini videntur innovasse.

(8) Conc. Sardicense *can. 14., si quis presbyter, aut diaconus ab Episcopo suo fuisset electus, ei potestatem concedit provocandi ad Episcopum metropolis eiusdem provinciae: si autem Metropolitanus abfuerit, ad finitimum confugien-*

tes (1) : eosque cogit ad transmittenda acta iudicii, a quo provocatum sit, non originalia tamen, sed transumpta integra, nisi probabilis inciderit suspicio falsitatis, vel deminutionis (2). V. Inhibet iisdem, ne ad ulteriora pedem promoveant post interpositam appellationem (3). VI. Negligentiam quoque suffraganeorum supplet, et iustitiam, quam ab suo Episcopo ter frustra subditus flagitaverit, denegatam in primo etiam gradu administrat (4). VII. Vicarium capitularem, si neglexerit Capitulum intra octo dies eligere, deputat (5). VIII. Synodum provincialem quolibet triennio celebrare potest, ad eumque ut conveniant, cogere suffraganeos (6). IX. Dioeceses suffraganeorum, caussa in synodo provinciali ante cognita, et probata, visitare (7). X. Caussas,

di et rogandi, ut suum negotium accurate examinetur. Innocentius III. in *cap. pastoralis II. de offic. iudic. ordin.* metropoliticam in caussis appellationum auctoritatem comprobat. Benedictus XIV. autem abusus appellationum reformaturus, et querelas hinc suffraganeorum, hinc Metropolitarum mutuas restincturus, et querelas hinc suffraganeorum, hinc Metropolitarum mutuas restincturus saluberrimam edidit *const. 48.*, quae incipit *ad militantis*, die 30. Martii 1742, *de inhibitionibus concedendis, vel denegandis*, de qua commodius infra *lib. 3. tit. 17. num. 15., et seqq.* et *lib. 4. tit. 12. num. 17., et seqq.*

(1) *Cap. venerabili 32.*, *et cap. sacro 48. de sent. excom.* Conc. Lugdunense sub Inn. IV. in *cap. 1. eod. tit. in VI. cap. 1. de off. Ordinarii*, *et cap. quia pontificale 2. de offic. et pot. deleg. in VI.* ubi Alexander IV. edixit modum puniendi suffraganeos ab officio desciscentes, et contumaces, primum interdicto ab ingressu Ecclesiae, vel sacerdotalis ministerii, deinde suspensione ab officio, tandem graviori Ecclesiae censura, nisi aliter suaserit enormis contumaciae protervitas.

(2) Ex decreto S. Congreg. Episcopor. iussu Clem. VII. an. 1600. apud Steph. Quaranta Can. Neapol. in *Sum. Bullar.* ver. *Archiepiscopi auctoritas*, et M. A. Genuens. in *prax. Cur. arch. neap. cap. 88.*

(3) Praeterquam in casibus a Tridentino permissis, et a constitut. 48. Bened. XIV., paullo ante laudata *pag. 191.*

(4) Synodus VII. in *can. cum simus IX. qu. 3*, permittit Constantinopolitano, aliisque Metropolitis oeconomos in Ecclesiis suffraganeorum negligentium instituere, Concilium Lateranense III. sub Alex. III. *can. 9.*, Metropolitano dat facultatem disponendi de beneficiis vacantibus, dum ea intra sex menses conferre neglexerint Episcopi, aut Capitula Ecclesiarum provinciae. Consonat Innoc. III. in *cap. licet, et cap. dilecto de supplen. neglig. Praelator.* Innocentius III. in *cap. ad restituendum 8. de offic. ordin.*, et Innoc. IV. in *cap. 1. eod. tit. in VI.* auctoritatem Archiepiscopo indulgent corrigendi, absolvendique, quos Episcopus corrigere, aut absolvere neglexerit. Synodus Trid. *sess. 24. cap. 20. de ref.* iussit caussas ab Episcopo intra biennium non definitas Archiepiscopum ad se avocando quamprimum terminare. Ex Ritu 10. Cur. Arch. Neap. quoties constiterit de triplici iustitiae postulatione, quae Ordinario loci incassum facta sit, eadem Curia Neap. cognitionem causae in primo gradu consuevit inter suffraganeorum subditos assumere.

(5) Bonifacius VIII. in *cap. Ecclesiae de supplen. neglig. Praelator. in VI.* Trid. *sess. 24. cap. 16. de reform.* Olim cuiusque Sedis intra provinciam vacantis curam agebat Metropolitanus, uti ostendit Binghamus *to. 1. orig. lib. 2. cap. 10. §. 20.*

(6) Ex supradictis *tit. 6. cap. 3. num. 40.*

(7) Innocentius III. in *cap. cum. ex officii de praescriptionibus*, Innoc. IV. in *cap. Romana de censibus*, Trid. *sess. 24. de reform. cap. 3.*, cui inhaeret *const. inter plures 98. §. 18.*, Papae Bened. XIV. *to. 1. Bullar.*

quare ab residentia suffraganei abesse poterunt, adprobare (1). XI. Indulgentias per totam provinciam largiri (2). His exceptis articulis in suffraganeos nullam habet potestatem Archiepisoopus, licet ei sint metropolitana lege subiecti, uti rescripsit Innocentius III. ad Heliensem Episcopum (3). Nequit ideo invitum compellere suffraganeum ad suscipiendam cognitionem caussae in secundo gradu ad Metropolitanum ipsum delata: quemadmodum nec officiales fixos intra dioeceses suffraganeas habere, licet inibi valeat caussas obvenientes singulatim delegare (4).

XIII. Vetus Ecclesiae orientalis politia Metropolitanis ampliorem deferebat potestatem. Ordinabant enim Episcopos provinciae, eorum electiones synodico iudicio confirmabant (5), de qua suo inferius loco. Componebant cyclum paschalem quotannis, suffraganeos de eo certiores faciendo (6). Ordinem celebrandi divina officia, quem Metropolitani tenerent, omnes provinciae subditi observare debebant (7). Pravas consuetudines corrigebant (8). Haec tamen, aliaque id genus maiora negotia supremae Sedi Apostolicae sanioribus consiliis reservata modo sunt (9).

TIT. XVII.

De pallio archiepiscopali

I. Pontificalis potestas, et nomen Archiepiscopi pallio confertur.
II. Talaris olim vestis, nunc humeralis fascia lanea sex crucibus ornata ad pectus, et dorsum vergens vix scapulas circumdat.
III. Ipsius origo vetustissima verosimilius ex ornamentis Aaronicis, et

(1) Conc. Carthagin. III. *can. 38.* S. Greg. M. *ep. 8. lib. 7.* et Trid. *sess. 23. de reform. cap. 1.* Quod sane decretum constitutio *ad universae 19. de residentia Episcoporum §. primum*, praelaudati Bened. XIV. *to. 2. Bullar.* licet generatim confirmaverit: in eo tamen abrogasse videtur, quod sine Romani Pontificis licentia Episcopis abesse ab Ecclesiis suis non licere sanxerit.

(2) *Cap. nostro 15. de poenit., et remiss.*, ibique Gonzalez, et Cironius.

(3) *Cap. pastoralis 11. de offic. iudic. ordin.* Nam ex *can. 9.* Synodi Antiochenae *unumquemque Episcopum oportet habere suae dioecesis potestatem, et administrare pro unicuique conveniente regione, et totius regionis curam agere, quae suae urbi subest.*

(4) Conc. Lugdun. sub Inn. IV. in *cap. Romana 1. de off. Ord. in VI.*

(5) Conc. Nicen. *can. 4.*, *et 6.* Antiochenum *can. 191.*, *can. si Archiepiscopus dist. 63.*, *et cap. si Archiepiscopus de tempor. ordinat.*

(6) Nedum Patriarchae Alexandrino supputationem temporis celebrandi Pascha demandatam liquet ex S. Leonis M. *ep. 72.*, alias 70. ad Marcianum Imp., sed divo etiam Ambrosio in Mediolanensi provincia patet ex *ep.* 83 ipsius S. Archiepiscopi ad Episcopos per Aemiliam. Et Patribus Concilii Tolet.. IV. *can. 3.* placuit, *ut ante tres menses Epiphaniorum Metropolitani Sacerdotis litteris invicem se inquirant: ut communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christe, et comprovincialibus suis insinuent, et uno tempore celebrandam annuntient.*

(7) *Cap. ex frequentibus de institution.*

(8) Conc. Toletan. XI. *can. 3.*, Concil. Epaonense *can. 27.*, et Conc. Gerundense *can. 1.*

(9) De quibus dictum est supra *tit. 12. num. 14.*

coccinea Christi patientis chlamyde, quam aliunde accepta in aevo martyrum latet.

IV. Papa ex sese pallium sumit, ceteri omnes ab eo vel mediate, vel immediate accipiunt de Corpore B. Petri.

V. Quo signo appareant participes pontificalis potestatis ex uno B. Petri Corpore ad omnia membra particulatim effusae.

VI. Antequam vero illud reapse accipiant, fidelitatem, obedientiamque Romano Pontifici spondent solemni iuramento.

VII. Patriarchae nonnisi accepta ex B. Petri Corpore pallia tradunt Metropolitis sibi subiectis.

VIII. Tres intra menses post consecrationem peti pallium opertet in concistorio.

IX. Antequam acceperint Metropolitae pallium, non licet eis quum episcopalia, tum metropolitica munia obire.

X. Ubique, ac semper pallio Papa solus, ceteri intra suam quisque provinciam, et statis tantum diebus utuntur.

XI. Suum nemo pallium potest alteri commodare, nec moriens relinquere, nec secum ad aliam transiens Ecclesiam deferre.

XII. Ut Ostiensis Episcopus Cardinalis dum Papam consecrat, sic nonnulli Episcoporum speciali privilegio pallium aliquando adhibent.

I. Archiepiscoporum insigne ornamentum, quod de Corpore B. Petri sumitur, pastoralis officii plenitudinem denotans, id esse pallium definiunt Canonistae (1). *Eo* enim *pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur*, inquit Innocentius III. (2)

II. Talaris initio vestis fuit ad formam clamydis, totum ferme corpus ad talos usque contegens, quam nunc *cappam*, et *pluviale* vocitant (3). Postmodum successit *humerale*, quod Greci ὠμοφόριον appellant, candida lana contextum, quatuor digitos latum, scapulas desuper circumdans, cum duabus fasciis deorsum hinc ad pectus, hinc

(1) Archiepiscopalis dignitatis, *et plenitudinis officii pontificalis insigne*, finitur pallium ab Innocentio III. in *cap. antiqua 23. de privilegiis.* Pastoritiam pellem dixerunt illud Patres Synodi VI. *in ep. synodica ad Agathonem. Id enim amiculum* (inquit Isidorus Pelusiota *ep. 136.*), *quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat.* Isidorus *lib. 10. originum cap. 24*, pallium a *pellibus* dictum putat, quod veteres super indumenta pellicea illud inducrent. Tertullianus *lib. de pallio* graecam vocem origine docet, eiusque vocabulum, simul et usum a Graecis ad Latinos transivisse, inquiens: *Pallium etsi graecum magis, sed lingua iam penes Latium est, cum voce vestis intravit.* Sophranis *de re vestiaria* vocem *pallii* ab adverbio *palam* derivat, quod palam gestetur.

(2) *Cap. nisi de auctoritate, et usu pallii.*

(3) Zonaras *in vita Constantini Copronymi* enarrat Anastasium, dum insisteret vestigiis Germani Patriarchae, omopohorion eius pedibus calcasse, ut eius festinantis sisteret gradum. Acacii Patriarchae item Constantinopolitani pallium fuisse amplum, et talare, indicare videtur Liberatus *in Breviario cap. 18.*, dum narrat suspensam, adfixamque eius pallio ad sacra celebranda procedentis, chartam damnationis in eum a Felice II. prolatae.

ad dorsum vergentibus, sex habens cruces ex serico insertas nigri coloris, ante et retro, a dextris, et sinistris, atque in medio pendentis utriusque fasciae, quod in partes concisum tres aciculae, spinae ab aliis dictae, coniungunt (1).

III. Originem eius antiquissimam, incertamque alii a divo Petro (2), alii a sancto Lino (3), alii a suspecta Constantini donatione (4), et beneficio Imperatorum repetunt. Suum cuique pulchrum. Intuenti mihi tot opiniones studio partium in diversa abeuntes verosimilius videtur ornamenta formosiora Patriarchis, et Archiepiscopis ea detulisse consuetudo vetustissima, quae in latebrosis martyrum saeculis celatur, et in Ecclesiam Christi traduxisse tam ex splendidissimis Aaron, et filiorum eius vestimentis a Deo O. M. decretis, in quibus praecipuum fuisse *Rationale*, *et Superhumerale de auro*, *et hyacintho*, *et purpura*, *coccoque bis tincto*, *et bysso retorta*, *opere polymito*, *duas oras iunctas* habens *in utroque latere summitatum*, *ut in unum redeant*, *et in utroque latere Superhumeralis memoriale filiis Israel*, sacrae Litterae testantur (5) : quam ex clamyde coccinea, opprobrii veste, qua se circumdari aeternus Pontifex

(1) Quatuor Cruces purpureas eadem pallii forma intextas habet apud Innocentium III. *lib. 1. myster. miss. cap. 65.* Quam item delineant Anonymus auctor *rituum S. Ecclesiae Romanae lib. 1. sect. 10. c. 5*, Andreas Sausai *de mysticis Galiae scriptorib. cap. 3.*, Morinus de *sacr. ordin. in notis num. 19.*, Onufrius Panvinius *in explicatione vocum obscuriorum eccles.*, Butingerus *lib. singulari de veste pontificali.* In palliis huiusmodi construendis adhibetur potissimum lana agnorum sollemni ritu benedictorum in basilica S. Ioannis Lateranensis, quem ritum describit Nicolaus de Bralion in *diss. de pallio cap. 3.* — (2) Rupert. *lib. 1. de divinis offic. cap. 27.*

(3) S. Maximus *in hom. de vest. sacerdot.* Eusebius *in serm. de Epiphania.* Cironius in *parat. de auct. et usu pallii* refert opinionem de superhumerali *ephod* Praesulibus a S. Lino in signum auctoritatis pontificalis concesso, deque duplici *ephod* apud Anastasium Sinaitam, et Arnoldum Abb. Bonaevallis in *tract. de ult. verbis Domini.*

(4) In ea enim apud Grat. in *can. Constantinus 14. dist. 66.*, inter alia, quae divo Sylvestro largita per Constantinum effinxit pseudo-Isidorus, numeratur *superhumerale*, seu *lorum*, quod imperiale circumdare collum solet: *et chlamydem* purpuream, tunicamque coccineam, et omnia imperialia indumenta. Pallio sane coccineo, profanoque supremam, regiamque dignitatem conferre Imperatores consuevere. Commodus Imperator *ep. ad Clodium Albinum* apud Capitolin. *in Albino*: *ut tibi* (ait) *insigne aliquod imperialis dignitatis accedat*, *habebit utendi coccineo pallio facultatem*, *me praesente*, *et cum mecum fueris.* Secus de pallio sacro, quod morum iure non scripto assumpserunt Pontifices, et Patriarchae. Male igitur Petrus de Marca *lib. 6. de concord. cap. 6. num. 6.* ex supposititia Constantini donatione arguit Imperatorum beneficio tributum Patriarchis, et Archiepiscopis sacrum pallii ornamentum, uti quoddam imperatorii indumenti genus. Is enim ea in re nullimode ostendit alicuius Imperatoris catholici concessionem aut legem: forma vero, quum vetusta pallii talaris Crucibus undique sparsis effulgens, tum nova humeralis fasciae a chlamyde, ac torque Imperatorum omnino diversa discernitur.

(5) Exodi *cap. 28. vers. 4.*, *et seqq.* Alcuinus *in lib. de divinis officiis. Pro Rationali nunc Summi Pontifices*, *quos Archiepiscopos dicimus*, *pallio utuntur*, *quod a summa Sede Apostolica dante accipiunt.*

Christus sivit, et rex Iudaeorum simul salutari (1), praescius et vestis, et Crucis opprobria sua in decorem, gloriamque pontificalis dignitatis fore cessura. Hoc autem indubium est saeculo IV. Usum pallii in Oriente iam viguisse, uti commonstrant acta Metrophanis Patriarchae Constantinopolitani, qui ex morbo decumbens, rogante Constantino M. omophorion deposuit super sacram mensam, mandavitque illud servari successori suo Alexandro (2). Saeculo V. Isidorus Pelusiota presbyter, et monachus Ægyptius sacrum omophorion inter Missarum sollemnia usque ad Evangelii recitationem ab Archiepiscopo gestatum tradit; tum inde quasi adveniente Summo Pastore Christo depositum (3). De pallio Basiani Ephesini Metropolitae loquitur Concilium Chalcedonense *act. IX.* Antimum Constantinopolitanum, Paullum Alexandrinum (4) saeculo VI., Macarium Antiochenum monothelitam saeculo VII. (5), ceteros Patriarchas, et Metropolitas ademptione pallii depositos contestantur probatae fidei scriptores. Occidentalibus autem Ecclesiis aut anteriorem, aut certe coaevam fuisse puto consuetudiuem pallii, quam nonnulli nescio cur opinati sunt posteriorem.

IV. Romanus quidem Pontifex quod primus omnium, et solus initio pallium gestaverit, probat Polydorus Virgilius (6). Dum consecratur, sibi pallium imponit, nec ab Episcopo consecratore suo accipit unquam (7), tametsi prior diaconus de altari illud sumit, aptatque super Pontificis humeris famulari certe modo, non auctoritatis ministerio (8). Omnes autem alii Patriarchae, Primates, Metropolitani, et Archiepiscopi nonnisi post iteratas preces a Summo Pontifice accipiunt immediate, vel a Patriarchis, Legatisque apostolicis, praevio Papae mandato. Constantinopolis Patriarcham consuevisse adhuc saeculo X. pallium a Romano Pontifice obtinere, testatur Luitprandus (1). Eoque

(1) Matth. *cap. 27.*, Marci *cap. 15.* Ioan. 19.

(2) Metrophanis *acta in bibliotheca* Photii. Saeculo V. Macedonius invitus ab Imperatore Anastasio constitutus Patriarcha Constantinopolitano vale dicturus sibi ab archidiacono iussit adimi episcopale omophorion, Theodor. Lector *excerpta lib. 2.* Et Nicetas *in vita Ignatii Constant.* scribit eum iubente Photio nudatum omophorio a quodam Procopio subdiacono. Huc etiam spectat Acacii Constantinop. pallium supra memoratum ex *Breviario* Liberati *cap. 18.*

(3) Isid. Pelusiota *lib. 1. ep. 135.* — (4) Id. Liberat. *ibid. cap. 21, et 23.*

(5) Synodus VI. sub Agathone *act. 8. et ep. synodica* eiusdem ad Agathonem. — (4) *Lib. 4. de invent. rer. cap. 22.*, apud Gonzalez in *comm. ad cap. 1. de auct., et usu pallii.*

(6) Anonymus descriptor *elect. et consecrat. Paschalis II.* apud Baronium *ad an. 1100. n. 6. to. 12.*, scribit: *translato in se pallio, etc.*

(7) Anonymus alter auctor *rit. Eccl. Rom. lib. 1. sect. 10. de pallio.*

(8) *In legat. 2. Constantinop.* ad Nicephor. Phocam ab Othone I. demandata apud Baron. *ad an. 968. Scimus* (ait Luitprandus) *imo videmus Constantinop. Episcopum pallio non uti, nisi sancti Patris nostri permissu.* Cum vero Albericus in Urbe Roma tyrannidem exerceret, et Apostolicum Dominum (Ioannem XI. ipsius Alberici fratrem *an. 932.*) quasi servum proprium in conclavi teneret, Romanus Lecapenus Imp. filium suum Theophilactum eunuchum Patriarcham constituit, et muneribus apud Albericum effecit, ut ex Papae nomine Theophilacto Patriarchae litterae mitterentur, quarum auctoritate

magis alios maiores Patriarchas, et Metropolitas nedum occidentales, verum orientales quoque idipsum servasse arguitur, et solide comprobatur a divo Gregorio M. (1). Hanc ob rem *de Corpore B. Petri* solummodo *sumi* dicitur pallium: quia solus divi Petri successor pallia concedit, solemniori benedicta ritu in basilica S. Petri in Vaticano, in qua ad sacram ipsius Apostolorum Principis confessionem collocari per foramen anterius intra molem altaris super corpora SS. Petri, et Pauli consueverunt, unam ut ibi noctem in primis, deinde totam festivitatis octavam requiescerent, quae postmodum inde amota recondebantur in oratorio secretarii, nunc vero prope corpora SS. Apostolorum destinato in loco semper sistunt (2).

V. Signum profecto vicariae potestatis apostolicae, quae ad alios ab ipso tantum Supremo Pastore profluit, sicuti cum S. Cypriano commonui superius (3), est pallium: quippe quod *propter apostolicam vicem* (4) datur, et Vicariis Romanae Sedis prius, quam Galliae Metropolitanis concessum observat P. de Marca (5). Illud ideo simbo-

quum ipse, tum successores eius absque Paparum permissu pallio uterentur: ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarchae, sed etiam Episcopi totius Graeciae uterentur palliis.

(1) *Lib. 1. ep. 54. Apostolicae Sedis benevolentia* (inquit S. Gregorius) *et antiquae consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuae, quam in Ravenaati Ecclesia gubernationis officium suscepisse constat, pallii usum providimus concedendum.* Reges Galliae Archiepiscopis gallicanis saepe olim numero pallium ab Sede Romana expetiverunt, praesertim Carolus M. ab Hadriano I. pro Tilpino Rhemensi Archiepiscopo, et Ermemberto Bituricensi, Carolus Calvus a Nicolao I. pro Egilone Senonensi, et pro Vulfado Bituricensi idem Carolus, simulque Patres Synodi Tricassinae ab Hadriano II. Lotharius Imperator a Leone IV. pro Hincmaro Rhemensi, et pro huius successore Fulcone Carolus Crassus. Carolomannus a Ioanne VIII. pro Thomaro, ceteri apud N. Alexandrum *in hist. saec. IX. et 10. art. 2. de Metropolitanis n. 3.*, qui merito refellit P. de Marca gratis asserentem, falsoque opinantem Romanos Pontifices ideo studuisse ad Galliarum Episcopos mittere pallia, ut nova eos servitute, et obedientiae iuramento premeret. Explorata enim res est vel Regum commendatione, vel praeclaris meritis, vel iteratis postulationibus consuevisse Apostolicam Sedem pallia indulgere.

(2) Ex *const. 60.* Papae Benedicti XIV., incip. *rerum ecclesiasticarum, to. 2,* Bullar. *pag. 494*, qua mos traditur antiquissimus solemniter vigilandi, benedicendi, sistendique pallia supra Corpus divi Petri, ex Petro Mallio illius Basilicae Canonico sub Alex. III., Maphaeo Vegio sub Mart. V. *lib. 2. memorabil. Basilicae S. Petri*, Christoph. Marcello magistro caeremoniarum sub Leone X. *lib. 1. sect. 10. cap. 5.*, Mich. Lunigo *in descript. veteris ritus, et formae confessionis divi Petri* Urbano VIII. dicata.

(3) *Tit. 12. huius lib. num. 8.*

(4) Vigilius Papa saec. VI. *ep. ad Auxanium* Arelatensem Episcopum, *digna credimus* (ait) *ratione compleri*, ut agenti vices nostras *pallii non desit ornatus.* Paulo post Pelagius I. quum Vicarium Apostolicum creasset Sapaadum item Arelatensem, *ep.* ad eum data an. 557., pallium etiam ei transmittere scripsit, *ut in tanti loci fastigio constitutus praeclaro quoque habitu* decoraretur. Rabanus *lib. 1. de inst. clericor. cap. 23. Super haec omnia* (inquit) *Pontifici propter apostolicam vicem pallii honor decernitur.*

(5) P. de Marca *lib. 6. de concord. cap. 7.*

lum unitatis, perfectaeque cum Sede Apostolica communionis tessera dicitur meritissime (1).

VI. Ad unicam patriarchicae, et metropoliticae dignitatis originem indicandam singuli pallium accepturi antea Fidei professionem, et iuramentum fidelitatis, atque obedientiae Summo Pontifici debitae emittunt (2). Cuius formula pro varia temporum, et personarum conditione pluries novis declarationibus, et articulis immutata est (3).

VII. Inter maiorum Patriarcharum praerogativas memini iam recensuisse traditionem pallii Metropolitanis. Synodus enim VIII. antiquae inhaerens consuetudini cavit universos Metropolitas a Patriarchis suis confirmationem accipere *sive per manus impositionem*, *sive per pallii dationem* (4). Nil tamen id detrahit supremae Sedis Apostolicae auctoritati: nam nonnisi accepta ex B. Petri Corpore, scilicet a Romano Pontifice transmissa pallia dant Archiepiscopis sibi subiectis Patriarchae, vicesque pontificias sibi ea in re demandatas obeunt (5).

VIII. Petere pallium debet quisque in Archiepiscopum, vel Patriarcham ordinatus intra menses tres a consecratione computandos, aliter adepta dignitate carebit (6) : immo et flagitare *instanter*, *instantius*, et *instantissime* a Summo Pontifice in Concistorio Cardinalium personaliter, qui praesens in Urbe adsit, absens per procuratorem, qui iuramento spondet illud se reverenter delaturum, vel ut deferatur ei nominatim electo, curaturum (7). Papa vero in eodem Concistorio mandat illud concedi, postquam orthodoxae Fidei professionem emiserit electus (8). Quodque ipsum denique a primo diacono Cardinali praesens in Urbe electus absens ab aliquo Archiepiscopo, vel Episcopo, cui Papa delegaverit, accipit.

IX. Antequam pallio adaucti sint novi vel Patriarchae, vel Metropolitae, ii etiam post consecrationem episcopalem nequeunt munia, sive metropolitica, sive episcopalia obire: quum haec non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur (9).

X. Utitur pallio ubique locorum, cunctisque, diebus Papa solus. Aliis in partem sollicitudinis pontificalis, non in potestatis plenitudinem

(1) In precibus ad benedicenda pallia adhiberi consuetis, quarum formula extat in *fine cit. const. 60. Benedict. XIV.*

(2) Paschalis II. *in cap. significasti 4. de elect.* Panormitano Archiepiscopo id iusiurandum recusanti scripsit rationem dictare, iustitiamque postulare, ut qui insignia dignitatis archiepiscopalis a B. Petri tantum Corpore sumpserunt, Sedi Apostolicae signa debitae subiectionis promerent.

(3) Quinque talis iuramenti formulas adnotavit Fr. Florens *ad tit. de usu, et auct. pallii par. 4.* Primam ex *cap. 4. de iureiur.* Secundam ex gestis Innoc. III. Tertiam ex Parkero in *vita Henrici* Cantuariens. Archiep. sub Alex. VI. an. 1508. Quartam ex Pontificale Romano Clem. VIII. Quintam ex Andraea du Saussai *lib. de mystic. Gall. Scriptor. pag. 226.*, ubi de iuramento Archiepiscopi Parisiensis sub Gregorio XV.

(4) Synodus VIII. *can.* 17. — (5) Thomasin. *lib. 1. par. 3. cap. 24. num. 6.*

(6) *Can. quoniam 1. dist. 100*, et Io. VIII. in synodo Ravennensi an. 877. can. 1. — (7) Huius iuramenti formulam tradit *cit. const. 60.* Papae Benedicti XIV. — (8) In appendice *ad to. 2. cit. Bullar. num. 6., et 7.*

(9) Innoc. III. *in cap. quod sicut 24. de elect.*

vocatis facultas est eo utendi sollemnioribus duntaxat diebus (1) inter Missarum sollemnia (2) in quavis provinciae suae Ecclesia, extra illam secus (3).

XI. Commodari cuivis alteri alterius pallium nequit, nec transire ad successorem dignitatis, sed cum eo quisque sepelitur (4) : neque ab una ad alteram Sedem cum translato Archiepiscopo transferri, novum pallium rite accepturo, dum ad aliam transit Ecclesiam (5).

XII. Singulari privilegio Ostiensis Episcopus Cardinalis, dum Romanum Pontificem consecrat, pallio superinduitur, quod ei indulsisse Marcum S. Sylvestri successorem tradit Anastasius bibliothecarius. Innocentius III. (6) Quinquecclesiensem in Hungaria Episcopum, Summique Pontifices alii alios Episcopos speciali extra ordinem beneficentia pallio decorarunt.

TIT. XVIII.

De Episcopis (7)

I. Apostolorum Successores vere sunt Episcopi.

II. Hos a presbyteris nil differre Aerius haeresiarcha deliravit.

III. Prolata ab eo Scripturarum, Patrumque testimonia, quae ad communem Sacerdotii cum Episcopis potestatem spectant, nil adimunt Episcopis peculiarem confirmandi, et ordinandi potestatem.

IV. A Christo Apostoli non ad certas divisim Ecclesias missi, sed generatim ad mundum universum Episcopos ubique ordinarunt, et episcopales Ecclesias erexerunt.

V. In Ecclesiae incunabulis ferme promiscua fuisse, et indivisa videtur Episcoporum sollicitudo.

(1) Gl. in *cap. ad honorem 4. de auct., et usu pallii,* hos numerat dies ad rem hanc sollemniores: Nativitatem Domini, S. Ioannis, S. Stephani, Circumcisionem, Epiphaniam, Dominicam Palmarum, Feriam V. Coenae Domini, Sabatum Sanctum, Pentecostes, S. Io: Baptistae, SS. Apostolorum, tres festivitates B. Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae, Patroni principalis, dies Ordinationum clericorum, et Episcoporum, et anniversarium consecrationis suae. Ioannes VII. in synodo Ravennensi *can. 3.* item iussit, ne extra praecipuas festivitates, et Missarum solemnia pallium adhiberent Metropolitani. Verum medio circiter saeculo X. Agapetus II. Brunoni Archiepiscopo Coloniensi sanctitate conspicuo pallium misit cum insolito privilegio, quoties vellet, utendi, uti Rotgerus monachus tradit *in vita S. Brunonis cap. 23.*, apud Surium die 11. octobris. — (2) *Can. contra morem 8. dist, 100.*

(3) Clem. III. *in cap. cum super 1.*, *et* Innoc. III. *in cap. ad honorem 4. de auct., et usu pallii.* — (4) *Cap. ad hoc 2. eod. tit.*

(5) Innoc. III. *in cap. bonae memoriae 4. de postulat. Praelator.*

(6) *In cap. cum in iuventute 15. de praesumpt.*

(7) *Episcopi* graece, *speculatores* latine dicuntur a S. Isidoro *in can. cleros 1. dist. 21* : vel *superintendentes*, nam σκοπειν intendere significat. *Antistites* quoque, et *Praelati* vocitantur, quod ante omnes stant primi in Ecclesia, *cit. can. cleros.* Romani olim idolatrae *Episcopos* appellabant magistratus, qui rebus ad cibum, potumque pertinentibus intendebant, *l. munerum fin. D. de munerib., et honor. Episcopi* (inquit ibi Ictus) *qui praesunt pani, et ceteris venalibus rebus, quae civitatum populis quotidianum victum suggerunt.*

VI. Mox moribus paulatim, et canonibus instituta parochiarum, dioecesumque divisio.

VII. Tum Patres Sardicenses in magnis tantum urbibus Episcopos fore, in parvis presbyteros malverunt.

VIII. Varia inde multitudo, vel raritas civitatum in aliis regnis frequentiores Episcopos, in aliis rariores produxit.

IX. Regnum hoc Neapolitanum Sedes episcopales centum, et sex una cum metropolitanis nunc habet, quum aliae antiquiores vel suppressae omnino vel alio translatae, vel unitae cum aliis iamdudum sint.

X. Profugos ab urbibus captivis Episcopos Apostolica Sedes consuevit vacantibus catholicorum Ecclesiis praeficere, alios vacantes, ac peregrinos tueri cum lege postliminii, mox titulares eorundem Successores ordinare, ex quibus et Missionarii, et Legati, Nuntiique apostolici deliguntur.

XI. Ordinis episcopalis potestas a Christo profluens Episcopis tribuit primariam Sacramentorum administrationem, praesertim vero confirmationis, et Ordinis, adnexorumque sacramentalium.

XII. Altera iurisdictionis potestate Episcopi docent, iubent, iudicant, corrigunt, administrant.

XIII. Haec dividitur in spiritualem, spiritualibus adnexam, et temporalem, et rursus in ordinariam, et delegatam.

XIV. Potestatem iurisdictionis Episcopos a Christo immediate habere alii tenent ex pluribus S. Scripturae sententiis.

XV. Alii eos mediate per Papae organum obtinere ipsam contendunt iisdem ferme rationibus, quae Monarchiam, et Primatum in Petri Sede ostendunt.

XVI. Inter Episcopos ordine, ac dignitate pares antiquior ordine praecedit aliis, non ditior, vel illustrior.

XVII. Plurimas in Episcopo virtutes postulat onus ipsius gravissimum.

XVIII. Ad residentiam Episcopi obstringuntur iure divino, et humano.

XIX. Eis tamen indulgetur ex legitimis causis tres fere menses abesse quotannis, et quandoque amplius, donec causa publica postulaverit.

XX. Non residentes etiam Cardinales peccant graviter, fructus non faciunt suos, eosque debent in Ecclesiae utilitatem, vel pauperum erogare.

XXI. Visitare dioecesim quotannis debent, subditosque paterno more corrigere, appellatione, quae decreta suspendat, remota.

XXII. Personali visitationi subsunt omnes curam animarum, et Sacramenta administrantes, regulares etiam, et exempti. Locali autem omnes intra dioecesim Ecclesiae, iis exceptis, quae sub immediata Regis protectione sunt, et quod ad spiritualia tantum loca etiam pia laicalia.

XXIII. Sacrificia pro populo debent Episcopi offerre, diebusque festis adesse divinis in choro.

XXIV. Ecclesiae necessitatibus prospicere.

XXV. Tum pauperes eleemosynis alere.

XXVI. Episcopo vicissim debentur cathedraticum, expensae visitationis, subsidium charitatis, et quartae obventionum, decimarum, et funerum.

XXVII. Ius civile Episcopos eximit a patria potestate, ab oneribus, et foro laicorum, et multa eis Principes indulserunt.

XXVIII. Plura eis privilegia Ius Canonicum largitur.

XXIX. Solio pontificio adsistentes aliis quoque privilegiis fruuntur.

XXX. Peculiaribus vestimentis utuntur, eorumque usus indicitur.

I. In Apostolorum locum successisse Episcopos (1), quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (2), constans est orthodoxorum sententia. *Patres missi sunt Apostoli*, ait S. Augustinus (3), *pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paullum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua non vides, tibi crevit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Apostolico aevo Episcopos quandoque Apostolos (4), aliquando presbyteros promiscue appellatos in sacris litteris: tum Apostolatus nomen veris Apostolis relictum, episcopatus autem Successoribus Apostolorum duntaxat attributum, ut a presbyteris simplicibus distinguerentur, observant probissime Theodoretus (5), et S. Hieronymus (6).

II. Aerius presbyter primum arianae sectator, post novae haeresis auctor nullum omnino discrimen esse deliravit inter Episcopum, et presbyterum. *Est enim*, aiebat, *amborum unus ordo, par, et idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit et presbyter; baptizat Episcopus, idem facit, et presbyter: divinum omnem cultum administrat Episcopus, non minus id facit et presbyter: Episcopus in throno sedet, sedet et presbyter* (7). Furiosum in tanto errore Aerium sectati sunt Witcleffus, Calvinus, Salmasius, Blondellus, ceteri hetero-

(1) Trid. sess. 23. *de sacr. Ord. cap. 4.* id aperte docet. Sane apostolatum Iudae proditoris propheta David *episcopatum* appellavit *ps. 108. vers. 7.* in hebraeo *pecuda*, quod ab *inspiciendo*, *et visitando* deductum monet Bellarminus *ibidem*. Quum ergo praedixisset regius Psaltes: *episcopatum eius accipiat alter:* S. Petrus novum subrogaturus Apostolum in locum Iudae laqueo suspensi, hanc impleri Scripturam oportere ostendit. *Actor. cap. 1.*

(2) Actor. *cap. 20. vers. 28.* — (3) S. Aug. in *psal. 44.*

(4) Apostolus *ep. 1. ad Roman. cap. ult. vers. 7.*, Andronicum, et Iuniam cognatos, concaptivosque suos, et nobiles in Apostolis, qui ante fuerunt in Christo appellat. Vid. Euseb. *lib. 1. hist. cap. 12.* B. Hieronymus contra Luciferianos: *Quod autem*, ait, *exceptis duodecim quidam vocentur* Apostoli, *illud in caussa est, omnes, qui Dominum viderunt, et eum postea praedicaverunt, fuisse* Apostolos *appellatos: paulatim vero tempore procedente, et alii ab his, quos Dominus elegerat, ordinati sunt* Apostoli, *Epaphroditas, Silas, et Iudas* Apostoli *ab Apostolis nominati sunt.*

(5) Theodoret. *in comment. ad cap. 3. ep. 1. ad Timoth.*

(6) *In Comment. ep. ad Philippenses. Olim idem erat* (aiebat idem B. Hieronymus *in can. olim 5. dist. 65.*) *presbyter, qui et Episcopus; postea in toto orbe decretum est, ut unus superponeretur.* Hisce verbis respexit fortasse Doctor maximus ad *can. 6. Sardicensem*, de quo inferius *num. 7.* Hac tamen in re fide dignior est S. Cyprianus Chartaginensis Episcopus, qui *ep. 9. ad Clerum suum* data redarguit acriter quosdam presbyteros auctoritatem Episcopi sibi arrogare ausos in reconciliatione lapsorum, spreta Ecclesiae, et maiorum consuetudine. *Quod enim* (ait) *non periculum metuere debemus de* offensa Domini, *quando aliqui de* presbyteris *nec Evangelii, nec* loci sui *memores sed neque futurum Domini iudicium, neque nunc* sibi praepositum Episcopum *cogitantes, quod nunquam omnino sub antecesoribus factum est, cum contumelia, et contemptu* Praepositi *totum sibi vindicent?*

(7) Aerianam haeresim ita describit S. Epiphanius *haeres. 75.*

doxi. Multis abutuntur isti S. Scripturae locis. 1., quod Apostolus (1) Titum Cretensem Episcopum, et simul presbyteros ab eo ordinandos vocabulo presbyteri nuncupaverit. 2., quod idem Apostolus (2) Episcopos tantum, et diaconos unius Ecclesiae Philippensis memoraverit, praetermissis presbyteris. 3., quod episcopatus gratiam Timotheo (3) impositione manuum presbyterii datam dixerit. 4., quod qui bene praesunt presbyteri, duplici honore dignos iudicaverit (4) : praeesse autem magis Episcopi, quam presbyteri est. 5., quod divus Petrus (5) seniores obsecraverit, qui pascerent gregem Dei. 6., quod Ecclesiae Ephesinae (6) maiores natu plures uno, eodemque tempore a Spiritu Sancto positos Episcopos regere Ecclesiam Dei scriptum sit. Pluribus praeterea interpolatis, mutilisque testimoniis sanctorum Patrum Polycarpi, Ignatii, Iustini, Irenaei, Cypriani, Hilarii, Basilii, Hieronymi, Augustini, itidem Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Eusebii impudentissime contendunt nomine, ac re compresbyteros comministros, collegas, fratres Episcoporum fuisse presbyteros prioribus Ecclesiae saeculis, novellaque institutione distinctam a presbyterali episcopalem dignitatem.

III. His inquam locis, ac testimoniis abutuntur quam deformissime, quum verbis solum, et cavillis ludant coeci, et coecorum duces: dum totis viribus inaniter conantur evertere dogma Fidei adeo certum, adeo perspicuum, ut nihil supra. Enimvero laudata modo scripta Apostolorum, et acta nomen *presbyteri*, *senioris*, *maioris natu* promiscuum, et commune *Episcopis* perinde dederunt, ac generis nomen passim datur speciei, seu perinde, ac logici praedicatum subiecto adiungunt. Omnis profecto Episcopus est presbyter: secus contra, eadem si vertatur sententia ; non omnis presbyter est Episcopus. Ad singula ut respondeam : S. Pauli epistola ad Titum in primis luce clariorem ostendit episcopalem dignitatem supra presbyteros, quin et ordinandi, et constituendi per urbes presbyteros, quam Tito ipsi uti Episcopo Cretae relicto Apostolus contulisse scribit. Ad 2. ex Episcopis unius Ecclesiae Philippensis plurali numero ab Apostolo salutatis una cum diaconis sine ulla presbyterorum mentione, minime concluditur presbyteros ibi episcopali honore, ac nomine praeditos: quia quum Philippi urbs esset Macedoniae metropolis, et colonia Romanorum (7), ad plures per totam illam provinciam Episcopos verosimillime respexit Apostolus, vel ad duos saltem in ipsa metropoli constitutos diversi idiomatis, alterum graecum pro graecis, latinum alterum pro colonia latinorum. Nec presbyteris ea fortasse urbs necesse tunc habuit, quum nonnullis in locis Episcopum cum diacono eo saeculo stetisse tradat S. Epi-

(1) *Ep. ad Titum cap.* 1. — (2) *Ep. ad Philippen. cap. 1.*
(3) *Ep. 1. ad Timoth. cap. 4.* — (4) *Ep. 1. ad Timoth. cap. 5.*
(5) *Ep. 1. cap. 5.* — (6) *Actor. cap. 20. v. 17., et 28.*
(7) Constat ex Actis Apost. *cap. 15. vers. 12. Navigantes* (sunt sacri textus verba) *autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim, et inde Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas . colonia.* Tum *vers. 21. et 22. Hi homines . . . annunciant morem, quem non licet nobis suscipere, cum simus Romani.*

phanius (1). Ad 3. Titum impositione manuum presbyteri non simplicis, sed Episcopi ordinationis gratiam accepisse intelligunt interpretes (2) : quemadmodum et Timotheum Paullus ipse suarum impositione manuum ordinasse litteris mandavit (3). Ad 4. bene praeesse possunt utrique, et Episcopi, et presbyteri: hi tamen subordinate, limitateque, illi eminenter. Ad 5. pariter pascere partem gregis episcopalis datur presbyteris sub Episcoporum praesidentia. Ad 6. totam praedicationis divi Pauli historiam qui percurrerit in actis, facile intelliget plures per Asiam Episcopos ad Ephesinam Ecclesiam pertinuisse ab Apostolo commonitos : nec ideo esse cur confundant in actorum textu Aeriani cum presbyteris maiores natu Episcopos Ecclesiam Dei regentes. Denique Patres omnes unanimi consensione tradunt distinctos in hierarchia gradus Episcopi, et Presbyteri ex Apostolorum moribus: quorum sententias ab heterodoxis detortas, corruptasque ad lucem integrius revocatas potius adversari illis, quam favere commonstrat uberrime N. Alexander (4) post Petavium (5). Si vero quis dixerit *Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem*, anathemati obnoxius fit a Patribus Tridentinis (6).

IV. Apostolos Christus Dominus non ad certas regendum Ecclesias, sed ad mundum misit universum (6). Eorum tamen singuli ubique praedicare Evangelium quum nequivissent I. varias divisim regiones ipsi peragrarunt, in quibus Episcopos ordinavere cum potestate alios ordinandi (7), et Sedes episcopales constituerunt. Divi Petrus, et Paulus bis in Italiam uterque seiunctim appulere (8), plurimasque huius po-

(1) S. Epiphan. *loc. cit. haeresi 75.*
(2) Chrysostom. *hom. 13, in ep. 1. ad Thimoth.* et Theophilact. *ibidem.*
(3) *Ep. 2. ad Timoth. cap. 1. vers. 6.*
(4) N. Alexander *in hist. saec. IV. dissert. 44. adversus Aerium.*
(5) Petav. *in apologia S. Hieronymi.*—(6) *Sess. 23. de Sacram. Ord. cap. 4.*
(6) Marc. *cap. 16. vers. 16. Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.*
(7) Paulus Apostolus ad Titum Cretae Episcopum scribens *cap. 1. vers. 5. ea, quae desunt* (ait) *corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Chrysostomus *hom. in hanc epist. ad Titum. Episcopos*, inquit *hic intelligi vult, neque enim profecto vult Insulam totam uni viro permitti.*
(8) Petrus ipse sibi testis est Romae fuisse, dum sua epistola *1. cap. 5., salutat vos* (scripsit) *Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Hanc enim epistolam in urbe scriptam tradunt unanimes PP., in qua sub nomine Babylonis Roma significatur. Priori adventu suo Simonem magum deiecit, secundo autem permansit, quousque martyr occubuit. Divi Pauli priorem huc accessum traditio sola profert: posteriorem evidentissime demonstrat infallibile testimonium Lucae Actorum *cap. 28. vers. 12. Quum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde devenimus Rhegium. Et post unum diem flante austro, secundo die venimus Puteolos. Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam.* Hucusque textus sacer. Cachinnis hinc iure meritissimo excepti sunt Salmasius, et Ioannes Ovenus cum Wicleffo somniantes Apostolorum Principem Romam numquam advenisse.

tissimum Regni neapolitani provincias peragrare ipsi consueverunt (1), Episcopos permultis in urbibus ordinando. Praesertim Brundusii, Hydrunti, Tarenti (2), Barii, Trani, Uriae, Andriae, Cupersani (3), Siponti, Rhegii, Crotone, Neapoli, Puteolis, Capuae, Suessae, Atinae, Beneventi in caeteris interiacentibus urbibus. Vetusta enim traditio fert a divo ipso Petro datum Neapolitanis primum Episcopum S. Asprenum, Resinensibus prope Neapolim Ampellonem, Puteolanis S. Patrobam, Capuanis S. Priscum, Suessanis S. Simisium, Atinensibus S. Marcum, Beneventanis S. Photinum, ceteros, quorum nomina temporum iniuria interivere. A divo item Paulo in Peucetia, quae modo Calabria vocitatur, a Brundusio usque ad Tarentum patens, Fidem Evangelii annunciatam, et Episcopos inibi plures ordinatos ferunt: et praecipue S. Stephanum Nicaenum Rhegii, B. Svedam Locride, alios Hieracii, ceteros ignotos Taurianae, Metauri, Medanae, Vibonae, Veliae. A divo Marco Evangelista Aulalium in Ecclesia S. Marci, alias Argentani, et Amasianum Tarenti (4).

V. Prioribus nascentis Ecclesiae saeculis communem Episcopi sollicitudinem habebant informandi ad Fidem non modo suas, sed aliorum etiam Episcoporum Ecclesias. Sanctus Ignatius martyr Antiochenus Episcopus secundo ineunte saeculo multas dedit epistolas dogmaticas ad Ephesios, Magnesios, Trallienses, Romanos, Philadelphios, Smyrnaeos (5). Sanctus Polycarpus martyr Smyrnae a S. Ioanne Apostolo Episcopus institutus scripsit ad Philippenses (6): *Episcopatus unus est*, ait S. Cyprianus (7), *cuius pars a singulis in solidum tenetur*. Et rursus alibi (8): *episcopatus unus est*, idem Sanctus ait, *Episcoporum multorum concordi universitate diffusus*. Praelaudatus martyr Ignatius ad Philadelphios inter alia scripsit, eorum Episcopum *non*

(1) S. Epiphanius haer. 27. tradit, *SS. Petrum, et Paulum, postquam Romae sedem fixissent episcopalem, varias inde Orbis regiones peragrare solitos, et ne Romae deesset Episcopus, partes suas Lino, et Cleto demandasse.*

(2) Io: Iuvenis *de antiquit. et varia Tarentinorum fort. lib. 8. cap.* 1. et Ant. Galateus *lib. de situ Iapigiae*, apud Dominicum Iordanum in *delectu scriptorum rerum neapolitanarum.*

(3) Paulus Ant. de Tarsia *lib. 3. histor. Cupersanen.* apud cit. Iordanum tradit a B. Petro per Apuliam transeunte Cupersanum, et Christi Fidem, et Episcopum accepisse.

(4) Videndi ad id Ughellius *in Italia sacra*, P. Io: Fiore Capuccinus *tom. 2. della Calabria illustrata*, Aubertus Miraeus in *notit. episcopat. Orbis Christiani*, Philipp. Ferrarius in *cathalogo Sanctorum Italiae*, Petr. de Natalibus in *cathalogo*, B. Chioccarell. *de Episcop. et Archiep. Neap.*

(5) Eas genuinas probat contra Dallaeum N. Alex. *hist. saec. 1. dissert. 23.*

(6) De S. Polycarpi epistola meminere S. Irenaeus *lib. 3. adversus haereses cap. 3.* et S. Hieronymus *in cathalogo Scriptor. eccles.* B. Dionysii Areopagitae Atheniensis Episcopi epistolas ad Romanos, Lacedaemones, Athenienses, Nicomedienses, Smyrnaeos, Gnossios praetereo, non nescius acerrimae inter eruditos concertationis, veri ne foetus B. martyris sint, an spurii, qui ei inscripti sunt libri.

(7) *In can. loquitur Dominus* 18. C. 24. *qu.* 1., ex libro *de unit. Eccles.*

(8) Id. S. Cyprianus *ep.* 52., alias 55. *ad Antonianum.*

a se ipso, neque per homines ad eam dignitatem evectum esse, ut susciperet ministerium communis Ecclesiae. S. Alexander Patriarcha Alexandrinus *in epistola encyclica de ortu arianae haereseos* inquit: *quum in sacris literis sit unum corpus Ecclesiae catholicae nobis traditum, et praeceptum, ut concordiae, ac pacis vinculum firmum teneamus.* Eam ob rem plures catholicos qua diaconos, et presbyteros, qua Episcopos a B. Athanasio Alexandrino, et Eusebio Samosatensi ordinatos in Ecclesiis extra eorum dioeceses sitis, ibi ut Fidem orthodoxam custodirent contra Arianos earundem Episcopos in haeresim prolapsos, tradunt Socrates (1), et Theodoretus (2). Et S. Ephiphanius ad Ioannem hierosolymitanum scribens de Cypri provincia, *multi Episcopi communionis nostrae* ait, *presbyteros in nostra ordinaverunt provincia* (3).

VI. Moribus interea introducta sensim quum esset divisio parochiarum, dioecesum, provinciarumque episcopalium, factum est, ut intra suos quisque fines, subditosque potestatem contineret episcopalem, et iniuriam facere aliis putaretur, eam si ultra extenderet. Id inde iure scripto primum locali, tum generali cautum est. Concilium Eliberitanum in Hispania anno 305. *can.* XXIV. sancivit, ne baptizatus in una provincia ad ordines in alia promoveretur, quod eius vita alibi esset incognita. Post oecumenica synodus Nicaena iussit *can.* XV., XVI., et XVII. ut de civitate in civitatem ne transiret unquam vel Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, contraria omnino aboleta consuetudine: alias cogerentur ad suam redire Ecclesiam, et irrita esset cuiusque ordinatio sine sui Episcopi consensu. Hos contra canones agere nequaquam licuit, nisi quando urgens Ecclesiae necessitas, vel utilitas aliter suaderet (4).

VII. In magnis tantum urbibus stare Sedes episcopales constituit concilium Sardicense, quasi oecumenicum anno 347. *can. VI.*, ne in parvarum urbium, vicorumque Ecclesiis, quarum regimini sat est presbyter, vilesceret Episcopi nomen, et auctoritas (5). Tum S. Leo M., *episcopalia gubernacula*, inquit, *nonnisi maioribus populis, et frequen-*

(1) Socrates *lib. 2. hist. cap. 24.* — (2) Theodoretus *lib. 4. cap. 12.*

(3) S. Epiphan. to. 2. *ep.* ad Io. Ierosolymitanum *pag.* 315.

(4) Probatur idipsum *can.* 13. vulgo *Apostolorum*, quo cautum, *Episcopo qui parochiam suam dereliquit, alteri insilire nefas esse, licet a pluribus ad hoc compellatur: nisi rationabilis aliqua caussa subsit, quae hoc ipsum facere vi adigat.* Huc spectant exempla divi Athanasii, et Eusebii Samosatensis iam relata *num. 5.* Iis additur aliud divi Epiphanii Salaminae in Cypro Episcopi, qui quum Paulinianum B. Hieronymi fratrem in monasterio ad Palestinae dioecesim spectante ordinasset diaconum, et presbyterum, conquerenti ea de re Ioanni Episcopo Hierosolymitano, haec inter alia respondit: *etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, et nemo super alienam mensuram extenditur: tamen praeponitur omnibus charitas Christi, in qua nulla simulatio est; nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore, et quomodo, et in quibus, et quare factum sit.*

(5) Hunc canonem non ubique servatum, plurimosque Episcopos in parvis etiam vicis, nedum urbibus sedisse monet Binghamus *lib. 2. orig. cap. 12. §. 1.*

*

tioribus civitatibus praesidere oportet, ne honor , cui debent excellentiora committi, sui numerositate vilescat (1).

VIII. Civitates itaque in aliis regnis, et provinciis frequentiores, rariores in aliis caussa fuerunt , ut alicubi redundaret Episcoporum numerus, alibi deficeret. Sane in augustioribus Orientis, Ægypti, Asiae, Graeciae , Italiaeque provinciis immensam saeculo ab inde IV. fuisse Episcoporum multitudinem, patefaciunt subscriptiones conciliorum, sanctorumque patrum epistolae. Nam soli Constantinopolitano Patriarchae parebant octoginta Metropolitae, quorum nonnulli suffraganeos triginta, alii sub se plures quoque habebant. In Africa anno 411. numeratas 570. Sedes episcopales patet ex synodo Carthaginensi. Secus in Gallia, Hispania, et Germania, ubi pauciores ob civitatum raritatem fuere olim, et nunc etiam sunt Episcopi.

IX. Hoc in Regno neapolitano centum, et sex Episcopi, Archiepiscopis etiam connumeratis, nunc sunt, quorum singulas iam recensui Sedes, dum XX. Metropolitas cum eorum suffraganeis retuli (2). Quamplurimas alias in aliis quoque civitatibus constitisse episcopales cathedras commonstrant quum acta conciliorum, eorumque subscriptiones (3), tum divi Gregorii M. (4), aliorumque Pontificum epistolae (5) , cetera monimenta , quas saeculis sequioribus ob temporum iniurias , populorum flagitia , bellorumque clades Romani Pontifices vel omnino supprimere, vel alio transferre, vel cum aliis adhuc extantibes unire saepius *subiective* , quam *aeque principaliter* duxerunt. Quandoquidem ex septuaginta, et amplius episcopatibus iandiu suppressis (6) per unionem , uti coniicere licet , *subiectivam* , quorum nomina in antiquitatis ruderibus latent; vix sexdecim supersunt , quibus unio aeque principalis primaeva nomina , et iura servavit usquemodo. Scilicet Acheruntinus cum Materano , Tursianus cum Anglonensi , Adriensis cum Pennensi, Valvensis cum Sulmonensi, Montis Corvini cum Vulturariensi, Ravellensis cum Scalensi , Camplensis cum Ortonensi , Pontiscorvi cum Aquinatensi , Frequentinus cum Abellinensi , Bisaciensis cum S. Angelo Lombardorum, Satrianensis et Cacianensis cum Campano, Ra-

(1) S. Leo in *cap. episcopalia 1. de privilegiis.*

(2) Supra *tit. 16. num. 7. ad 9.*

(3) Nicaenae I. synodo subscripsit Marcus Calabriae Episcopus.

(4) S. Greg. M. *lib. 2. ep. 13* , ad Importunum Episcopum *Atellanum* scribit. *Lib. 3. ep.* 1. Paullum in Castello Lucullano Coepiscopum laudat. *Lib. 1. ep. 43.* scribens Foelici *Agropolitano* Episcopo , visitandas iniungit vacantes tunc Ecclesias *Velianam*, *Busentinam* , *et Blandanam* ei finitimas. *Lib. 5. ep. 9.*, Ecclesiam *Carinensem* Rhegiensi adnectit. *Lib. 1. ep. 39.* , Paullino scribit *Taurianensi* Episcopo. *Lib. 5. ep. 49.* Ruffo Episcopo *Vibonensi. Lib. 11. ep. 18.* Venantio item *Vibonensi* Episcopo.

(5) Pelagius I. Iuliano Episcopo *Grumentino* (nunc della Saponara) dedit epistolam , qua probat electionem diaconi *Grumentini* in Episcopum *Marcellianensis* Ecclesiae , *can. litteras 14. dist. 53.*

(6) Eos numerat Abbas Troyli *to. 4. dell'istoria di Napoli par. 1. pag. 416. et seqq.* De Cumano episcopatu cum Misenatensi , et Trium tabernarum cum Veliterno uniones confecit S. Gregorius M. *can. et temporis, et can. postquam XVI. qu. 1.*

pollensis cum Melphiensi, Gerentianus cum Cariatensi, Tabernensis cum Catacensi, Stilensis cum Squillacensi (1).

X. Dum Christianorum urbes iugo infidelium subactas cogebantur Episcopi derelinquere, nonnullos eorum aliis inter Christianos vacantibus Ecclesiis praeficere, et incardinare Sedes apostolica consuevit eo tamen pacto, ut ad priorem cessante captivitate Sedem redirent quasi iure postliminii (2). Qui vero aliam non obtinebant permanentem Sedem, dicebantur Episcopi *vacantes* (3). vel *peregrini* (4), vel *scoti* (5), istique titulum episcopatus amissae Sedis, civitatisque retinebant sine plebe, ac sine pastoralis muneris exercitio. Tum ne periret Ecclesiarum eiusmodi in partibus infidelium memoria, nec voluntas eas Deo propitio in libertatem vindicandi, Episcopi *titulares* ordinari coeperunt, et ordinantur in diem ab Ecclesia Romana, quae eos voto, non re Ecclesiis paganorum tyrannide oppressis praeficit; quemadmodum et quatuor Patriarchas titulares iam supra memoratos (6). Horum nihilominus alii reapse in longinqua mittuntur ad praedicandum infidelibus, et haereticis Evangelium cum facultatibus amplissimis, quos *missionarios* dicimus *apostolicos*, alii Nuntios, et Legatos apostolicos apud christianos Reges, resque publicas agunt, alii alia obeunt in Urbe, et per orbem munera, quae obire nec inferiores presbyteros decet, nec Episcopos residentiae obstrictos ablegari ad ea sinit publica Ecclesiarum utilitas. A titularibus quidem differunt *honorarii* Episcopi, quos honoris causa aliquando creatos sine ullo episcopatus titulo testantur Sozo-

(1) Io. XXII. in *extravag. Sedes Apostolica 1. de concess. praeb.* loquens de divisis, et noviter erectis cathedralibus Ecclesiis, et dioecesibus episcopalibus statuit, ut integer maneat singulis locis, vel unitis, vel divisis antiquus status beneficiorum, et iurium, et ante eam concessae gratiae, et collationes debitae executioni mandentur etiam post illas etc. Videsis dicta in *tract. de benefic. tit. 4.*

(2) S. Gregorius M. Ioanni Episcopo Scillatino, alias Squillacensi scribens, *propterea te*, ait, *Ioannem ab hostibus captivatae Lixitanae civitatis* (in Mauritania) *Episcopum in Scillatina Ecclesia Cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut susceptam semel animarum curam intuitu futura retributionis impleas: et licet a tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam, quae Pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare: ita tamen ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, et Domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, ad eam, in qua prius es ordinatus, Ecclesiam revertaris. Sin autem praedicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac, in qua a nobis incardinatus es, debes Ecclesia permanere.* Huc conferunt quoque superius dicta *tit. 13. de Cardinalibus num. 3, et ibidem in notis.* — (3) Ut in Conc. Antiocheno *cap. 16.*

(4) Communio hinc *peregrina* dicta est, quam alienae dioeceseos Episcopi, et clerici intra altaris cancellos sumebant ex conc. Nicaen. *can.* 8, Sardicen. *can. 14. et 15.* Constantinop. I. *can*, 2.

(5) Ex conc. Cabilonen. II. *can. 63.* Nam σκοτιος graece incertum, vagum, fugitivum apud latinos significat ex Cironio *observ. lib. 1. cap. 13.*

(6) Benedict. XIV. in litteris ad Cardinalem *delle Lanze* datis die 4. Aug. 1747, *to. 2. Bullar. const. 36.* §. *hinc sequitur: Sedes* (ait) *Apostolica iurisdictionem suam designandi Pastores in illis Ecclesiis dimittere noluit, nec ullo modo pati debuit, ut ipsarum memoria ne oblivione deleretur.*

menus (1), Nicephorus Callistus (2), et Christianus Lupus (3). B. Anselmus frequentissimas in Hibernia electiones Episcoporum sine certo episcopatus loco meritissime improbavit (4). In concilio Viennensi Clemens V. vehementer eos improbat Episcopos in Ecclesiis Clero, et populo christiano carentibus institutos, praesertim religiosos, *qui nec ut expediret prodesse, nec praeesse, ut deceret valentes, instabilitate vagationis, et mendicitatis opprobrio serenitatem pontificalis obnubilant dignitatis* (5). At Gersonius ab aequo, et recto declinat, dum vanum, et monstrosum in Ecclesia putat quemlibet episcopalem sine plebe statum, et inanem esse potestatem sine operatione (6). Quod Ecclesia tot tantisque illustribus exemplis, et canonibus probavit in usu Episcoporum titularium quam vetustissimo, id nec venum, nec monstrosum, sed utillimum, et probum sit oportet. Synodus autem Tridentina (7) eorum neque statum, neque numerum esse reformandum censuit: sed solum potestatis abusum, dum sanxit, ne titulares Episcopi Clero, et populo christiano carentes officia quaevis pontificalia in alterius dioecesi, nisi de expressa dioecesani licentia, exercerent, neque alienum subditum, praetextu etiam familiaritatis continuae in quovis loco exempto, aut nullius dioecesis ad Ordines sine Ordinarii consensu, litterisque dimissoriis promoverent. Benedictus XIV. in ea sententia semper fuit, *consentaneum valde esse, si* tituli in partibus *aliquando conferantur, nempe si iusta intercesserit causa, si non ambitioni serviant illius, qui solum Episcopi dignitatem expetit, omni negotio et animarum cura vacuam, et immunem; si denique Episcopus* in partibus *aliquam Ecclesiae Dei afferre possit utilitatem, et iis muneribus perfungi debeat, quae characterem episcopalem necessario requirunt, et quae ecclesiastico regimini prodesse maxime iudicantur* (8). A S. Pio V. sancitum in Concistorio fert Fagnanus, ut ti-

(1) Sozomen. *hist. eccl. lib. 6. cap. 34. Adde his* (inquit) *Bersen, et Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi non urbis alicuius, sed honoris caussa, qui veluti piae anteactae vitae compensatio in propriis monasteriis illis deferebatur: ad quem modum Lazarus quoque, de quo supra diximus, Episcopus fuit.* — (2) Niceph. *lib. 11. cap. 4.* — (3) Christ. Lup. *in can. 6. Concil. Chalcedon.* — (4) S. Anselm. *lib. 3. ep. 147.* — (5) Clementina *in plerisque 5. de electione.*

(6) Gerson. *in tr. de statibus eccles. consid. 8. de statu Praelat. Status episcopalis* (inquit) *licet esse possit in aliquo sine plebe, et sine usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum, et monstruosum in Ecclesia videretur: quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio.*

(7) *Sess. 14. cap. 2. de ref.* Card. Pallavicinus in *hist. conc. Trid. lib. 21. cap. 6. num. 12., et cap. 8. num. 2.* commonet visum Patribus Tridentinis satius corrigere corruptelas Episcoporum titularium, quam eos delere, ipsosque deinceps fore nonnisi ex legitima causa utilitatis, vel necessitatis Ecclesiae ordinandos. Concors in ea sententia fuit Petrus Alliacus in *tract. de necessitate reformationis in concilio universali cap. 12.*

(8) Bened. XIV. in *const. cum a nobis 36.* §. 1. *to. 2.* Bullarii sui, nimirum epistola decretali ad Carolum Victorium Amedeum diaconum Cardinalem *delle Lanze*, Regis Sardiniae Capellanum maiorem datas, qua declaravit non incongruum, neque absurdum in ecclesiastica hierarchia esse, ut S. R. E. Cardinalis diaconus, vel presbyter ad episcopatum titularem in partibus infidelium

tulares Episcopi ne ordinentur, neque suffraganei dentur, nisi cathedralibus Cardinalium Ecclesiis, quae ipsos habere consueverint, cum perpetuo certo stipendio ducentorum saltem ducatorum auri de Camera super earumdem Ecclesiarum fructibus auctoritate propria percipiendis; iique nullibi possint sine expressa licentia Sedis Apostolicae pontificalia exercere, nisi illis in dioecesibus, quarum ipsi iam suffraganei sint. Addit eos ipsos postea datos suffraganeos Episcopis etiam non Cardinalibus, auctamque ipsorum dotem ad tercentos ducatos auri de Camera ex decreto S. Congregationis rerum concistorialium (1).

XI. Duplicem habet Episcopus potestatem *ordinis*, et *iurisdictionis*: potestate *ordinis*, omnium Sacramentorum ordinarius, primariusque minister est Episcopus. Presbyteris etiam tradita quidem facultas est administrandi Baptismum, Poenitentiam, Eucharistiam, Extremam Unctionem, et Matrimonium, uti vel subordinatis, et inferioribus, vel extraordinariis ministris, de qua fusius in sequenti libro. Sacros tamen Ordines soli conferunt Episcopi, praeterea nemo (2); Episcopus idcirco solus foecunditatem habet, quia ut Patres Ecclesiae ipsimet alios Episcopos, et presbyteros generant: presbyteri autem sunt omnino infoecundi, inquam cum S. Epiphanio (3). Patet id ex antedictis *num.* II., et III. Sacramentum Confirmationis iure proprio, et vi characteris episcopalis administrat Episcopus: sacerdos autem nonnisi ex speciali pontificia delegatione (4). Ad eandem ordinis episcopalis potestatem spectant confectio Chrismatis, Oleique sancti, consecratio Ecclesiarum, altarium, sacrorumque lapidum (5), benedictiones calicum, et patenarum, sacrarumque vestium sacerdotalium (6); praeterea benedictio Abbatum, et Abbatissarum, Regum, Reginarumque (7), et sacrae vir-

promoveatur, munia episcopalia in susceptis legationibus, et officiis obiturus: quemadmodum Cardinalibus Isidoro, Bessarioni, ac Riario patriarchatum Constantinopolitanum contulerant Pius II, et Xystus IV., dein Cardinalem de Guevara Clemens VIII., titularem Episcopum Philippensem creaverat generalem in Hispania Inquisitorem.

(1) Fagnanus in *cap. episcopalia 1. de privilegiis num. 48.* Idemque *ibidem num. 44.* scribit Concilium Lateranense V. sub Leone X., *sess. 9. de Cardin. reform.* permisisse Cardinalibus, ut Episcopos titulares pro suffraganeis haberent suis in Ecclesiis: addens in pontificiis litteris, quibus titulares nunc Episcopi creantur, hanc adiici clausulam, *et suffragentur talibus, donec etc.* At nullum de titularibus Episcopis Cardinalium Episcoporum suffraganeis verbum apparet in eo decreto Lateranensi, quod ita conceptum habet Leo X. in *const. supernae 7. to. 1.* Bullarii §. *21. Volumus etiam, ut Ecclesiis eisdem*, quae nimirum Cardinalibus commendantur, *cathedralibus dignos, et idoneos* Vicarios, *seu* suffraganeos, *prout consuetudo fuerit, cum digna, et competenti mercede* apponant. Numquid quae Cardinalibus commendantur maiores Ecclesiae cathedrales, Episcopos eiusdem provinciae suffraganeos, vicinosque non habent, quorum opera, et ministerio probe utantur ad tempus, ut omnino titulares suffraganeos adscire sibi Cardinales cogantur?

(2) Trid. *sess. 23. can. 7. et cap. 4.*, gl. *in cap. quia periculosum de sent. excom. in VI.* — (3) S. Epiphan. *adversus Aerium haeresi 75. n. 4.*

(4) Videsis dicenda inferius *lib. 2. tit. 5. num. 29, et seq.*

(5) Synod. Chalced. *can. 4, in can. quidam 18. qu. 1. can. ministrare 26. q. 5.* — (6) *Cap. un.* §. *ungitur de sacra unctione, can. altaris, et can. nemo de consecr. dist. 1.* — (7) Ex *lib. Pontificale Episcoporum.*

ginum sanctimonialium velationes (4), tum sollemnis benedictio populi in Ecclesia (5). Reliquae item benedictiones sacerdotalium ornamentorum, sacrae supellectilis, Crucum, imaginum, campanarum, oratoriorum, coemeteriorum, Ecclesiarumque pollutarum reconciliationes, quae solent etiam presbyteris delegari. Istam ordinis potestatem in Episcopos a Christo Domino immediate profluere, concordi animo propugnant catholici contra haereticos (6).

XII. *Iurisdictionis* episcopalis munia summatim sunt quinque, scilicet docere, iubere, iudicare, corrigere, administrare. Ad I. docendi munus attinet nedum explicatio verbi Dei tam scripti, quam traditi, praesertim synodica: verum etiam praedicatio, quam nemo, nisi ab Episcopo missus, probatusve antea sit, obire potest (7), exceptis Parochis, quibus ad animarum curam semel probatis, perpetuum ius est concionandi. Per seipsos quidem Episcopi Evangelium praedicare tenentur: quum vero sunt legitime impediti, viros idoneos debent ad sanctae praedicationis officium adsumere (8), ac mittere ad singula dioecesis loca diebus, praesertim Quadragesimae, nisi maluerint gratis Parochi conciones habere. Eam ob rem Episcoporum Sedem in Ecclesia *cathedram* vetustissimo vocabulo appellant, quia ex illa docent; quemadmodum, et *thronum*, quia ex ea ipsa imperant (6). II., imperant quidem, et iubent, quoniam leges edictis temporaneas, synodis perpetuas ferunt de iis, quae populi mores, et sacrorum ministrorum officia, sacrosque ritus dirigunt (7). Idcirco dicti sunt *Principes Sacerdotum*, *Ecclesiae Praepositi*, et *Pontifices*, quibus obedire subiectos oportet (8). III., ad iudicandi quod attinet potestatem; ordinarii sunt ipsi iudices caussarum omnium ad forum Ecclesiae quomodolibet pertinentium (9) cum iure definiendi, vel per semetipsos, vel per alios quum

(1) *Can. perlectis dist. 24. can. quamvis dist. 68. can. 1., et 2. C. 26. qu. 6.* — (2) Ex Synodo Agathensi in cit. *can. ministrare C. 26. qu. 6.* — (3) Petavius *to. 4. de ecclesiast. hierarchia*, contra Salmasium, ceterosque.— (4) Trid. *sess. 5, cap. 2, et sess. 24. cap. 4. de ref.*

(5) Trident. *loc. cit.* In hoc regno ex nupero Regis rescripto an. 1744., cautum est, licere universitatibus locorum, quae eleemosynam concionatoribus praestare soleant, ties Episcopo dioecesano examinandos nominare ad ultimum usque Novembris diem, ex quibus unus Episcopo eligendus concionabitur in futura Quadragesima. Si quando autem negligat universitas intra praefinitum tempus nominationem, solius Episcopi arbitrium erit tunc eligere concionatorem ab eadem universitate consuetam laboris mercedem accepturum. Si tamen aere suo maluerit Episcopus honorarium solvere, concionatorem arbitratu suo deputabit sine ulla nominatione. Tum regio rescripto die 3. Oct. 1745. ad Curiam Capellani Maioris dato publicata fuit Benedicti XIV. const. *gravissimum* die 8. Sept. eiusdem anni edita pro sacris missionibus hoc in Regno peragendis.

(6) S. Epiphanius *haer. 7. num. 7.*, loquens de B. Iacobo hierosolymorum Episcopo: *primus ille* (ait) *episcopalem* cathedram *coepit, cui primo suum in terris thronum Dominus tradidit.*

(7) S. Cyprian. *ep. 76, alias 69.* ad Magnum: *statuit*, inquit, *quod putat unusquisque* Praepositus, *actus sui rationem Domino redditurus.*

(8) Ordo enim hierarchicus sine superiorum imperio, et obsequio subiectorum nequit consistere. S. Greg. M. *in can. ad hoc C. xvi. qu. 1.*

(9) De quibus uberrime *lib. 3. tit. de foro competenti, et seqq. tit.*

ordinarios, tum delegatos cognitores arbitratu suo delegendos (1); pro tribunali sedent in quovis dioecesis loco non exempto (2), et synodos concelebrant (3). IV., corrigendi potestate criminosos, et contumaces coercent censuris, poenisque canonicis, et poenitentiis salutaribus (4), ac poenitentibus vicissim reconciliationem, indulgentiamque largiuntur. V. ius denique administrandi versatur in ecclesiasticis proventibus, praebendis, dignitatibus, beneficiis, officiisque dispensandis, et conferendis (5), in Ecclesiarum, titulorumque erectione, unione, suppressione ac dispositione (6). Ut autem arbitraria Episcopi iurisdictione, eis in aedificationem data ne abuterentur in destructionem, eam canones qua vetusti, qua recentiores multis limitarunt modis, et censurae superiorum subegerunt.

XIII. Episcopalis iurisdictio triplex est, *spiritualis*, *spirituali adnexa*, et *temporalis*. A potestate clavium ortum ducit spiritualis, secus temporalis. Rursus vel *voluntaria*, vel *contentiosa* est. Prior extra dioecesim quocumque fere in loco potest exerceri (7) cum subditis suis, puta collatio beneficiorum, absolutio criminum, remissio censurarum, datio iudicum (8): Ordines tamen conferre extra dioecesim, nisi ac-

(1) De quibus dicam inferius *tit. de officio ordinarii, et de officio delegati.*

(2) Bonif. VIII. *in cap. cum Episcopus 7. de offic. ordin. in VI.*

(3) Quonam ritu synodi hoc in Regno promulgentur, regiumque placitum super iis nunc expediatur, iam superius dixi *tit. 6. cap. 4. num. 49.* Antiquam eiusmodi placiti concedendi formam inibi omissam liceat heic exhibere. Ioannes de Torres Archiep. Salernitanus die 8, et 9. Maii 1661., Alexandro VII. Pontifice, quum dioecesanam Synodum celebrasset, Paulus Sebastianus Archiepiscopi negotiorum gestor libello supplici petiit a Prorege licentiam typis eam vulgandi, Collaterale Consilium in primis rescripsit: *spectabilis Regens Iacobus Capicius Galeota Regens de supplicatis relationem faciat in Regio Coll. Consilio.* Tum die 10. Febr. 1662, *facta relatione S. E. in Regio Coll. Cons. de contentis in retroscripto memoriale per Spectab. Reg. Iacobum Capicium Galeota Commissarium Regalis Iurisdictionis, Illustriss. et Excellentiss. D, Vicerex, Locumtenens, et Capitaneus generalis providet, decernit, atque mandat, quod Synodus facta per Rev. in Christo Patrem Archiepiscopum Civitatis Salerni imprimatur, et in publicatione servetur regia Pragmatica. Hoc suum etc.* Fuit inde typis Io. Franc. Pacii vulgata Neapoli anno 1662., una cum eiusmodi rescriptis Regii Coll. Cons. ad calcem impressis.

(4) S. Pius V. in *const. muneris nostri 121. to. 2.* Bull. statuit, ut Episcopi utriusque Siciliae citra, et ultra Pharum quotannis inventarium actorum criminalium conficiant, et custodiant, quod suo obsignatum sigillo debent ipsi morientes Confessario suo concredere, caute servandum, donec novus advenerit Praesul.

(5) Conc. Aurelian. I. *in can. omnes basilicae 10. C. XVI. q. 7.*

(6) *Can. unaquaeque IX. qu. 3., can. regenda X. qu. 1., can. sanctorum dist. 70., et cap. sicut unire de excess. Praelator.*

(7) Quemadmodum civilis voluntaria iurisdictio extra tribunal de plano, extra territorium ubicumque etiam in transitu exercetur, uti manumissio, adoptio, emancipatio, *l. 2. D. de offic. Procons. l. apud Proconsulem, D. de manumiss. vindicta, l. ult. C. de emancipat.*

(8) *Cap. post electionem de concess. praeb., cap. qua fronte de appellat.* Gl. *in cap. novit. de offic. legat.*, Germon. *de indult. Cardinal.* §. *tibi quoad vixeris n. 78.*

cesserit permissio dioecesani, haud licet (1). Secus est in contentiosa, cuius extra tribunal proprium nullus est usus, et extra territorium suum cuique ius dicenti non paretur impune (2). Dividitur item iurisdictio in *ordinariam*, et *delegatam*. Hanc auctoritate Sedis Apostolicae, illam proprio iure Episcopi exercent.

XIV. Utrum iurisdictionis potestatem immediate a Christo Domino, an mediate per Papam habeant Episcopi, lis adhuc sub iudice est, diu multumque inter Patres Tridentinos agitata, minimeque dirempta (3). Priori sententiae favet Apostolus, dum ait (4): *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Huc conferunt alia sacrae Scripturae testimonia de auctoritate Apostolorum, Episcoporumque successione (5). S. Cyprianus (6) in eos scripsit, *qui non credebant Deo Episcopum constituenti.* S. Bernardus (7) ad Eugenium III., *erras*, inquit, *si ut summam, ita et solam institutam* a Deo *vestram apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait:* non est potestas, nisi a Deo... *idem ait:* Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. *Non ait sublimiori, tanquam in uno, sed sublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas a Domino, sunt et mediocres, sunt, et inferiores.*

XV. Posteriorem sententiam eae comprobant rationes, quibus Papae in Ecclesia primatus, et monarchicum regimen ostenditur (8). Cur enim Christus Dominus Petro soli claves tradidit, curamque pascendi agnos, et oves cunctas demandavit, nisi ut ceteri Ecclesiae Praesules, et Pastores ab ipso acciperent clavium potestatem, et ovilium regimen? *Soli Petro*, inquam cum divo Thoma (9), *promisit: tibi dabo claves regni caelorum: ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem.* Hinc Episcopi Africani (10) ad Theodorum Papam scribentes aperte pronunciarunt *apud Apostolicam Sedem consistere fontem, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum longissime irrigantes orbem.* Utra partium plus arriserit, ei quisque adhaereat.

(1) *Can. nullum IX. qu. 2. cap. si Episcopus 37. de praeb. in VI.*—(2) *L. 2. D. de iurisd. omn. iudicum.*

(3) Eam refert Card. Pallavicin. *in hist. Conc. Trid. lib. 17. cap. 14., et lib. 21. cap. 11. et 13.* — (4) Act. Apostol. *cap. 20. num. 28.*

(5) Superius expensa *tit. 12., num. 2, et hoc tit. num. 3.* — (6) S. Cyprian. *ep. 69.* — (7) S. Bern. *lib. 3. de considerat. cap. 4.*

(8) Supra *cit. tit. 12. num. 1. et seqq.*

(9) *Lib. 4. Gentes cap. 76.* Cum S. Thoma consentiunt S. Bonaventura in opusc. *Quare Fratres Minores praedicent to. 7. oper. pag. 366.* Card. Bellarm. *to. 1. controvers. lib. 4. de Roman. Pontific. cap. 24, et 25.*, Fagnanus *in cap. perniciosum de offic. ordin. num. 30., et seq.* Vargas in *tract. de iurisd. episc.*

(10) *To. 3. Concil. collect. Harduini col. 734.* Non desunt ipsorum aliquot responsa Pontificum. Innocentius I., ad Episcopos Carthagine congregatos rescribens, *scientes*, ait, *quid Apostolicae Sedi, quum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum Petrum, debeatur, a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit, ep. 24.* Iun. I. *to. 1. Conc.*

XVI. *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Thanis: eiusdem meriti, eiusdem est, et Sacerdotii. Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit,* inquam cum B. Hieronymo (1). Nullam propterea praerogativam dat cuilibet vel antiquior, vel ditior, vel illustrior Sedes, quum prior in tempore ad episcopalem promotus ordinem posteriori gradatim praecedat (2). Quae itaque sunt communia Episcopis *onera, iura, et privilegia*, mox delibare par est.

XVII. Onus Episcoporum angelicis humeris formidandum, Patribus visum est Tridentinis (3). *Oportet* enim, monente Apostolo (4), *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum* (5), *sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non turpis lucri cupidum.* Hasce qualitates explicat Gratianus (6). Benedictus XIV. die 3. Dec. 1740. epistola encyclica omnes hortatur Episcopos ad munia sua curatius obeunda (7).

XVIII. Residentia in primis, quam tot canones, tantaeque leges ecclesiasticae sanxerunt ab initio incumbit potissimum Episcopo cuilibet. Quo etenim pacto ministerium suum implere, oves agnoscere, et pascere poterit, qui suum derelinquit gregem, et mercenariis pascendum dimittit? *Qui per vicarium inservit, per vicarium remunerabitur*, inquit S. Bernardus (8). Divino ne, an humano iure ad residendum Ecclesiae Pastores teneantur, disceptatum diu est, non definitum a Tridentina synodo (9). Primaria generatim obligatio residendi videtur ex iure divino profecta. Si vero caussae ab assidua residentia excusantes, poenaeque contra non residentes sancitae spectentur, eam ad disciplinae mobilis capita referre oportebit.

XIX. Quatuor absentiae causae, quas legitimas comprobat Tridentinum, sunt *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae, Reive publicae utilitas.* Praeter has nullo debent pacto duos, aut ad summum tres absentiae menses quotannis

Harduin. fol. 1025. S. Leo M. ad Episc. Vienn. *ep. 89. Huius muneris sacramentum*, inquit, ita *Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, can. ita Dominus 7. dist. 19.* — (1) *In can. legimus 24. dist. 92.*

(2) Pius IV. *const. 24. to. 2.* Bullarii. Iac. Ant. Crusius *in tract. de praecedentia.* — (3) *Sess. 6. cap. 1. de reform.* — (4) *Ep.* ad Timoth. *cap. 3.*, *et* ad Titum *cap. 1.*

(5) *Quidam coacte interpretantur uxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis debere accipi*, ait S. Hieron. *ep. 53.* ad Oceanum *to. 2.* Apostolus enim sensu communi, et proprie locutus heic est, non mystico. At coelibatus Episcoporum, et sacerdotum unde, et quando emerserit, inferius edisserum *tit. 31. num. 16.*

(6) Gratian. *dist. 25.* usque ad *dist. 49.* — (7) Bened. XIV. *const. ubi primum 2., to. 1.* Bull. regio placito munita die 2. Martii 1741. — (8) Ab Hostiense laudatus in *cap. extirpanda de praebendis.* — (9) *Trid. sess. 6. cap. 1., et sess. 23. cap. 1. de reform.*

excedere, sine ullo gregis detrimento, et aequa ex causa, et extra festos dies Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi (1). Nonnullas alias his generalibus caussis contentas speciatim quoque probavit Sedes Apostolica, I. Urbanus VIII. (2) Episcopis recens in Urbe promotis spatium unius mensis, ut proprias adirent Ecclesias, indulsit, idque ad alios quadraginta dies causa cognita potest Cardinalis Vicarius prorogare ex decreto Romanae synodi sub Benedicto XIII. II. Apostolorum limina personaliter visitantibus, qui extra montes, et maria resideant, quatuor menses; ultramontanis, et ultramarinis menses septem idemmet Urbanus concessit. III. pro celebrandis synodis, et congregationibus, aliisque Reipublicae iniunctis muneribus obeundis tantum temporis spatium, quantum ea reapse duraverint. Exceptis hisce potioribus legitimae absentiae caussis una cum annuo trimestri, non licet unquam Episcopo, nisi expressam prius licentiam a Romano Pontifice obtinuerit, eamque Nuntio apostolico Neapoli commoranti exhibuerit, dioecesim derelinquere suam iusta etiam ex causa, sive *litis* Ecclesiae, aut Cleri, aut familiae, sive *infirmitatis*, vel *aeris non salubris*, sive *pro construendis processibus canonizationum Sanctorum*. Quodvis vero spatium vel constitutione Urbani VIII. concessum, vel peculiaribus Papae indultis concedendum tres conciliares menses fere complectitur. Utque fraus ne fiat concilio, qui trimestris beneficio non usus hoc anno sit, nequibit altero anno diutius, quam tres menses abesse a residentia, ex Bened. XIV. constitutione (3).

XX. Non residentes praeter mortalis peccati reatum, pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec posse tuta conscientia sibi eos detinere, omnimodis vel fabricae Ecclesiarum, vel pauperibus loci erogandos, Tridentina synodus decrevit (4), prohibens quamcunque de fructibus male perceptis conventionem. Eosque ut Papae denuncient Primates, Metropolitani, viciniores Episcopi, et Nuntius pontificius plus omnibus, cui debent licentiae ostendi pontificiae, inspecturo si quid obreptum, vel subreptum in illis fuerit, cautum est praelaudata Benedicti XIV. *constitutione* 18. His residentiae legibus obstringuntur etiam Cardinales S. R. E. qui ubi cum episcopatu suburbicario regendam acceperint aliam episcopalem, in hac, non in illo eos ad residendum teneri Urbanus VIII. declaravit (5).

XXI. Quum Episcoporum residentia non materialis, sed formalis esse debeat, alia eorum onerosa munia persequamur. Praecepto quoque divino debent oves suas ipsi agnoscere (6), ob idque visitare dioe-

(1) *Cit. sess. 23. cap. 1.*

(2) *In const. suncta synodus* edita die 12. Decem. 1634.

(3) Ex Bened. XIV. *const. ad universae 18. tom 1.* Bullarii. Cuius promulgationem hoc in Regno permisit regium rescriptum die 21. Novembris 1746. datum ad Curiam Capellani maioris.

(4) *Trid. cap. 1. sess. 23. de ref.* Iustiniano etiam placuit redditus Ecclesiae, non residentibus Episcopis, esse in usus pios, Ecclesiaeque utilitatem convertendos. *Nov. 6. cap. 2. et Nov. 67. cap. 3.*

(5) Videsis dicta superius *tit. 13. num. 26, et seq.* — (6) Trid. *cap. 1. sess. 23. de ref.*

cesim quotannis (1) per semetipsos, iisque impeditis, per Vicarium, aliosque visitatores (2), ut sanam doctrinam, expulsis erroribus diffundant, bonos mores tueantur, pravos corrigant. Verum non publico, et solemni iudicio, sed paterno sunt mores in visitatione reformandi, appellatione remota (3) quod ad effectum *suspensivum*. Scilicet executionem decretorum visitationis episcopalis appellatio non suspendit, quoties processus non legitime instruantur, nec servatis iudicii communis ritibus, nec defensionibus discussis sententia feratur (4): alias consuetam corrigendi foram si excesserint visitatores, locus erit appellationi, quod ad utrumque effectum, ut aiunt *devolutivum*, et *suspensivum* (5).

XXII. Alia *personalis*, alia *localis* est visitatio. Omnes ecclesiastici quum saeculares, tum regulares curam animarum exercentes in iis, quae ad eam ipsam, et Sacramentorum administrationem respiciunt, quantumvis exempti, effugere non valent *personalem* Episcopi visitationem (6). In Canonicos etiam cathedralium Ecclesiarum Episcopi visitatores animadvertunt, nullo etiam ex Canonicis ad iudicium adscito, quos sibi adiungere extra visitationem in causis Capitularium exemptorum fere debent (7). Ad *localem* quod spectat, cunctas Ecclesias intra dioecesim etiam exemptas, monasteria quoque commendata, abbatias, prioratus, praeposituras eas itidem, quae in nullius dioecesi esse dicuntur (8): quaecunque simul hospitalia, collegia, et confraternitates etiam laicorum (9) visitant Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicae, exceptis tantum iis, quae sub immediata Regum protectione sunt, ex decretis Tridentinis. At hoc in Regno ex novissimis Concordatis an. 1741. (10), quod ad spiritualia tantum permittitur Episcopis *extauritas*, *capellas*, cetera *loca pia* ab *laicis* gubernata visitare. Quaenam vero spiritualia hac in re sint, nec ne, quaeque subsint loca immediatae Regum protectioni, dicam infra opportunius (11). Maiorem interea Episcopi auctoritatem in visitatione, quam extra illam hinc videre pronum est (12).

(1) Trid. *sess. 24. cap. 3. de ref.* — (2) Eos Laodicaena synodus *can. 57.* appellavit *periodeutas*, seu circuitores, *to. 1. collect. Concil. circuitiones* ideo dictae sunt visitationes episcopales.

(3) Innoc. IV. *in cap. 1. §. sane de censibus*, Trid. *sess. 24. de reform. cap. 10.*

(4) Fagnan. *ad cap. dilectus de rescriptis num. 36.* refert S. Congregationem Concilii rescripsis e die 1. Febr. 1607., ut Episcopus Tornacensis in visitatione Collegiatae Ecclesiae contineret se intra limites notissimos visitationis, itaut nec ad specialem inquisitionem descenderet, nec processum conficeret, nec sententias ferret: sed in his, quae morum correctionem, et emendationem respiciunt, sine strepitu iudicii decerneret.

(5) Innoc. III. in Lateran. Concil. *in cap. irrefragabili 13. de offic. Ordinarii.* Videsis dicenda inferius *lib. 4. tit. 12. num. 12., et seq.*

(6) Videsis dicenda inferius *lib. 3. tit. 13. de exempt. Regular., et tit. 13. de foro exemptor. saecular. et nullius dioecesis.*

(7) Trid. *sess. 6. cap. 4. et sess. 25. cap. 6. de ref.*, et decrevit S. Congreg. Concil. apud Faguan. *in cap. ut iusta n. 38. de offic. ordin.*

(8) Idem *sess. 7. cap. 8., sess. 21. cap. 8., et 9. de ref.*

(9) Idem *sess. 22. cap. 8. de reform.* — (10) *Cap. 5. art. 1.*

(11) *Lib. 3. tit. 8. num. 22.*

(12) Consulendi ad id Crispinus Episcopus *de visitat. pastorali*, de Aste Ar-

XXIII. Sacrificia Missarum offerre pro populo suo debent singuli Episcopi, scilicet fructum medium applicare, quoties celebrant, uti pluries declaravit S. Congregatio Concilii. Dominicis autem diebus, festisque solemnibus interesse divinis in choro, nisi eos infirmitas domi detinuerit (1). *Omnis* enim *Pontifex*, inquit Apostolus (2), *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis . . . et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Et rursus: *omnis Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur* (3). Idemque ad Timotheum Episcopum scripsit *fieri* ab eo debere *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus* (4).

XXIV. Fabricam Ecclesiae cathedralis sartam tectam habere, et omnia ad ornatum sponsae suae necessaria suppeditare, nisi peculiares sint redditus ad ea conficienda pares (5). Sacri porro canones cum ecclesiasticas omnes obventiones distribui tres in partes constituissent, duas tamen portiones Ecclesiis, et pauperibus debitas non separarunt, sed eas Episcopis ipsis, et beneficiariis administrandas reliquerunt (6).

XXV. Pauperes eleemosynis alere: *si enim privatim, quae nobis sufficiunt, possidemus: non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*, ait S. Augustinus (7).

XXVI. Ad iura episcopalia pertinent in primis *cathedraticum*, seu *synodaticum*, in honorem cathedrae episcopalis ab omnibus Ecclesiis, et beneficiariis praestari consuetum non ultra duos aureos, *procuratio* visitanti Episcopo pro expensis cibariis eius, et famulatus, et equitatus extra urbem: *subsidium charitativum* in paupertatis Episcopi recens ordinati levamen: *canonica portio*, seu *quarta episcopalis* ex oblationibus et rebus, quae Ecclesiis relinquuntur, simul *quarta decimarum, et funerum*. de quibus omnibus in sequenti *libro* II. *parte secunda* commodius.

XXVII. Privilegia Episcopis multa indulsit Ius commune quum civile, tum canonicum. Illud eos habet exemptos a patria potestate, simul a servili, atque adscriptitia fortuna (8). *Qui enim omnium*

chiep. Hydrunt. *de methodo visitat. apostol.* P. Gaudentius de Ianua *de visitat. cuiuscumque Praelati to. 1. cap. 3.*

(1) Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* (2) *Ep.* ad hebraeos *cap. 5. vers. 1.*
(3) Ibidem *cap. 8. vers. 3.*—(4) *Ep.* 1. *ad Timoth. cap. 2. vers. 1., et seq.*
(5) Conc. Aurelian. I. in *can. Episcopus 5. de cons. dist. 3.*
(6) Id quod fusius explicui in *tract. de benefic. ecclesiast. cap. 1. num. 17., et seq.*
(7) *In can. quod autem nobis 3. C. XXIII. qu. 7.* Consonant Urbanus *in can. videntes 16. C. XII. qu. 1*, et synodus Martini Papae *in can. Episcopus habeat X. qu. 2.*
(8) *Nov. 81. cap. 3., et Nov. 123. cap. 4.*, unde sumpta est *Auth. episcopalis C. de Episc., et clericis.*

sunt spirituales patres, quomodo sub aliorum potestate consistant? ait Imperator. Ampliorem quoque antiquioremque iis ipsis, quam inferioribus ecclesiasticis personis exemptionem a foro laico, et immunitatem concessit (1). Plura insuper temporalia eis Principes pro conditione temporum indulserunt, videlicet iurisdictionem in causis profanis (2), feuda etiam cum vassallis, et dignitates saeculares, praesertim *Comitis* palatini (3), aliosque Baronum titulos. Ut Cassinensis ignotus chronographus scribit, Landulphus in universo Campaniae castaldatu *extitit suis civibus non solum* Episcopus, *sed et* Comes, *et iudex*, *non solum* Praesul, *verum etiam* castaldus, *neque tantum* Pontifex, *quin et velut* miles *super cunctos praeerat* (4). Plures ab Regibus Galliarum, et Imperatoribus Germanis Episcopos in Italia creatos palatii Comites, narrat Muratorius (5). Nimium huius dignitatis abusum saeculo XI. in Episcopis carpit (6). Archiepiscopus Teatinus hoc in regno nudum sine re titulum Comitis Teatini adhuc retinet ex ea nimirum dignitate, quam Episcopi decessores propiiis temporibus administrasse olim videntur (7).

XXVIII. Ius vero pontificium cavit Episcopos nullam Ecclesiae censuram ipso facto incurrere, nisi eos constitutio, vel sententia expresse memoraverit (8). 2. in loco interdicto posse excommunicatis,

(1) *Nov. 123 cap. 8.*, cuius fragmentum *in Auth. nullus Episcopus C. de Episc. et cler.* Videsis dicenda inferius *lib. 3. tit. 3.*

(2) De qua opportunius infra *lib. 3. tit. 3., et seq.*

(3) Hincmarus in *tract. de ordin., et offic. palatii cap. 21.* haec habet. *Comitis palatii inter cetera pene innumerabilia in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes legales causae, quae alibi ortae propter aequitatis iudicium palatium aggrediebantur, iuste, ac rationabiliter determinaret, seu perverse iudicata ad equitatis tramitem traduceret.* Carolus M. *in legib. Longobard. 43.* statuit, ut *nullus Comes palatii nostri potentiorum causas, sine nostra iussione finire praesumat: sed tantum* pauperum, *et minus potentium ad iustitias faciendas sciant sibi esse vacandum.*

(4) Ignotus Cassinensis *num. 32.* apud Camill. Pellegrin. *diss. 8.* de Ducatu Beneventano an in antiquas provincias tributus *pag. 310.* edit. Pratilli to. 5.

(5) Murator. *antiqu. Italar. diss. 7, et 71.*

(6) Gerous Praepositus Reicherspergensis *de corrupto Ecclesiae statu* apud Murator. *cit. dissert. 71.* prope fin. Audiant haec *Episcopi*, ait, *qui ultra, et contra iustitiam plerumque bella movent, officiumque* militis, et sacerdotis *in una persona confundunt.* Comitis, *et* Pontificis *dignitatem simul administrant. Esurimus, et sitimus hanc iustitiam, ut iudicia, et negotia spiritualia per spiritales, et saecularia per saeculares ita peragant, ne termini a Patribus constituti negligantur.*

(7) Teate urbs Marucinorum caput, dein Romanorum colonia Aprutina a Gothis incensa sub Alarico, a Narsete Iustiniani duce recuperata, ad Longobardos devenit sub Alboino, et Beneventi Duces. Hi marcam, castaldatum, comitatum Teate crearunt. A Pipino destructa, et Normannis refecta, qui suam ibi regiam sedem plerumque habuisse feruntur, Aragonenses caput provinciarum utriusque Aprutii citra, et ultra piscariae flumen cum regio auditorio eam posuere urbem. Tum anno 1642. alterum Aquila auditorium Aprutii ulterioris quum erexisset Dux Medinae coeli prorex, Teate Aprutii citerioris caput permansit. Videsis Hieronymum Nicolin. *in hist. Teatina.*

(8) Innoc. IV. in conc. Lugdun. *cap. quia periculosum 4. de sentent. excomm. in VI.*

interdictisque exclusis, clausis ianuis, suppressa voce, non pulsatis campanis, divina celebrare (1). 3. altare viaticum habere, in eoque per se, vel per alios ubicumque sacrum facere, vel audire divina, servatis in loco interdicto iam dictis conditionibus (2). 4. providum, et discretum sibi extra suas dioeceses eligere Confessarium praeter Superioris eius licentiam: hoc est quemlibet sacerdotem sibi non subditum, neque ab Ordinario loci approbatum (3). 5. dum resident in dioecesi, eos citari non posse ad comparendum in Curia Romana, nisi de Papae mandato, statuit Pius IV (4). 6, ut puniendos rite Episcopos delegati apostolici, iudicesque superiores dignitatis pontificalis gratia primum ab Ecclesiae ingressu, vel sacerdotali interdicerent ministerio; tum ab officio suspenderent, deinde gravioribus censuris afficerent (5). 7, a Romano duntaxat Pontifice ob enormia facinora ii deponuntur (6). 8, invasores domorum episcopalium, bonorumque raptores anathemate coercendos ipso facto sanxit Leo IX. (7). 9, deprecari veniam pro reis capitalibus apud saecularem magistratum Episcopos debere, decrevit synodus Sardicensis (8): eoque privilegio saepius usos SS. Ambrosium, et Augustinum, ceteros antiquos Patres compertissima res est (9). 10, Benedictus XIV. Episcopis, Praelatisque inferioribus cum territorio separato nullius activam in Clerum, et populum iurisdictionem habentibus ampliavit facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis quum per se, tum per alios intra fines dioecesis (10). Cetera Episcoporum privilegia, iura, et munia ex singulis sparsim rubricis harum Institutionum colligenda.

XXIX. Domestici Papae Praelati, solioque pontificio adsistentes Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae multis etiam privilegiis fruuntur, iisque amplioribus ex antiqua Iulii III. constitutione (11), quam nunc sunt ex Gregorii XV. litteris die 17. Augusti 1622. datis, et rite publicatis in Camera apostolica (12). Nam Gregorius eos primum consortio nobilium aggregavit, ut perinde, ac alii nobiles ex illustri etiam genere Comitum orti potiantur, et ipsi omnibus eorum titulis, insignibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis. 2, eosdem in-

(1) Innoc. III. in conc. Lateran. *in cap. quod nonnullis 15. de privilegiis.*
(2) Bonif. VIII. in *cap. quoniam ult. de privilegiis in VI.*
(3) Greg. IX. *in cap. ne pro dilatione fin. de poenit., et remiss.*
(4) Pius IV. *const. de salute 10. §. 3, et const. inter 56. §. 8. to. 2.* Bull.
(5) Bonif. VIII. *in cap. quia pontificali 2. de offic. et pot. iud. deleg. in VI.*
(6) Leo IX. in *const. cum ex venerabilium 2. to. 1.* Bullarii.
(7) Idem in *const. quia auctore 1. eod. to. 1.* Bull.
(8) Can. 7. *Quia saepe contingit* (sunt verba canonis Sardicensis) *aliquos, qui egent misericordia, ad Ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione damnati, vel quavis alia sententia addicti sunt; iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione, et dubitatione iis veniam esse petendam.*
(9) Ex vita divi Ambrosii, et epistola divi August. 159., aliisque testimoniis apud Bingham. *to. 1. origin. lib. 2. cap. 8. §. 1.*
(10) Bened. XIV. in *const. pia mater 34. to. 2.* Bull. sui.
(11) Iul. III. in *const. Romanus Pontifex 12*, data 6. Aprilis 1551., *to. 1.* Bullarii. — (12) Greg. XV. in *const. circumspecta 32.*, *to. 3.* Bullarii.

Curia praesentes a solutione vectigalis vini pro sex vegetibus exemit. 3, portionem panis ex palatio apostolico accipiendam quotidie singulis concessit. 4, et 5. facultatem creandi tres Apostolicae Sedis notarios, privilegiis notariorum potituros, etiamsi habitum, et rochetum non deferant, sine praeiudicio protonotariorum de numero participantium, et citra exemptiones, ac privilegia eis a Tridentino concilio ademptas. 6, nec non equites octo auratae militiae, torquem aureum, ensem, et aurata calcaria gestaturos. 7, statuendi insuper, quae ad suum ipsorum collegium spectant. 8, Missam quotidie unam in oratorio privato etiam in urbe, postquam Papae Vicarius illud visitaverit, celebrandi per se, vel alium, exceptis Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, aliisque diebus anni solemnioribus, ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii debeant praeceptum audiendi Missam in Ecclesia publica festis diebus implere. 9, pensiones ecclesiasticas transferendi usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera. 10. de bonis quibuslibet intuitu etiam Ecclesiae quaesitis (praeterquam divino cultui, vel Ecclesiae ministerio dicatis) disponendi ad summam usque mille ducatorum auri de Camera, *scriptura etiam minus solemni* coram *duobus*, *vel tribus testibus*, *aut etiam cedula sola ipsorum manu scripta*, *vel subscripta*, in favorem etiam consanguineorum, et affinium, et servientium, piorumque locorum. Hanc formam Gregorianam consueverunt posteriora, et hodierna indulta referre, quoties pontificiis litteris quispiam inter Praelatos Papae domesticos, et solio pontificio adsistentes cooptatur. Indultis eiusmodi regium placitum hoc in regno hac lege conceditur, ut facultas creandi protonotarios ad honores tantum suffragetur; altera vero facultas disponendi subiaceat quod ad profana bona solemnitatibus Iuris civilis, et municipalis.

XXX. Peculiaria Episcopi non monachi vestimenta in publicis functionibus sunt *penula* (1) oblonga violacei coloris (2), *linea*, seu *rochetum* candidum, *birrus* (3) vulgo *mozzetta*, et *palliolum* vulgo *mantelletta* ianthini etiam coloris. *Ut Pontifices*, nimirum Episcopi *in publico*, *et Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur*, *nisi monachi fuerint*, *quos oportet ferre habitum monachalem*, statuit in-

(1) Communis, et vulgaris Romanorum vestis *penula* erat, toga vero senatorum propria, et patrum familias ex Ulp. in *l. vestis 23. D. de auro, et argento*, et Martial. *lib. 13. epigr.* 1. *Et* toga *cordilis*, et penula *desit olivis*. Apostolus Paulus, ut civis Romanus *penulam* gestare solitus, *ep. 2. ad Timoth. cap. 4.* scripsit: *penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.*

(2) Violaceus, seu vinaceus color in vestibus clericorum, Episcoporumque antiquissimus ex pullatis fortasse, vel togis, vel penulis Romanorum profluxit.

(3) S. Cyprianus Episcopus, et martyr, ut eius acta ferunt, *exuit birrum*, inde *tunicam*, *et sic in linea expectavit spiculatorem*. Palladius S. Athanasium Episcopum cum *tunica*, et *birro* discessisse tradit. Ex Coeremoniale Episcoporum *lib. 1. cap. 4. utuntur croceis obscuris, et subtus parvo caputio supra rochetum. Crocea* heic dicitur cappa circa collum crispata, oblonga usque ad humum, aperta anterius, ad formam chlamydis, ex Ord. Rom. *lib. 1. cap. 4.*

super in Lateranensi concilio Pontifex Innocentius III (1), et Clemens VIII. in coeremoniale Episcoporum. Canonicos autem regulares S. Augustini utriusque Congregationis Lateranensis, et SS. Salvatoris ad episcopatum promotos ex antiqua consuetudine gestare habitus eosdem, et colores quum in Capella pontificia tum extra, quibus utuntur Episcopi ex clericorum saecularium coetu assumpti, declaravit, et indulsit Leo X (2). Sicut Romanus Pontifex in urbe solus gestat birrum super lineam sine palliolo in signum iurisdictionis, quum domi suae degens opus non habeat pallio: ita Episcopus quisque suam intra dioecesim rocheto, et birro detecto utitur, in alienis vero dioecesibus prohibentur birrum gestare, quod signum iurisdictionis episcopalis est. S. Congregatio Rituum die 1. Octobris 1601. decrevit birrum cum rocheto detecto Episcopum non posse coram Legato apostolico deferre. S. Congregatio Episcoporum, et Regularium die 3. Decembris 1579. ex oraculo Papae rescripsit ad Episcopum Maceratensem, quod Ascolitano Episcopo illius provinciae gubernatori liceret utique birrum cum rocheto contectum palliolo gestare, ipsi autem dioecesano Episcopo nudum utrumque sine palliolo.

XXXI. S. Congregatio coeremonialis die 26. Aprilis 1701, Clemente XI. probante decrevit, ut Praelati rocheto utentes, eo ipso induti visitare semel debeant Cardinales nuper creatos, iterumque post accepta cardinalatus insignia, et quoties ipsi novam obtinuerint dignitatem munusve publicum, aut ab Urbe discesserint, vel ad ipsam rediverint occasione legationis aliusve officii ab Apostolica Sede mandati. Denique die 23. Novembris 1742. eadem S. Congregatio, nedum annuente, sed etiam iubente Benedicto XIV., decrevit ut Praelati quum publica, tum privata causa itinerantes officium visitationis eiusmodi implere pro conditione temporis debeant, quoties per eas urbes, ubi aliquis Cardinalium adsit, eos transire contigerit. At nemini Praelatorum rocheto utentium liceat deinceps cum eo indumento per urbem Romam incedere, quod una cum lemniscis nigris ad sui currus equos appensis indulsit Apostolica Sedes almae urbis duntaxat Gubernatori, Vicecamerario, Camerae Apostolicae Auditori, ac Thesaurario, utriusque palatii apostolici Praefecto; nec non quatuor Patriarchis Constantinopolitanus Alexandrinus Antiochenus, et Hierosolymitanus birrum simul, et palliolum gestantibus. Utque alii Praelati rocheto utentes pontificiam aulam, vel aliquam ex S. Congregationibus adituri, seu Cardinales visitaturi, aut cum eis, vel Principum oratoribus aula regia gaudentibus ad pompam solemnem processuri, rochetum per apostolici palatii scalas, vel in proximo anteriori cubiculo induant. Iisque publicas Ecclesias, in quibus SS. Eucharistiae Sacramentum sit fidelium cultui expositum, vel solemnia quaevis celebrentur, nonnisi Praelatorum habitu indutis liceat diurnis horis ingredi (3).

(1) Innoc. III. in *cap. clerici 15. de vit., et hon. cler.*, quod multis in ibi Gonzalez comprobat. — (2) Leo X. in *const. dudum 34. to. 1.* Bullarii.

(3) Benedict. XIV. in *appendice* ad Bullarii *to. 1., et 2. num. 5.*, et in *const. praeclara to.* 1. Bullarii.

TIT. XIX.

De Episcoporum electione et nominatione

I. Ordinaria communibus suffragiis electio idoneae personae ad ecclesiasticam dignitatem ab extraordinaria differt.

II. Suos per sese Christus Apostolos elegit, iique S. Mathiam in Iudae locum suffecerunt suffragiis communibus, et sortitione.

III. Plebis praesentiam, et testimonium in ordinandis Episcopis videtur divinum ius instituisse.

IV. Apostoli primos in urbibus Evangelium amplexos plerumque ordinarunt.

V. Plebis, et Cleri testimonium, suffragiumque sensim invaluere.

VI. Laodicoena synodus turbis electionem inhibuit.

VII. Nicoena Metropolitis, et Provinciarum Episcopis attribuit ius eligendi, et ordinandi, Clero, et populo, vel testimonium, vel consensum.

VIII. Inde ad nonum usque saeculum a Clero, populoque postulatos, vel electos, aut digniores ex illis ordinarunt Metropolitae, ac synodi provinciarum.

IX. Dissidia in electionibus frequentiora eas ad optimates, et senatores, tandem ad Principes devolverunt, regiasque investituras sacris canonibus exosas invexerunt.

X. Has XII. saeculo pacta conventa quum abolevissent in regnis Germaniae, et Neapolis, electiones Episcoporum liberas Cleris dimiserunt, hoc in Regno, nonnisi post Regis adsensum publicandas antiquo more.

XI. Sed ius Cleri solis inde Capitulis cathedralium addictum est.

XII. Innocentius III. ad canonicas hoc in Regno electiones adsensum Regis accessurum confirmavit.

XIII. Gregorius IX. Episcopos huius regni creare primum per sese, mox Capitulis eligendi ius restituit.

XIV. Clemens IV., et Honorius IV. pactis investiturae adsensum regium, salvo duntaxat iurepatronatus, ab electionibus canonicis profligarunt.

XV. At Episcopi electi, et consecrati adipisci possessionem Ecclesiarum, nonnisi cum placito regio inde consueverunt.

XVI. In Ecclesiis tamen regii patronatus Andegavenses quoque Reges ius adsentiendi canonicis electionibus retinuere.

XVII. Saeculo XIV. Episcoporum electio, et ordinatio exclusis cathedralium Capitulis, et Metropolitis reservata summis Pontificibus est.

XVIII. Concilium Constantiense magis, quam Basileense apostolicas episcopatuum reservationes amovere studuit frustra.

XIX. Clemens VII. Carolo V., eiusque in regno Neapolitano Successoribus indulsit iure concordiae nominationem ad XXIV. cathedrales Ecclesias limitrophas.

XX. In electionibus quibuslibet collegialibus votum non habent minorum ordinum clerici, neque obnoxii censuris canonicis.

XXI. In eligendo Episcopo aetas 30. annorum, nativitas legitima, mores probi, ordo sacer, scientia, et gradus doctoris potissimum requiruntur.

XXII. Eique plura simul obstant canonica impedimenta, quae potest Pontificis dispensatio submovere.

XXIII. Ad huius Regni episcopatus, et beneficia quaelibet, nonnisi cives regnicolae nunc promoventur.

XXIV. Canonica electio , nisi per scrutinium , vel compromissum , vel inspirationem fiat, irrita est.

XXV. Scrutinium si rite fiat, vocum numerus maior concludit electionem.

XXVI. Cui vel soli , vel cum aliis unanime compromisso mandata electio sit, re integra revocabile, poterit seipsum is eligere.

XXVII. Inspiratio ex publico omnium consensu in unum repentino emergit.

XXVIII. Neglecta intra menses tres electio Episcopi, ad Superiorem devolvebatur.

XXIX. Nunc reservatis Romanae Sedis electionibus Episcoporum earum forma vix in dignitatibus , et officiis electivis ex privilegio , vel statuto servatur.

XXX. Ad regias vero cathedrales unum ex tribus a Capellano Maiori propositis Rex fere deligit, ac nominat Romano Pontifici instituendum, et ordinandum.

I. Non aliud , nisi *ordinaria communibus suffragiis nuncupatio idoneae personae ad dignitatem ecclesiasticam* , est electio canonica (1). *Ordinaria* inquam , ut electio strictim accepta distinguatur ab extraordinariis Praelatorum delectibus per specialem Dei *inspirationem* (2), divinasque *sortes* (3) , de quibus nonnulla in sacris Litteris, gestisque priscorum Patrum exempla patent : aut per *nominationem* , *praesen-*

(1) Apud latinos generatim *electio* idem sonat , quod e quavis personarum , rerumve multitudine unam secernere , vel ad eligentis emolumentum , vel ad eius , qui eligitur , dignitatem. Hoc sensu amplissimo Bonifacius VIII. , *in alternativis* , ait , *debitoris est electio* , in *cap. 70. de reg. iur. in VI.* Quo spectat Digestorum rubrica *de electione , vel optione legata.*

(2) In Act. Apostol. *cap. 13. ver. 2.*, dixisse legitur *Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum , et Barnabam in opus , ad quod assumpsi eos.* Timotheum electum Ephesi Episcopum per prophetiam , indicat Chrysostomus ex illis verbis *ep. 1. ad Tim. cap. 1. vers. 18. Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee , secundum praecedentes in te prophetias , ut milites in illis bonam militiam.* Eusebius *lib. 6. cap. 11.*, tradit Alexandrum in Cappadocia Episcopum divino translatum oraculo fuisse ad sedem Hierosolymitanam. B. Gregorius Nyssenus *in vita S. Greg. Thaumaturgi*, Alexandrum Carbonarium divinitus electum Comanum Episcopum enarrat B. Cyprianus *ep. 38. 39.* et *40. ad Cler. Carthagin.* adfirmat non humanis, sed divinis suffragiis ad episcopatum electos Celerinum , Aurelium , et Numidicum. Sozomenus *lib. 2. cap. 17.* refert ab Alexandro Alexandriae Episcopo sibi Successorem divina inspiratione designatum S. Athanasium , S. Fabianum quamvis peregrinum coelesti columbae indicio ad pontificalem Romae cathedram elatum testatur Eusebius *lib. 6. cap. 29.* Beatos , quoque Marinum Turonensem , Severum Ravennae , Evortium Aureliae, Ambrosium Mediolani , alios alibi divinitus praemonstratos Episcopos tradit historia.

(3) Sortes in electione S. Mathiae ad Apostolatum datas inter eum, et Barsabam iustum , littera sacri textus docet *Actor. I.* Verum non debere nos hoc

tationem, *postulationem*, *et translationem*, quas invexit disciplina recentior. Enimvero ex communi loquendi usu *nominationem* nunc faciunt Reges, *praesentationem* fundatores Ecclesiarum, et patroni, *postulationem* (1) electores pro iis, quibus canonicum aliquod impedimentum, quominus eligantur, obstat: *electionem* vero canonicam, legitimamque facit ecclesiasticum sive Cleri, sive Capituli cathedralis sive Cardinalium collegium de personis *idoneis*, nullo scilicet nexu canonum impeditis. *Nuncupatio* autem ideo dicitur, ut electio ne confundatur cum *collatione*, *et institutione*, quam ab hierarchico superiore debet electus impetrare, sibi ut destinatam dignitatem reapse adquirat.

II. Varias humani iuris vicissitudines pertulit electio Episcoporum, si aut personae qua eligentes, qua electae, aut eligendi formae a primordiis Ecclesiae ad haec usque tempora spectentur. Apostolos duodecim Christus ipse Dominus ore suo ad se, quos voluit vocavit (2), misitque in universum mundum, sicuti Pater suus eum miserat (3). Apostoli vero primum omnium S. Mathiam ad episcopatum Iudae proditoris suspendio vacantem elegerunt unanimes in prima synodo hierosolymitana. *Duos* enim ii, ut legimus in Actis Apostolorum (4),

Apostolorum, exemplo ductos sortibus credere, quum privilegia singulorum non possint legem facere communem, probe monet divus Hieronymus in *can. non statim 2. C. XXVI. qu. 2.* Alia in Episcoporum electione exempla sortium aevo apostolico, et suppari esse, vel nulla omnino, vel quampaucissima, monet Dodvellus *dissert. 1. in Cyprian. §. 17. Quid enim sors est?* inquit *lib. 2.* de divinat. *Idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas, et casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, ad quaestum, aut ad superstitionem.* Tamen saeculo VI. synodus Barcinonensis in Hispania an. 599. *can. 3.*, usum sortium, vel instaurare, vel probare ad normam Apostolorum censuit, dum cavit, *ut duobus, aut tribus, quos ante consensus Cleri, et plebis elegerit, Metropolitani iudicio, eiusque Coepiscopis praesentatis, quem* sors, *praeeunte Episcoporum ieiunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.* Inde ven. Beda a Gratiano in *can. non exemplo 4. eadem C., et qu.* laudatus ait: *Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant* sortibus *exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos nonnisi collecto fratrum coetu, et precibus ad Deum fusis egisse.* At Honorius III. sortes in electionibus perpetua prohibitione damnavit, *cap. Ecclesia vestra 3. de sortileg.*

(1) Apud Iureconsultos *postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere*, ex Ulpiani definitione in *l. 1. §. postulare D. de postulando.* In sacris canonibus quandoque pro electione ipsa promiscue sumitur *postulatio*, ut in *can. statuimus §. his omnibus, can. Osius, et seq. dist. 61., can. Valentinianus dist. 63. cap. 13., 20., 23., 28., 30., et 40. de elect.* Sed in rubrica decretalium *de postulatione Praelatorum* haec speciatim vox significat supplicem petitionem, qua Superiorem rogant eligentes, ut aliquem canonico impedimento obnoxium praevia dispensatione ad dignitatem promoveat, puta neophytum, illegitimum, monachum, alterius Ecclesiae Episcopum, in sacris non constitutum, bigamum, irregularem.

(2) Marci *cap. 3. vers. 13.*, et Lucae *cap. 6.*

(3) Marci *cap. 16. vers. 16.* et Ioannis *cap. 20. vers. 21.*

(4) Actor. *cap. 1. in fine.*

statuerunt, hoc est elegerunt Apostoli, Barsabam iustum, et Mathiam: datisque inter eos sortibus, *cecidit sors super Matthiam, et adnumeratus est, cum undecim Apostolis.* Textus graecus pro verbo et *adnumeratus est* habet *και συγκατεψηφισθη*, idest calculis, et suffragiis factus est (1). Unde Innocentius Cironius (2) scite arguit duas insimul formas in B. Mathiae electione adhibitas, alteram sortium, alteram suffragiorum. Immo bis videntur, ni fallor, suffragia dedisse Apostoli: primo, dum ante sortes statuerunt duos; secundo post sortitionem, ubi collegio apostolico alterum ex duobus adnumeravere.

III. In ea electione praesentem turbam hominum fere 120, adfuisse, patefacit ipsa sacri textus littera, dum *fratres*, *virosque fratres*, ad quos de Apostolo eligendo solos sermonem convertit Petrus, nuncupat Apostolos, ut ita eos distinguat a ceteris una congregatis de turba viris. Ideo nonnisi fratres ipsi, scilicet undecim Apostoli fuisse videntur, qui *statuerunt duos*, *et dederunt sortes* suffragiis suis. In veteri quoque testamento (3) subrogatus legitur Eleazarus per Moysen iubente Domino coram omni Hebraeorum multitudine. Quod vero quoslibet ordinandos Episcopos bonum praesentis populi testimonium habere oporteret, scripsit divus Paullus ad Timotheum (4). Id itaque *videmus*, inquam cum B. Cypriano *de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos* plebe presente *sub omnium oculis deligatur, et dignus, atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur* (5).

(1) Sic interpretatur divus Chrysostomus *hom. 3. in Acta.* ψηφος enim est calculus, quo in comitiis, et conventibus fertur suffragium, uti observat Innoc. Cironius *in Decretalium paratitlo de sortilegiis.* Auctor *libri* divo Dionysio Areopagitae inscripti *de ecclesiastica hierarchia par. 3. cap. 5.*, non abs re putat sortis nomen in electione divi Mathiae non accipiendum pro tessera divinationis, seu casu fortuito ex urna producto, sed pro divino, et praecipuo Spiritus S. munere, qui omnium corda Apostolorum insimul flexit ad Mathiam potius, quam Barsabam eligendum, divinumque ore Apostolorum oraculum, et iudicium inter duos Apostolatus candidatos protulit. Sors enim (definit S. August. *in psalm. 30.*) *res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Sortes immo dictae saepenumero sunt nedum oracula, et responsa deorum, sacerdotumque, sed iudicia etiam rite prolata. Hoc sensu cecinit Virgilius *Æneid. 6. Nec vero hae sine* sorte *datae*, *sine* iudice *sedes.* Videsis dicenda inferius *lib. 4. tit. 15. num. 1. et seq.*

(2) Ciron. in decretal. *paratitlo de electione.*

(3) Numer. *cap. 20. vers. 23, et seq.* ibi: *Tolle Aaron, et filium eius Eleazarum cum eo, et duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, induas ea Eleazarum filium eius, Aaron colligetur, et morietur ibi. Fecit Moyses, ut praeceperat Dominus, et ascenderunt in montem Hor* coram omni multitudine.

(4) *Ep. 1. ad Timoth. cap. 3. vers. 7.*

(5) *Lib. 1. ep. 4.* ad Clerum, et plebes Hispaniae, in *cap. 12. de elect.*, in prima Decretalium collectione. Cum B. Cypriano consonat B. Hieronymus in *can. licet ergo 15. C. VIII. qu. 1.*, inquiens: *requiritur in ordinando sacerdote, et* praesentia populi, *ut sciant omnes, et certi sint, quia qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, et hoc* adstante populo, *ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod et*

IV. In diversas profecti regiones Apostoli ad episcopale ministerium consueverunt, inspirante Deo, attollere primitias fidelium, primos scilicet viros cuiusque urbis evangelicam fidem amplexos (1). B. Asprenus, ut ceteros sileam, ab ipso Apostolorum Principe ad Romanam de Antiochena Sede transeunte sortitus esse fertur quum fidei primitias, tum praesulatum Ecclesiae Neapolitanae. Ab Apostolis vero creati, eorumque Successores Episcopi alios similiter constituerunt, ut Titum monuit Paullus (2), per civitates presbyteros, et Episcopos, nonnisi publico praesentis populi testimonio dignos, et probatos.

V. Praesentiam, testimoniumque suum plebs paullatim moribus adeo extendit ad suffragium, et ius consentiendi, dissentiendive (3), ut promiscua, et mutua esset alicubi olim significatio testimonii, atque suffragii, et aequale inter Clerum, et plebem ius ferendi, vel testimonium, vel suffragium (4). Alibi tamen, aliove tempore alii aliter, ut sunt humana, senserunt, tribuentes Clero soli suffragium, plebi solum testimonium (5).

VI. Quarto saeculo, quo primum Ecclesia extinctis persecutoribus christianos habuit Principes, de iure populari in electionibus cavere orsi sunt canones, et leges. Laodicaena synodus (6) *turbis non esse permittendum eligere eos, qui debent in Sacerdotio constitui*, censuit. Non suffragia honoratorum, et nobilium, saniorisque partis populi, sed

Apostolus praecepit in ordinatione sacerdotis, dicens: Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.

(1) S. Clemens I. in egregia *ep. 1. ad Corinthios num. 42.* memoriae prodidit, quod Apostoli *per regiones, et urbes verbum praedicantes* primitias *eorum spiritu probantes*, Episcopos, *et diaconos eorum, qui crediturі erant, constituissent.*

(2) *Ep. ad Titum cap. 5. vers. 5.*, de qua superius *pag. 190.* Tertullianus in *apologetico cap. 39.*, hanc secundo saeculo disciplinam viguisse tradit, dum scribit: *Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.*

(3) *Ipsa plebs*, aiebat S. Cyprianus *in supra cit. ep. 68.* ad Clerum, et plebes Hispaniae, *maxime habet potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Hoc epistolae fragmentum extat *in cap. 12. de elect.* in 1. comp. omissum a divo Raymundo Pennafortio.

(4) *Factus est Cornelius*, scribit idemmet S. Cyprianus *ep. 75.* alias 52. ad Antonianum de Cornelio, et Novatiano *edit. Balutii, Episcopus de Dei, et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium* testimonio, *de plebis, quae tunc affuit*, suffragio, *et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio.*

(5) Bellarmin. *de clericis lib. 1. cap. 7.*, Xyst. Senens. *lib. 5. biblioth. adnot. 118.*, Petr. de Marca *de concordia lib. 8. cap. 2. num. 2.*

(6) In Asia circa an. 320. celebrata (uti Baronius, et Binius probant contra alios eam opinantes habitam esse circa an. 364. sub Liberio Pontifice ex eo, quod in Canonum codicibus Antiochenae postponatur) *can. 3.*, quem Gratianus exscribit in *can. 6. dist. 53.* In ea *dist.* totus est Gratianus in studio probandi nullum laicis ius esse secundum canones in Episcoporum electionibus.

seditiosae plebis tantum ab electionibus ecclesiasticis eliminata Patres Laodicaenos voluisse putant nonnulli (1), secus alii (2).

VII. Prima synodus Nicaena (3) iure scripto vindicavit Episcopis provinciae, vel omnibus, vel saltem tribus in unum congregatis ordinationem non minus, quam electionem Episcoporum, confirmatione Metropolitis reservata: solumque testimonium, et consensum Clero, et populo reliquisse videtur (4). In ordinationibus eorum inde solebant uterque proclamare: *dignus, et iustus est* (5), ubi electio, et ordinatio a synodo provinciae facta placeret. Alias obstabant acerrime, ut Sedis possessionem non acciperent Episcopi inscio, invitoque populo creati (6). Synodus hinc Sardicensis anno 447., cui plerique Patrum Nicaenorum adfuere *can. V.*, alias VI, censuit indulgere populis novum Praesulem postulantibus, et eligentibus, ut ex vicina provincia convenirent Episcopi ad ordinationem deficientibus provinciae Episcopis celebrandam.

VIII. A quarto usque ad IX. saeculum cuiusque provinciae synodus consuevit Episcopos ordinare nonnisi a Clero, et populo, vel postulatos, vel electos unanimi consensu (7); magnam honoratorum ci-

(1) Franc. Florens *ad lib. 1. Decretal. tit. 6. de elect. tract. 6, to. 1., pag. 113.* edit. Paris. ex Dionysii exigui, et Cresconii versione illud graecum canonis Laodicaeni verbum ὀχλ8, latine exponit *turbam, multitudinem, plebem, vulgum.* Tum observat *in l. 6. C. Th. de Episcopis* cautum itidem, ne fierent electiones *neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus.* Simul *nec tumultu, nec factione, et iniuria*, ex *cap. 10. de elect. in comp. 1. Decretal.*, *et* Novella Leonis, et Maiorani *in fin. C. Th.* Quandoquidem illius aevi Patres execrabantur eiusmodi corruptelas, factionesque turbulentas in Episcoporum ordinationibus, praesertim Chrysostomus *lib. 2. de sacerdot. cap. 4. et lib. 3. cap 15.*, Hieronymus in *cap. 1. ep. ad Galatas*, ita scribens. *Nunc videmus plurimos non Dei iudicio, sed redempto favore vulgi in Sacerdotium subrogari.*

(2) Emm. Schelstrat. *in not. ad can. 19. Concil. Antioch.* Zonaras, et Balsamon *ad can. 4. Nicaen., et 13. Laodic. et can. 1. vulgo Apost.* memoriae prodiderunt, in Oriente populi consensum prorsus desivisse in electionibus aevo concilii Nicaeni, et Laodicaeni.

(3) Nicaen. *can. 4. et 6.* — (2) Petr. de Marca *loc. cit.*

(4) Quam formulam scriptis retulere suis Eusebius *lib. 6. cap. 29.* S. Ambrosius *de dignit. sacerdot. cap. 5.*, S. August. *ep. 110.*, et Auctor. *const. vulgo Apost. lib. 8. cap. 9.*

(5) Antiochaena synodus (an. 341) *can. 16.*, memorat Episcopos, qui ob populi recusationem inire possessionem nequibant Ecclesiarum: et simul expulsos de sedibus suis ob bellum, vel persecutionem ad alias fore transferendos, eos si quis alius populorum habere delegisset.

(6) Id liquet ex Pontificum epistolis, et Conciliorum actis. Siricius I. saeculo IV. exeunte *ep. 1.* ad Himerium Episcopum Tarraconensem, relata in codicem canonum Ecclesiae Romanae *cap. 10.*, aperte scripsit probatum clericum presbyterio, vel episcopatui non immerito sociari, *si eum Cleri, ac plebis evocaverit electio.* Coelestinus I. saeculo V. *ep. 2. ad Episcopos Galliae cap. 5.*, *nullus*, ait, *invitis detur Episcopus*, Cleri, plebis, et ordinis *consensus, et desiderium requiratur, can. nullus 13. dist. 61, et can. 26. dist. 63.* Tametsi eadem de re idem Pontifex ad Episcopos Apuliae, et Calabriae scribens *ep. 3.* vota populi indignos non semel eligentis, et postulantis iudicio, et repulsae

vium, maiorem ordinis nobilium, et magistratuum, maximam Principis consensus rationem habens. Dum vero in duas, pluresve personas vota eligentium scinderentur: Metropolitanus digniorem, et maioribus ornatum suffragiis, meritisque praeferebat (1).

Episcoporum subiecit. *Docendus* (inquit) *populus est, non sequendus: nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidque non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus*, can. *docendus 2. dist. 62.* In generali conc. Chalcedonensi *act. 11.*, Stephanus Episcopus Ephesinus sibi ut rite collatam dignitatem ostenderet, dixit: *Me quadraginta Episcopi Asiani suffragio, et nobilium, et Primatum populi, et totius Cleri, et omnis civitatis ordinaverunt.* S. Leo M. *ep. 10.* ad Episcopos provinciae Vienn: *Vota civium* (ait), *testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum expectentur, can. vota civium 27, dist. 63.* Consonat Novella Theodosii in Codice Theodosiano, de Episcoporum ordinatione. Hilarius Episcopus Arelatensis ideo inter cetera damnatus fertur, quod in transalpinis Ecclesiis Episcopos non minus ordinaret, quam deponeret invitis civibus, et inconsulto S. Leone M., ad quem inter eum, et Viennensem Antistitem lis de iure Primatus delata erat, cuius meminit Lud. du Pin. *de antiq. eccl. disc. diss. 1. §. 10.* S. Gregorius M. saeculo VI. Clero, et nobilibus, ordini, et plebi Neapolitanae dedit *ep. 3., et 8. lib. 1.*, eos hortando, ut Episcopum eligerent, qui eam non dedecoraret sacratissimam dignitatem. Tum *ep. 19, 27, 35, et 38. eiusdem lib. 2.* ad Ducem Campaniae, et pontificium in Campania Nuntium scripsit, ut convocarent Primates, populumque Neapolitanum ad novi electionem Episcopi, et nullus si forte dignus Neapoli occurreret, Romam tres compromissarios mitterent, cum speciali totius populi mandato ad electionem conficiendam, *cap. 10. de elect. in 1. compil.* Consimiles idem dedit epistolas ad Clerum, et populum Panormitanum, Ariminensem, Mediolanensem, Nepiensem, ceteros, quas laudat Thomassinus *par. 2. lib. 2. cap. 10.* Nono ineunte saeculo Carolus M. *in capitularibus lib. 1. cap. 84.*, adsensum ordini ecclesiastico praebuit, *ut Episcopi per electionem* Cleri, et populi *secundum statuta canonum de propria dioecesi eligantur.* Hadrianus I., Pontifex eidem Carolo M. fassus est, sese in canonicis electionibus non immiscere, sed consecrare quidem quos Clerus, populusque rite delegisset, uti narrat Thomassinus *loc. cit. cap. 24. num. 3.* Plures alias profert Gratianus decretales in *cit. dist. 63.*, quibus ostenditur Episcopos in Ecclesiis Reatina, Asculana, Ravennatensi, Vercellensi, aliisque suburbicariis a Clero, et populo cum adsensu Imperatoris electos saeculo IX., a summis Pontificibus Stephano IV., Leone IV., Nicolao I., Ioanne VIII. confirmatos, consecratos sub Lothario Augusto, eiusque filio Ludovico, et Carolomanno Italiae Rege. Nam iure metropolitano in suburbicariis Ecclesiis utebantur tunc temporis Romani Pontifices.

(1) S. Leo M. *ep. 84.*, apud Gratianum in *can. 36, seu fin. dist. 63.*, *ille*, ait, *omnibus praeponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postulaverit, itaut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani iudicio is alteri praeferatur, qui maioribus, et studiis iuvatur, et meritis: tantum ut nullus invitis, et non petentibus ordinetur.* S. Greg. M. *ep. 40. lib. 8.* ad Clerum, et cives Neapolitanos, cuius fragmentum *in can. 17. C. VIII. qu. 1.*, *nec novum*, scribit, *nec reprehensibile est in eligendo Episcopo, populi se vota in duas partes dividere: sed grave est, quando in huiusmodi causis non ex iudicio, sed ex solo favore venit electio.* Idemque ad Defensorem in Insula Corsica pontificium *ep. 74. lib. 9.* ait: *Si in duorum electione se diviserint, decretis ad nos de more factis advertant, ut requirentes de vita, actu, et moribus eorum is, qui utilior visus fuerit, ordinetur.* Si quando plures, quam duos elegisset Clerus, et populus, Metropolitano quoque, vel seniori Episcopo provinciae ius erat digniorem praeeligendi, Thomassin.

IX. Frequentibus electionum dissidiis factum interea est, ut plebis, populique iura ad honoratos primum, et Optimatum ordinem, ab his deinde ad senatores, et magistratum, postremo ad summos Principes omnino devolverentur (1). Hi autem saeculo IX. (2) usque ad XII. adorti sunt vetustum eligendi, aut electionibus assentiendi ius in novam vertere formam investiendi per annulum, et virgam, seu instituendi Episcopos sola Principis auctoritate sine ullo decreto, iudicioque synodorum provincialium, et sine confirmatione Metropolitarum. Eodem saeculo IX. octava synodus oecumenica recentem invasionem reprimere studuit, sanxitque, ne quis laicorum Principum, vel potentium electioni Episcoporum se ingereret (3). Gliscentibus autem in dies in Oriente investituris laicalibus, Romani Pontifices Leo IX; Victor II; Stephanus X, Nicolaus II., Alexander II., B. Gregorius VII., aliique Successores ecclesiasticam ea in re libertatem tuendi studio iteratis conciliorum sanctionibus decreverunt, ut clericorum, aut monachorum nullus auderet de manu laici accipere investituram Ecclesiae, vel beneficii (4).

X. Saeculo XII. abolendis reapse investituris consentire Principes orsi sunt pactis cum Sede Apostolica conventis. Henricus Imperator pro regnis Germaniae, rebus cum Calixto II. compositis in IX. generali Concilio, Lateranensi I. anno 1123., primus omnium ecclesiasticis personis liberam dimisit electionem Episcoporum, et Abbatum eo pacto, ut electi regalia per sceptrum iura ab Imperatore acciperent, qui assensum deberet suum praebere iudicio Episcoporum provinciae (5).

par. 2. lib. 2. cap. 9. Iustinianus Imp. *Nov. 123. cap. 1.* iussit, ut clerici, et primates civitatis tres in electionibus Episcoporum proponerent idoneas personas, ut ex tribus melior ordinaretur electione, et periculo ordinantis. Si vero tres non invenirentur idoneae, liceret duas tunc, vel unam intra sex menses eligere. Consonat *Nov. 137. cap. 2, et l. 41. C. de Episc. et cler.* Ea de tribus constituta propositio fuisse potius nominatio, nil iuris quaesiti nominatis tribuens, quam electio vera, videtur Innocentio III. *in cap. quod sicut 28. de elect.*

(1) Basilius patricius, declinante V. saeculo vices in Italia gerens Regis Odoacris, rogatus a Simplicio Papa in extremis laborante, ut in successoris sui electione ad compescendas turbas adesset, edicere non dubitavit, ne Rege inconsulto, Papa eligeretur. Istud fuisse praeludium potestatis, quam sibi vindicarunt Italiae Reges in Episcoporum electionibus, notat Thomassinus *cit. par. 2. lib. 2. cap. 16. n. 2.* Pelagius I. sequenti saeculo VI. *ep.* ad Narsetem Italiae Ducem (quam Holstenius in *collect. Roman. pag. 127.* integram profert Gratianus in perplura dissectam fragmenta) enarrat Paulinum Aquileiensem, et Honoratum Mediolanensem inconsulto Imperatore contra receptam Italiae consuetudinem constitutos fuisse Episcopos, petitque brachium Principis ad eos coercendos ob schismatis crimen. Divi Ambrosii electio in Episcopum Mediolanensem ad exitum perducta quidem est Valentiniani Imperatoris auctoritate.

(2) Inter Neapolitanos Episcopos S. Athanasium I. anno 649. ab universo Clero, et populo electum postremo fuisse: tum in successoribus eligendis, ordinandis omnino siluisse quum populi, tum Cleri suffragia, indicant monimenta *de Episc., et archiep. Neap.* apud Bart. Chioccarell.

(3) Synod. VIII. in *can. 1. dist. 63.* — (4) Gratian. *causa* XVI. per totam.

(5) Iuretus ad Ivonis *ep. 233.* de historia investiturarum disserit uberrime.

Paullo post concordia inter Guilielmum I. Regem Neapolitanum, et Hadrianum IV. anno 1256. conventum est, ut electiones Praelatorum facerent quidem clerici, sed nonnisi post adsensum a Rege praestitum publicarent (1).

XI. Itaque tunc desiverunt omnino populorum suffragia, solisque relictae clericis canonicae electiones (2); Clericorum tamen, et Cleri nomine Canonicos, et Capitula cathedralium designabant canones novae tunc exorientis disciplinae. Quae quoniam quamplurimos sine titulo Ecclesiae, et sine praebenda sacris ordinibus nimis indulgenter initiatos tulit, aliter, quam antiquior ferebat aetas: factum est, ut distinctionis gratia *Capitulum*, et *Canonici* dicerentur presbyteri, et clerici praebendarii, titulares, cardinales: *Clerus* autem vagi, et sine titulo extra numerum, ordinemque promoti. Unum ideo Corpus cum Episcopo, unumque Senatum Ecclesiae Canonici solum conflare visi Alexandro III. sunt, eorumque consilio negotia Ecclesiae tractanda (3), inter quae principem obtinuit locum electio Episcoporum: adeo ut sub Innocentio III. Episcopos Capitula cathedralium duntaxat (4) eligerent, exclusis quidem Episcopis provinciae, sed reservata summo Pontifici confirmatione, et ordinatione, salvoque supremi Principis adsensu.

XII. Huius regni reginae Constantiae, ac Friderico eius filio idem Innocentius III. regium electionibus Canonicis adsensum confirmavit (5).

(1) Verba huius concordiae videsis supra *tit. 10. num. 2. in nota art. 8.*, Petrus Blesensis *ep. 10.*, memoriae prodidit fratrem Comitis Loritelli Praelatum Ecclesiae Agrigentinae ab rege Guilielmo II. (quem scriptores *bonum* appellant, respectu patris cognomine *mali*) reluctante Capitulo fuisse, ideoque officio Capellani maioris admonendum, ne indigno eam Praesuli committeret.

(2) Concilium Lateranense III. an. 1179. sub Alex. III. in *cap. cum in cunctis 7. de elect.* quoniam de clericis tantum eligentibus plura disponit, nullo de laicis populis prolato verbo, probabilem exhibet coniecturam populi, tunc ab electionibus iam exclusi.

(3) Alex. III. in *cap. novit. 4, et cap. quanto 5. de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli.*

(4) Liquet ex Inn. decretalibus *in cap. 17., et seqq. de elect., et cap. 4. de postulat. Praelator.*

(5) In Pontificis investiturae litteris apud Raynald. ad *an. 1198. n. 67. Electiones autem* (ait Inn.) *secundum Deum per totum regnum canonice fiant de talibus quidem personis, quibus vos, ac haeredes vestri requisitum a vobis praebere debeatis* adsensum. Aliisque litteris, quas idem Pontifex die 19. Novem. 1193. rescripsit Constantiae Imperatrici Reginae Siciliae, et charissimo filio illustri Regi Siciliae. *Ne ulla*, inquit, *super electionibus dissensio suscitaretur, modum faciendi eam curavimus explicare sic, ut in multis regiae Serenitati deferentes libertatem ecclesiasticam non laederemus. Sede vacante Capitulum significabit vobis, et vestris haeredibus obitum decessoris: deinde convenientes in unum, invocata Spiritus S. gratia secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a vobis praebere debeatis adsensum, et electionem factam non different publicare. Electionem vero factam, et publicatam denunciabunt vobis, et vestrum requirent adsensum. Sed antequam adsensus regius requiratur, non intronizetur electus; nec decantetur laudis solemnitas, quae intronizationi videtur adnexa; nec antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus, administrationi se ullatenus immiscebit.* Alias litteras in forma Brevis dedit Innocentius III. ad Romualdum II. Guarna patritium

Quumque ea defuncta ipsemet Papa Friderici regis natu minoris baliatum, seu tutelam suscepisset, Capitulis Pennensi, et Capuano rescripsit sese, et vice regia, et auctoritate pontificia Episcoporum electiones confirmare (1). Reges Corradus, et Manfredus eodem adsensus iure potiti sunt.

XIII. Gregorius IX., si fides Christiano Lupo (2) habeatur, excludendi gratia Fridericum II. Imp. ab electionibus ecclesiasticis, primus incoepit canonicas in Imperio, et Sicilia electiones suspendere, cathedrales Ecclesias sibi reservare, Sedibusque tunc vacantibus Episcopos Ecclesiae Romanae fidos, at Friderico adversos sine cuiusque electione creare. Tum re feliciter gesta electiones Capitulis restituit.

XIV. Sequenti saeculo Clemens IV. investiturae litteris ad Carolum I. Andegavensem datis pro utriusque Siciliae regno cavit, Rexque facturum spopondit, ne in creandis Ecclesiarum Praelatis regius unquam adsensus, aut consilium requireretur, nec ante, nec postea, neque in ipso electionis actu, salvo tantum iurepatronatus (3). Tum capitulis Caroli II. Andegavensis ab Honorio IV. probatis vetitum est personis generatim laicis sese electionibus Praelatorum ingerere (4).

XV. Regio adsensu vix abdicato emersit *regium placitum, et exequatur*, sine quo nostri non passi sunt Reges, Episcopos iam electos, consecratosque Ecclesiarum administrationem, possessionemque inire. Nam Nicolaus IV. modo dicto Carolo II. anno 1288. indulsisse fertur, ut huius regni Ecclesiis non praeficerentur, qui Regi essent suspecti (5). Idemque Rex ideo regium placitum quum denegasset Manfredo Gifonio sibi suspecto, episcopatus Melitensis possessionem ei frustratus est (6). Successorum placita principum permultis huius regni Praesulibus concessa promit Chioccarellus (7).

XVI. In Ecclesiis tamen iurispatronatus regii integrum tunc Regibus Andegavensibus ius erat adsensus in electionibus. Nam Benedictus XI. ad Carolum II, die 28. Novembris 1303. rescripsit in electione Episcopi Lucerini, cuius Ecclesia de iurepatronatus Regis est, regium a Capitulo adsensum fore expetendum, adeo ut sine eo electus confirmari non posset (8).

XVII. Eodem XIV. saeculo ineunte abrogatum ius Capitulorum cathedralium est pontificiis collationibus, et reservationibus. Viam straverunt frequentissimae inter eligentes, electosque discordiae ad supremum Sedis Apostolicae iudicium deferri solitae (9), quibus redundat Corpus Iuris

Salernitanum, et Archiepiscopum XIV., item Salernitanum, qui tutor fuerat utriusque Siciliae Regis Guilielmi cognomine *Boni* undecimum aetatis annum agentis, eisque praescripsit formam compositionis inter Sedem Apostolicam, regiamque Curiam super electionibus canonicis in Regno utriusque Siciliae celebrandis. Liquet ex ms. Codice monimentorum Ecclesiae Salernitanae.

(1) Innoc. III. in *cap. 17., et 18. de elect.*
(2) Lupus *in Canon. Concil. to. 3. dissert. 3. cap. 8.*
(3) *Art. 16.* capitulorum investiturae, de quibus supra *tit. 10. n. 3.*
(4) *Art. 6.* supra quoque relato *num. 4.*
(5) Bart. Chioccarell. *tom. 4. archivii.*
(6) Ughell. *to. 1. Italiae sacrae in Episcop. Melitens. n. 16.*
(7) B. Chiocc. *loc. cit.* — (8) Idem B. Chiocc. *to. 7. archivii tit. 3.*
(9) In Salernitana Ecclesia divisis Capituli suffragiis ad vacantem Archiepi-

Canonici, crebrae simul simoniae, laicorumque turbae libertatem eligentium plerumque opprimentes (1). Innocentius III. ob iterata Capituli Rhemensis in postulando primum Episcopo Belluacensi, tum in alio eligendo dissidia elegit abbatem Cisterciensem in Episcopum Rhemensem (2). Urbanus IV. anno 1263. divisis pariter Capituli suffragiis ad Sedem Mecliniensem promovit Abbatem Claraevallensem (3). Bonifacius VIII. anno 1294. dignitates generatim, et Ecclesias apud Sedem Apostolicam vacaturas quum eidem Sedi Apostolicae aperte reservasset: Cathedrales simili quoque modo vacaturas tacite reservavit (4). Benedictus XI. anno 1303. quatuor Patriarcharum electiones tempore schismatis, vel infidelitatis, nonnisi consulto Pontifice Romano, celebrandas iussit (5). Tum anno 1305. omnes generaliter patriarchales, archiepiscopales, et episcopales Ecclesias Clemens V. primus omnium Pontificatus sui tempore apud Sedem vacaturas sibi, suaeque dispositioni reservatas (6) expresse voluit. Eumque imitati sunt Ioannes XXII., ceteri successores Pontifices, qui suis Cancellariae Regulis reservationem cathedralium singulatim innovarunt, adiecta clausula, *quotiescunque summi Pontifices illa uti voluerint* (7). Hanc novissimus adhibuit Clemens VII., primusque delevit Paullus III. Clementis successor anno 1534. (8). Ita abdicatis omnino Capitulorum electionibus, Episcopos ubique Papa et eligere, et ordinare consuevit, praeterquam in regnis Germaniae. Id quod nonnullae nationes aliquando aequo, mox iniquo tulere animo.

XVIII. Concilium Constantiense anno 1427. irrito conatu studuit reservationes submovere, ut restitueret Capitulis cathedralium electiones (9). At pseudo synodus Basileensis, quae generalibus beneficiorum reservationibus, praeterquam clausis in Corpore Iuris, adversata magis est, probavit utique reservationem episcopatuum Romanae Sedi pontificiae, dummodo causa probabilis, et evidens adesset (10).

scopi sedem inter Franciscum Caratium Parisiensem, et Ioannem de Rogeriis ambo Salernitanos Canonicos, et devoluta inde ad Sedem Apostolicam causa electionis discordis: Clemens V. anno 1310. elegit primum, creavitque Archiepiscopum illius Ecclesiae Robertum Coenomanensem olim archidiaconum suum ipsius capellanum, et thesaurarium. Eoque ex tempore omnino desiit capitularis electio Archiepiscopi. Id quod ferunt monimenta in ms. Codice Ecclesiae Salernitanae collecta anno 1714. Eidem propterea fato aliae simul huius regni Ecclesiae cathedrales tunc discordiis Canonicorum turbatae succumbuerunt.

(1) Leo X. *in const. 20.* §. *et cum electionibus 6. to. 1. Bullarii* (in qua, inserta leguntur Galliae Concordata) ex hisce tribus caussis potissimum ortas episcopatuum reservationes tradit.

(2) *Ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo apostolica licentia abutentes Rhemensem scinderetis Ecclesiam*, rescripsit. Innocentius apud Thomassin. *to. 2. lib. 2. cap. 33. num. 5. in fine.*

(3) Idem Thomassinus *cit. lib. cap. 35. num. 5.*

(4) *Cap. 1. de praeb.* in extr. com. *et cap. 2., 3., et 33. eod. tit. in VI.*

(5) De quo iam dictum superius *tit. 14. num. 6.*

(6) Extravag. com. *in cap. etsi in temporalium 3. de praebendis.*

(7) Haec clausula legitur in Regula Innoc. VIII., Leonis X, Clem. VII.

(8) Rigant. *to. 1. comment. in Reg. 2, Cancell.* §. *1. num. 8.*

(9) Emm. Gonzalez *in cap. 2. de elect. num. 9.*

(10) Thomassin. *to. 2. lib. 1. cap. 45.* Monachis vero ius electionum resti-

Sublatis vero electionibus, ius regium emersit nominandi, vel praesentandi Episcopos, et Abbates, quod paulatim ex Concordatis invaluit.

XIX. Huius regni Neapolitani episcopatus omnes Ferdinandus catholicus capitulis anno 1486. cum Innocentio VIII. conventis remisit primum liberae Papae collationi (1). Mutato deinde consilio, pontificiis obstitit collationibus, et Legato pontificio ea de re conquerenti respondit, sibi magis regnicolas, quam Papae absenti esse notos; eorumque personas, quas Rex ipse dignas eligeret, posse a Romano Pontifice tum confirmari (2). Pacis studio tandem Clemens VII. anno 1529. Carolo V. Imperatori tanquam Regi Neapolitano, Eiusque Successoribus indulsit nominationem Praesulum ad XXIV. cathedrales Ecclesias limitrophas, scilicet octo archiepiscopales superius iam enumeratas (3), et sexdecim episcopales. Hae sunt Acerrae, Aquilae, Ariani, Caietae, Casertae (4), Cassani, Castri Stabiensis, Crotonis, Gallipolis, Iuvenacii, Monopolis, Oyrae, Potentiae, Puteolorum, et Ugenti. Ceterae omnes ad liberam Romani Pontificis electionem, collationemque relictae sunt (5).

tuere Patres Basileenses acrius contenderunt, id quod observavit Rota Romana *dec. 297. num. 9.* coram Verallo *par. 1.*

(1) Qua de re supra *tit. 10. num. 7.*

(2) Raynald. *ad ann. 1487. num. 11.* — (3) *Tit. 16. de Metropolitanis n. 9.*

(4) Hanc Ecclesiam episcopalem regiae nominationis fecit anno 1764. Benedictus XIV. pro episcopatu Triventino, quem liberae Pontificis collationi dimisit vicissim Rex Carolus D. N., ut patet ex litteris in forma Brevis ad eundem Regem datis.

(5) Tabulae foederis inter Car. V. Rom. Imp., et Clem. VII. conclusi die 29. Iunii 1629. apud Io. Christian. Lunig. *to. 5.* Codicis Italiae diplomatici *sect. 1.* de Summo Pontifice, ac Sede Romana *dipl. 110.* haec habent §. 6. *pag. 238. Actum fuit et conventum, quod ad tollendum omne dubietatis obstaculum, et ne deinceps in exequendis apostolicis provisionibus emergat impedimentum: Sua Sanctitas ex eius benignitate, et gratia ac exuberanti liberalitate, et pro maiori ipsius regni tutela, ut in locis limitrophis nonnisi personae acceptae et fidae praeponantur, utque de cetero tam Apostolicae Sedis auctoritas quam regalis dignitas suis (ut decet) praeeminentiis sine ullo scrupulo, seu obstaculo libere uti valeat, teneatur, et debeat in ipsius novae investiturae concessione tam pro se, quam pro Successoribus suis eidem Caesari, et suis in dicto regno* successoribus *perpetuo concedere, et reservare* nominationem, et praesentationem *viginti quatuor Ecclesiarum dicti regni, inferius particulariter nominatarum, et fiant super his provisiones in debita, et ampla forma cum omnibus clausulis, et erogationibus necessariis, quae sumant effectum infra mensem a die ratificationis fiendae per S. Sanctitatem; sine tamen praeiudicio provisionum hactenus legitime factarum, regressuumque, sive accessuum iam concessorum, si aliqui legitime expediti reperiantur: reliquis omnibus Ecclesiis, ac beneficiis dicti regni (exceptis duntaxat his, quae* iuris patronatus *existant) ad liberam dispositionem Apostolicae Sedis remanentibus iuxta ipsarum investiturarum formam. Et ut haec reciproce deinceps observari valeant, providebit Caesar, ne sui ministri, qui ipsius regni administrationi commissi fuerint, deinceps in non reservatis Ecclesiis, et quae iurispatronatus non extiterint, nequaquam manum apponant, neque exequutionem bullarum, aut provisionum apostolicarum impediant. Nomina autem Ecclesiarum reservatarum sunt haec:* Archiepiscopatus *Salernitanus, Regiensis, Tarentinus, Brundusinus Hydruntinus, Tranensis*: Episcopatus *Aquilanus, Caieta-*

XX. In iis autem electionibus ecclesiasticis quibuslibet, quae ex privilegio, vel consuetudine ad Capitulum, vel quodvis Collegium pertinent, suffragium habent Canonici in sacris constituti ordinibus, vel subdiaconi saltem (1): inferiores nequaquam, neque impuberes (2), excommunicati, aliisque censuris irretiti (3).

Ab eligentibus, et nominantibus ad eligendos, et nominandos, eorumque qualitates nunc par est convertere sermonem.

XXI. Quod nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum aetatis annum exegerit, et legitimo sit matrimonio natus, quique vita etiam, et scientia commendabilis demonstretur, decrevit Concilium Lateranense sub Alexandro III. (4). Addit Tridentinum (5), ut eligendus etiam in sacro Ordine saltem sex mensium spatio constitutus antea sit: praeterea quae antea in universitate studiorum magister sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel iure canonico fuerit, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

XXII. Qui vero non ex legitimis nuptiis orti sunt, ad dignitates, et ordines Ecclesiae promoveri eos abhorrent sacri canones (6). Infamia quoque notatos, et criminibus obnoxios (7): neophytos, scilicet ad fidem recenter conversos, ne superbiant (8), filios haereticorum (9): schismaticos (10), excommunicatos (11), suspensos, interdictos, et irregulares ex defectu quum animae (12), tum corporis, nimirum insi-

nus, *Lancianensis*, *Cotronensis*, *Tropeensis*, *Monopolitanus*, *Castellamaris*, *Puteolanus*, *Cassanensis*, *Acerranus*, *Oirensis*, *Arianensis*, *Materanus*, *Potentinus*, *Triventinus*, *Iuvenaciensis*. Hanc ipsam concordiam memorant Regens de Ponte *dec.* 12, et Reg. de Marinis *lib.* 1. *resolut. cap.* 152.

(*) Conventione novissima an. 1818, art. XXVIII. Summus Pontifex Pius VII. Ferdinando I. utriusque Siciliae Regi, Eiusque Successoribus concessit in perpetuum indultum nominandi dignos, et idoneos ecclesiasticos viros iis dotibus praeditos, quas sacri canones requirunt ad omnes illas archiepiscopales, et episcopales Ecclesias Regni utriusque Siciliae. Quare ex disciplina hodierna a piissimo Rege nostro Ferdinando II. Apostolicae Sedi facta nominatione Antistitum, fiunt necessarii processus iuxta canones, et nominati canonicam institutionem modis, et formis consuetis obtinent. Indultum istud confirmatum quoque legimus Litteris Apostolicis: *Sinceritas fidei* ab eodem Summo Pontifice missis nonis martii eiusdem anni 1818.

(1) Clement. *ut ii* 2. *de aet. et qualit. ordin. Trid. sess.* 22. *de ref. cap.* 4.

(2) *Cap. ex eo* 32. *de electione in VI.*, *cap. postulasti de cler. exc. ministr.*

(3) Innoc. III. in *cap. cum inter* 6., et *cap. illa quotidiana* 39. *de elect. cap. cum dilectus* 8. *de consuet.*

(4) *Cap. cum in cunctis* 7. *de elect.* — (5) *Sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.*

(6) *Cap.* 1., *et fin. de fil. presbyter. cap. innotuit* 20. *de elect.*

(7) *Cap. omnipotens* 4. *de accusat.* Infamibus portae non pateant dignitatum, *cap.* 87. *de reg. iur. in VI.*

(8) Ex Apostoli praecepto *ep.* 1. ad Timoth. *cap.* 3. At S. Ambrosius ordinatione divina electus est Episcopus Mediolanensis, non baptizatus adhuc, *can. Valentinianus* 3. *dist.* 63.

(9) *Cap. vergentis* 10., *et cap. excommunicamus* 13. *de haeret. cap. quicumque* 2. §. *haeretici*, *et cap. statutum* 15, *de haereticis in VI.*

(10) *Cap. quia diligentia* 5. *de elect.*

(11) *Cap. ult. de clerico excom. ministr.*

(12) *Cap. cum dilectus* 8. *de consuet. et cap. cum adhaec* 1. *de postul. Praelat.*

gniter deformes, et aliqua corporis parte defectos (1), praesertim eunuchos (2): bigamos (3), aliarum Ecclesiarum Episcopos (4): monachos sine superioris sui permissu (5): exteros idioma populi, cui praeficiendi sint, nescientes (6). Horum quidem omnium electio sine speciali summi Pontificis gratia, et dispensatione, quae postulanda humiliter est, habebitur irrita (7).

XXIII. Hoc in Regno Neapolitano inhabiles omnino facti sunt ad episcopatus, et quaevis beneficia obtinendum exteri, advenaeque: id nisi alicui speciatim Rex indulserit ex gratia in civitatem recepto. Carolus V., et Philippus II. primum rescripsere, ut regnicolae alternatim, et exteri ad cathedrales regni Ecclesias regias nominarentur (8). Tum Carolus VI. rescripsit generatim universis Ecclesiis praefici solos regnicolas debere (9). Exinde factum, ut singuli noviter promoti regium placitum super litteris pontificiis pro adipiscenda possessione sibi collatarum Ecclesiarum non obtineant unquam, nisi antea docue-

(1) Ex *ep.* Gelasii ad Episcopos Lucaniae in *can. non confidat. 59. dist. 50.*

(2) Leo IX. *ep.* ad Michaelem Imp. Constantinop. *Absit ut velimus*, ait, *credere, quod publica fama nondubitat asserere, Constantinopolitanae Ecclesiae contigisse, ut eunuchos contra primum S. Nicaeni Concilii capitulum passim promovendo foeminam in Sede Pontificum suorum sublimasset aliquando.*

(3) *Cit. can. non confidat.* Quo spectat illud Apostoli sensu litterali acceptum: *Oportet Episcopum unius uxoris esse virum.*

(4) In *cap. etsi unanimiter 6. de postul. Prael.*

(5) D. Greg. M. *in can. quam sit VIII. qu. 2.*, et *can. si quis monachus C. XVI. quaest.* 1. Limitatur id in abbate exempto ex *cap. si abbatem 32. de elect. in VI.*

(6) *Ex Reg.* 20. Cancellariae apostolicae *de idiomate*, quae loquitur de parochiis, et beneficiis curatis.

(7) *Cap. innotuit 20. de elect.* totoque *tit. de postulat. Praelator.*

(8) Ioannis Christiani Lunig. codex Italiae diplomaticus *tom. 4. sect. 2. de utriusque Siciliae regno diplom.* 179. habet *capitula gratiarum* a Carolo V. Rom. Imp., et Siciliae Rege concessarum Universitati, et hominibus regni Neapolitani expedita Bruxellis die 12. Martii 1550; in his *cap.* 4. ita conceptum. *Placet Caesareae, et Catholicae Maiestati concedere, quod officia, quae inde vacaverint in dicto regno, conferantur* regnicolis oriundis... *intelligendo* oriundos *omnes etiam natos extra regnum, dummodo fuerint iuxta privilegium fidelissimae civitatis* facti cives *Neapolitani per magnificos Electos, et pariformiter alios* cives factos *per alias civitates demaniales dicti regni, quae ex privilegiis regiis eis concessis habent facultatem creandi dives: dum tamen duxerint* uxores regnicolas, *et habuerint* domos proprias *in dictis civitatibus, in quibus facti fuerint cives*, et habitaverint *in regno saltem* per quinquennium; *et etiam omnes tenentes* baroniam, *vel alia* feuda, *et omnes qui* habitaverint per annos decem *cum uxoribus, possidentes bona stabilia... Quo vero ad* beneficia ecclesiastica, *videlicet archiepiscopatus, abbatiae, prioratus, canonicatus, praebendas, et cetera beneficia quaecunque spectantes, et spectantia ad collationem, seu nominationem, et praesentationem Caesareae Maiestatis conferantur pro* medietate regnicolis, *pro alia ad beneplacitum, et cum vacaverint*, alternatim *provideantur, prout servatur in regno Siciliae ultra pharum; hoc videlicet modo, et forma, quod beneficia per exteros quomodolibet vacantia, regnicolis conferantur, cum vero per regnicolas vacare contigerit, provideantur ad Caes. et Cath. Maiest. beneplacitum.*

(9) Ex *to. 2. privileg. Neap. Caroli VI. pag. 229.*

rint se in aliquo regni loco ortos, baptizatosque fuisse, exhibeantque idcirco penes acta Curiae Capellani Maioris authenticam baptismatis fidem. Idipsum denique firmatum est novissimo Concordatorum iure (1), quo plane cautum, ut episcopatus omnes, et quaecunque alia huius regni beneficia regnicolis tantum conferantur: exceptis ducatis viginti millibus pensionum super Ecclesiis, quae ad regiam non pertinent nominationem, quos Papa suis ecclesiastici Status subditis poterit reservare.

Hactenus de personis quum eligentibus, et nominantibus, tum eligendis, et nominandis. Mox de forma electionis, et nominationis dicendum.

XXIV. Triplicem eligendi formam canonicam esse tradit concilium Lateranense IV., scilicet per *scrutinium*, *compromissum*, *et inspirationem*. Statuit in primis de *scrutinio*, *ut quum electio fuerit celebranda*, *praesentibus omnibus*, *qui debent et volunt*, *et possunt commode interesse*, *assumantur tres de collegio fide digni*, *qui secrete*, *et singillatim vota cunctorum diligenter exquirant*, *et in scriptis redacta mox publicent in communi*, *nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto: ut is collatione habita eligatur*, *in quem omnes*, *vel major*, *et sanior pars Capituli consentit*. Deinde ad *compromissum*, *et inspirationem* transiens ita cavit. *Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committetur*, *qui vice omnium Ecclesiae viduatae provideant de Pastore. Aliter electio facta non valeat*, *nisi forte communiter esset ab omnibus*, *quasi per inspirationem absque vitio celebrata*. Qui vero contra praescriptas formas *eligere attentaverint*, *eligendi ea vice potestate priventur* (2).

XXV. Ex hoc Lateranensi canone desumuntur qualitates ad valorem electionis necessariae, plures quidem in *scrutinio*, quam in reliquis duabus formis. Nimirum convocatio omnium (3), et praesentia

(1) *Cap. 8.* Concordator. *art. 1.*

(2) Conc. Later. IV. sub Innoc. III. *in cap. quia propter 42. de electione.*

(3) Bonif. III. *in can. nullas 7. dist. 79.*, et Innoc. III. *in cap. bonae memoriae 36. de elect.* Vocandi ad electionem Episcopi consueto loco, et tempore condicto faciendam sunt omnes nedum Canonici de iure, sed alii etiam extra Capitulum, quibus consuetudo ius eligendi detulerit, *cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss. et prop.*, ubi Inn. III. irritam declaravit electionem Sutrini Episcopi a solo Capitulo factam, ex eo quod ad eam non vocati essent clerici conventualium Ecclesiarum, qui interesse consueverant. Vel quibus aliquando Pontifex conveniendi, vel praesidendi negotium demandaverit, *cap. cum in veteri 52*, *et cap. his quibus ult. de elect.* Singuli quidem vocalium praesentes sunt solitis campanae signis, vel praeconis vocibus vocandi, absentes vero intra provinciam per litteras, vel nuntium, servata locorum consuetudine: extra provinciam degentes nequaquam, Barbosa *lib. 1. iur. eccles. cap. 12. n. 88.* Nam Inn. III. in *cap. coram 35. de elect. fratribus*, inquit, *omnibus, qui fuerint* in provincia *convocatis*. Contrario itaque sensu absentes extra provinciam non vocandos censuit. Absentes tamen intra provinciam, ubi velint, poterunt per procuratorem dare suffragium, si iusto detineantur impedimento, quominus intersint per sese, *cap. quia propter 42. §. 1. de elect. et cap. si quis 46. eod. tit. in VI.*

in coetu congregato (1) ius eligendi habentium (2) ; trium scrutatorum numerus , munusque (3): suffragia scripto danda sine ulla conditione (4), publicatio suffragiorum incontinenti (5), collatio votorum (6), et vis eam concludens maioris , et sanioris partis (7). Maior autem pars

(1) *Can. in Genesi 55. de elect.* Ne clandestina sit electio , eam non privatis conventiculis, et semotis, dissitisve locis , aut importuno tempore , vel celandi animo facere, sed publice simul collecti electores concelebrare debent , *can. si quis 2. dist. 79.* ex decreto Romanae synodi sub Symmacho. Clandestinam fuisse electionem S. Athanasii Alexandrini , ut eam irritarent , calumniabantur Ariani: Sozomen. *lib. 2. cap. 16*, et Nicephorus *lib. 8. cap. 44.* Sed eam rite , publiceque actam ostendit epistola synodica concilii Alexandrini ad omnes ubique catholicae Ecclesiae Episcopos. Absentia vero vocatorum elapso termino electioni haud officit a praesentibus gestae , *cap. cum inter 18 ; et cap. cum nobis 19. de elect.*

(2) Unius ex vocalibus contemptus nullitatem electionis parit. Quum in eiusmodi negotiis *consueverit contemptus unius plus obesse , quam multorum contradictio in praesenti* , ait Inn. III. in *cap. bonae memoriae 36. de elect.* Fagnanus in *cap. quia propter 42. de elect. num. 40. de substantia* electionis esse docet , ut electores congregentur in unum , non autem ut omnes sint praesentes , dummodo praesentes adsint duae saltem partes eorum , qui ad electionem vocari debent, alias non esset ibi Capitulum, seu universitas, sed si duae partes sint praesentes, tunc valebit, quod maior pars disposuerit.

(3) Dupliciter scrutatores singula eligentium vota secreto inquirunt, vel viva voce a singulis nomen eius , qui eligitur , secreto excipiunt , quod continuo scribat aliquis scrutatorum, vel tabellas , schedulasve , quae coniici solent in urnam , colligunt. Quandoquidem usus tesserarum sine scripto nomine , plerunque diversi coloris , quae in ceteris electionibus adhibentur frequentissime, est in eligendis Episcopis omnino abolitus.

(4) Ex *cap. in electionibus 2. de elect. in VI.* ubi Concilium Lugdunense usque adeo reprobavit *in electionibus, et postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi , vota conditionalia, alternativa, vel incerta ; at huiusmodi votis pro non adiectis habitis , ex puris solum consensibus celebretur electio, voce illorum, qui non pure consenserint , ea vice in aliis residente.* Idemque servandum , ubi reperiatur aliqua ex schedulis alba , monet Barbosa *lib. 1. iur. eccl. cap. 19. n. 200 ;* S. Congr. Episc. apud Nicolium in *flosculis* verb. *vox num. 6* , Van-Espen *par. 2. tit. 21. cap. 4. num. 19.*

(5) Ne rite facta electio in occulto iaceat , statim post collecta suffragia publicandum solemniter est scrutinium , et quot quisque sit vota sortitus , *cap. Ecclesia vestra 48. de elect.*

(6) Non zeli ad zelum , nec meriti ad meritum , ex *cap. in Genesi 55. de electione* , sed solum *numeri ad numerum* fieri collationem in acceptis suffragiis decrevit Bonifacius VIII. in *cap. indemnitatibus 43. §. verum de elect.* Id quod usu hodie viget. Quum non dignior nec sanior pars minor, sed maior duntaxat numerus vocum praepolleat ob aequale ius eligentium singulorum : abrogata iuris antiqui sententia , quae non semper maiori adquiescebat numero, raro tutiori et saniori , ex *cap. gratum 2. de postul. Praelat. et cit. cap. in Genesi.* Itaque , uti cecinit Prudentius *lib. 1. contra Symmachum , servemus patrias leges , infirma minoris vox cedat numeri.*

(7) *Cap. 1* ; totoque *tit. de his , quae fiunt a maiori parte Capituli , et l. quod maior D. quod cuiusque universitatis nomine.* Innocentius III. in *cap. quod sicut 28. de elect.* nullum sibi ius quaesivisse tres votis inter se paribus electos : *cum ex prima electione , quae facta de tribus* , ait , *dicenda videtur potius* nominatio , *nihil iuris adquisitum fuerit nominatis.* Quod paritas votorum electionem tum concludat , pluribus firmat Piton. *discept. 140. num. 9.*

Capituli fere dicitur, quae uno saltem voto excedit medietatem Canonicorum eligentium (1), nisi consuetudo alicubi specialis, vel statutum, vel privilegium maiori vocum numero etiam infra medietatem totius collegii tribuat vim concludendi electionem (2).

XXVI. In *compromisso*, cui dare locum consuevit discordia eligentium (3), requiritur in primis consensus omnium unanimis, et nemine discrepante, quibus ius est suffragii: quum suum nemo ius in alium transferre invitus cogatur (4). 2, quum mandato compromissum aequetur, potest re integra revocari, non integra secus (5), quemadmodum et mandati compromissi fines excedere nequeunt compromissarii (6). 3, compromissariorum numerus iure non definitus quum sit; aeque unus, ac plures constitui possunt (7) tam de gremio collegii, quam extranei (8): quorum pars maior validam facit electionem (9), etiamsi ex compromissariis ipsis unum eligi contigerit. Quod utique fas est: quinimo potest consensu suo electus ex compromissariis maiorem suffragiorum numerum sibi vel augere, vel perficere (10).

XXVII. *Inspiratio* tandem nulla requirit sollemnia, nec suffragiorum numerationem, scriptionemque, sed publicum duntaxat collegii, et uni-

Si electio Abbatissae fiat per schedulas, et in apertione scrutinii reperiantur plures schedulae quam sint vocales, licet actio sit punibilis: adhuc electio valida erit, si demptis superfluis remanet maior pars, ex cit. decreto S. Congr. Episc. et Regul. apud Nicolium et Barbos. *loc. cit.* Passerinus in tract. *de elect. canonica cap. 16. num. 65, in scrutinio per schedulas*, ait, *prius numerandae sunt schedulae, et conferendus est numerus schedularum ad numerum vocalium: et si non sit aequalis, schedulae sunt comburendae, et habendum novum scrutinium... quia tunc vel vota omnium non fuere exquisita, vel unus plures nominavit, quorum utrumque est contra formam.*

(1) Honor. III. in *cap. Ecclesia vestra 18. de elect. qui sua in Thomam*, ait, *desideria dirigebant, licet maiorem partem facerent partium comparatione minorum: non tamen ad maiorem Capituli partem pervenerunt... quod factum est de Thoma praedicto cassavimus.*

(2) Rota in Adriensi Canonicatus 3. Aprilis 1699; coram Lancetta, apud Pitonium *part. 4. discept. 140. num. 57. ad 65.*

(3) S. Greg. M. *ep. 15.* ad Scholasticum Campaniae Ducem *lib. 2*, rescripsit, ut congregatis Primatibus, et populo neapolitano alium Episcopum eligerent, quum Florentius Ecclesiae Romanae subdiaconus electioni renunciasset: si vero eligentes in unum consentire non possent, ut tres viros probatos nomine universitatis Romam mitterent, aliquem idoneum electuros. Ex ista *ep.* exemplum *compromissi* notat Fleury *to. 8. hist. ad an. 592.* Aliud insigne tradit Sidonius *lib. 7. ep. 9.*

(4) *Gl. in cit. cap. quia propter* verbo *vice omnium*, arg. *l. invitum, et l. in vendendis C. de contrahenda empt.* (5) *Cap. in causis 30 de electione.*

(6) *Cap. cum dilectus 32. eodem tit.* Indignum si elegerint compromissarii, fines mandati putantur ipsi transilire, ob idque ad compromittentes tunc reverti electionem rescripsit Bonifacius VIII. in *cap. si compromissum 37. de elect. in. VI.*

(7) Alexand. III. in *cap. causam 8.*, et Inn. III. in *cap. inter 21. de elect.*

(8) *Cit. cap. cum inter.* In laicum tamen compromitti nequit electio ecclesiastica, ex Greg. IX. in *cap. sacrosancta 61. eod. tit.*

(9) *Cap. Ecclesia vestra 3. de sortilegis.*

(10) Innoc. III. in *cap. cum in iure peritus 33. de electione.*

*

versitatis consensum repentinum, et unanimem acclamationem. Hac forma electos SS. Ambrosium Mediolanensem, Severum Coloniensem, ceteros tradit historia.

XXVIII. Tres intra menses electio Episcopi facienda est iure Decretalium (1) : alioquin ad proximum ea Superiorem devolvitur, ne diutius protrahatur Ecclesiae viduitas.

XXIX. His communi iure constitutis formis procedebant olim electiones Episcoporum Italiae, et ubique locorum, quoadusque integrum fuit Capitulis cathedralium ius eligendi Praelatos suos : quod vix hodie integrum habent Capitula Germaniae generatim suo Concordatorum iure (2), et si qua sunt alicubi alia ex speciali privilegio, vel consuetudine. Quo enim ex tempore sibi Sedes Romana reservavit cathedrales Ecclesias, vindicavitque Episcoporum creationes, nullius ferme usus in eligendis Episcopis factae sunt eiusmodi formae : utpote quibus vix utitur Collegium S. R. E. Cardinalium in electione summi Pontificis (3). Eas tamen adhibent quum regularium, tum saecularium clericorum collegia ecclesiastica, quae ius eligendi habeant ex statuto, privilegio, vel consuetudine in dignitatibus, parochialibus Ecclesiis, omnibusque officiis, et beneficiis episcopatu inferioribus (4).

XXX. Ad regias huius Regni cathedrales Rex aliquem solet ex ternis, quos Capellanus Maior, praevio ipsius Regis rescripto, proponit, praeelectum regiis litteris regio Ministro in urbe residenti ad Romanum Pontificem datis nominare (5) : nisi quem aliunde sibi notum, quod rarissime contingit, maluerit ipsemet Rex deligere. Ad ceteras pontificiae collationis Ecclesias, Episcopos ex illis Papa eligit, quos suo referente Auditore putaverit ad libitum.

Satis de Episcoporum electione, et nominatione. Dicendum modo superest de eorundem confirmatione, et consecratione.

(1) Conc. Lateran. in *cap. ne pro defectu 41. eod. tit.* At Iustinianus *Nov. 123.* semestre spatium electoribus tribuit. Idemque spatium patronis ecclesiasticis ad praesentandum firmavit Bonif. VIII. in *cap. un. de iurepatr. in VI.* Videsis quae dixi in *tract. de iurep. cap. 17.*

(2) De quo paullo superius dictum *num. 19.* Eodem Germanico iure utuntur Helvetii, et Valesii, uti monet Rigantius *to. 1. comment. in Reg. 2. Cancell. §. 1. num. 58., et 59.*

(3) De qua in subsequenti *tit. XXI. num. 54. usque ad 72.*

(4) Ex Alex. III. in Conc. Lateran. *cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, et ult. de elect.* Speciatim de canonica electione Canonicorum loquitur Innoc. III. in *cap. cum Ecclesia 71. eod. tit.* Priorum, et abbatum in *cap. cum causam 27.*, et Greg. IX. in *cap. sacrosancta 51.* Praepositi, et Decani Inn. idem in *cap. cum in iure 33.*, et Greg. IX. in *cap. dudum. 54.* Ecclesiae parochialis in *cap. querelam 24.* Imperatoris praeterea Romani Inn. III. in *cap. venerabilem 24. hoc eod. tit.* Tum Senatorum Innoc. IV. in *cap. fundamenta 6. eod. tit. in VI.*

(5) Regem Hungariae, cui ius nominandi ad illius regni cathedrales est, non uti posse verbo *eligimus*, definitum sub Alexandro VII. tradit Rigantius *in Reg. 2. Cancell. §. 1. num. 73. to. 1.*

ADDITIONES

DE NOVA DIOECESIUM CITRA PHARUM CIRCUMSCRIPTIONE.

Novam dioecesium citra Pharum circumscriptionem heic in medium proferre duximus, atque Ecclesias tum metropolitanas, cum episcopales recensere, quae iure novissimo ab Apostolica Sede vel coniunctae, vel suppressae fuerunt. Illud vero animadvertendum est, quod Ecclesiae coniunctae aeque principaliter concathedrales sunt, ideoque Antistites, qui eisdem praesunt, utriusque Ecclesiae titulum assumunt, et in utraque proprium Capitulum, puerorum ecclesiasticum seminarium, distinctam curiam, et peculiarem Vicarium generalem habent. Quare intra anni orbem per aequale spatium, quoad fieri poterit, apud utramque ipsi residere debent.

Ecclesiae Archiepiscopales

Neapolitana Ecclesia habet suffraganeas episcopales
Ecc: Acerrarum
Isclanam
Nolanam
Puteolanam

Surrentina habet suffraganeam
Ecclesiam Castri Maris

Capuana habet
Ecc: Iserniensem
Calvensem
Suessanam
Casertanam

Salernitana habet
Ecc: Caputaquensem
Policastrensem
Nuscanensem
Ecc: Nuceriae Paganorum
Acernensis quoque Ecclesiae, ac Dioecesis administratio Salernitano Archiepiscopo perpetuo committitur.

Amalphitensis nullam suffraganeam habet.

Acheruntina suffraganeas habet
Ecc: Anglonensem, et Tursiensem
Potentinensem
Tricaricensem
Venusinensem

Compsana habet
Ecc: S. Angeli Lombardorum
Laquedoniensem
Muranensem

Beneventana Dominio Sedis Apostolicae etiam in temporalibus subiecta habet
Ecc: Abellinensem
Arianensem
Asculanensem
Bovinensem
Lucerinensem
S. Severi
Cerratenensem, et
Telesinensem coniunctas
Boianensem
Thermularum
Larinensem
S. Agathae Gothorum

Sypontina nullam suffraganeam Ecclesiam habet: huiusce Antistiti

vero episcopalis Ecc. Vastanensis administratio perpetua tribuitur: ideoque nuncupatur Syponti-nus Arch., et Vastanensis Arch. Ecc. administrator.

Barensis habet
Ecc. Bituntinensem
Rubensem, et Conversanensem

Tranensis habet
Ecc. Andriensem
Archiepiscopo Tranensi vero commissa fuit Episc. Ecc. Vigiliensis perpetua administratio: quapropter et Arch. Tranensis, ac Vigiliensis Episcopalis Ecc. Administrator nuncupatur.

Tarentina habet
Ecc. Castellanetensem
Oritanensem
Brundusina nullam Ecc: suffraganeam habet: Ipsi vero addicta fuit perpetua administratio Ecc: Ostunensis.
Hydruntina habet
Ecc: Lyciensem
Uxentinensem
Gallipolitanensem
Cosentinensis, Rossanensis, et Theatina suffraganeas non habent.
Ecc: S. Severinae habet
Ecc. Cariatenensem

Rheginensis habet
Ecc. Hyeracensem
Bovensem
Oppidensem
Cathacensem
Cotronensem
Tropiensem
Nicoterensem
Squillacensem
Neocastrensem
Cassanensem

Lancianensis nullam Ecclesiam suffraganeam habet; huiusce tamen metropoliticae sedis, Archiepiscopo commissa fuit Ecclesiae orthonensis perpetua administratio.

Ecclesiae Episcopales coniunctae

Ecc: Acerrarum cum	Ecc: S. Agathae Gothorum
Theanensis.	Calvensi
Materanensis	Acheruntina
Campaniensis.	Compsanensi
Bisacciensis.	Ecc: S. Angeli Lombardorum
Alliphanensis	Cerretanensi, et Thelesinensi
Rubensis	Bituntinensi
Ostunensis.	Brundusinensi
Nicoterensis	Tropiensi
Orthonensis.	Lancianensi
Pontis Corvi, et Aquitanensis.	Sorana
Gravinensis	Ecc: Montis Pelusii
Sarnensis	Cavensi
S. Marci	Bisinianensi
Iuvenacensis, et Therlitiensis	Melphictensi

Ecc: parochialis Ceriniolae erecta fuit cathedralis, et coniuncta aeque principaliter cum. . . .	Asculanensi

Illud quoque observatu dignum, quod in Sedium episcopalium coniunctione antiquioris Ecclesiae titulum prius nominari in more positum fuit. Cum vero Episcopus suae iurisdictionis actum exercet, qui ad alterutram pertineat, tunc illa Ecclesia primo loco est designanda, quam profecto ipse actus respicit.

Ecc: Gravinensis, et Montis Pelusii.	Asculanensis, et Ceriniolae
Calvensis, et Theanensis.	Sarnensis, et Cavensis
Nicoterensis, et Tropiensis.	Marsicensis, et Potentinensis
Aquinatensis, Sorana, et Pontis Corvi	Rubensis, et Bituntinensis
Melphictensis, Iuvenacensis, et Therlitiensis	S. Marci, et Bisinianensis

Ecclesiae episcopales Apostolicae Sedi immediate subiectae

Caietana	Aversana
Sorana	Miletensis
Montis Pelusii	Valvensis, et Sulmonensis
Cavensis	Pennensis, et Atriensis
Monopolitana	Melphiensis, et Rapollensis
Melphitensis	Troiana
Bisinianensis	Neritonensis
Aquilana	Triventina
Aprutina	Marsicana

Ecclesiae Episcopales suppressae.	*Ecc: Arch:, et Episcopales coniunctae.*
Ecc: Massalubrensis cum Vicana	Ecc: Surrentinensi
Capritana	
Litterensis.	Ecc: Castri Stabiensis
Venafrensis.	Iserniensi
Carinolensis	Suessana
Calanitensis	Casertana
Montis Marani.	Nuscanensi
Scalensis	
Minorensis.	Amalphitensi
Ravellensis.	
Lavellensis.	Venusina
Satrianensis	Compsanensi

Montis Viridis.	S. Angeli Lombardorum
Trivicanensis	Laquedoniensi
Vulturariensis, et Montis Corbini	Lucerinensi
Guardiensis	Ecc: Thermularum
Bitectensis	Barensi
Nazarena, et	
Cannensis	Tranensi
Minervinensis	Andriensi
Motulensis	Castellanetensi
Castrensis	Hydruntina
Alexanensis.	Uxentinensi
Belcastrensis	Ecc: S. Severinae
Geruntinensis	
Strongulensis	Cariatenensi
Umbriaticensis.	
Insulanensis	Cotronensi
Marturanensis.	Neocastrensi
Fundana	Caietana
Polignanensis	Monopolitana
Ecc: Civitatis Ducalis	Aquilana
Camplensis.	Aprutina
Abbatiae	Montis Cassinensis SS. Trinitatis Montis Virginis
Praepositura	S. Mariae *la Mena* nuncupata civitatis Altimuri
Prioratus	S. Nicolai Barensis

TIT. XX.

De confirmatione et consecratione Episcoporum.

I. Prisco iure electos a Clero, vel Capitulo Metropolitanus cum Episcopis provinciae quisque suae consecrabat.

II. Metropolitanos autem, vel senior provinciae Episcopus, aut vicinior, vel Patriarcha, aut Primas.

III. Ius confirmandi ad electionis iudicium peragendum spectat, illud consecrandi ad ritus episcopalis ordinationis.

IV. Confirmatio dignitatem, et humana privilegia, consecratio potestatem ordinis tribuit.

V. Confirmatis, consecratisque statim licebat munia sua olim exercere: nunc secus, et nonnisi post acceptas ab Apostolica Sede litteras, regiumque placitum permittitur ipsis Episcopatus possessionem capere.

VI. Intra mensem electus electioni consentire, inde tres intra menses debet confirmationem petere.

VII. Tum confirmatus intra alios tres menses consecrationem suscipere, postea intra mensem iter facere ad residentiam.

VIII. Antequam electio confirmetur, aetatem, mores, doctrinam electi Pontifex rite inquirit.

IX. Italiae, Insularumque adiacentium Episcopi coram Papa in Concistorio examinantur ab Urbis examinatoribus.

X. In duobus concistoriis praeconizatio primum, dein propositio electi, simul et provisio fit habens vim confirmationis.

XI. Consecrationem electi in Urbe praesentis Papa alicui Cardinalium oretenus, absentis per litteras alicui Archiepiscopo, vel Episcopo mandat.

XII. Consecrationis ritus praecipui sunt recitatio bullae pontificiae, iuramentum novem articulorum, unctio capitis, et manuum, traditio baculi, et annuli, et libri Evangeliorum, mitrae, crucis pectoralis, aliorumque pontificalium ornamentorum.

XIII. Annuam consecrationis episcopalis commemorationem canones imperant.

I. Ordinatos olim Episcopos, ab Episcopis cuiusque provinciae fuisse primum iure non scripto, deinde a synodis provincialibus scripto Nicaenorum canonum iure, iam liquet ex traditis titulo superiori (1). Metropolitanus litteris encyclicis universos provinciae suae Episcopos suffraganeos convocabat, qui novum Episcopum in ea ipsa, quae viduata erat, Ecclesia rite ordinarent (2), quum vel una omnes, vel pars maior, vel tres saltem convenirent, quorum gestis per scripta suum adderent consensum absentes (3). Ab Episcoporum aliquando duobus, vel uno actam ordinationem non irritam, sed illegitimam habere quidem consuevit Ecclesia: id quod pluribus ostendit Binghamus (4). Indi su-

(1) *Num. 7., et seqq.*, et a Gratiano *dist. 64., 65., et 66.*

(2) *Ad ordinationes rite celebrandas* (scribit S. Cyprianus *ep. 68.*, alias 67. *ad fratres Hispaniae*) *ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi eiusdem provinciae, proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur*, etc. Consonat epistola Iulii Papae ad Orientales apud S. Athanasium *apolog. 2. tom. 1*, et divi Augustini *ep.* 261.

(3) Ex Concilii Nicaeni *can. 4. Episcopi* ab omnibus, *qui sunt in* provincia sua, *Episcopis debent ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem*: tribus *tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et* absentibus *quoque pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinationem celebrari, can. 1. dist. 64.* Concilium Chalcedonense *act. 16.*, *ab omnibus*, aut *pluribus* provinciae Episcopis *legitimam* fieri ordinationem Episcopi, una cum *Metropolitano potestatem habentem secundum Patrum regulas* pronunciavit. Praeterea sanxit *can. 25.* intra tres menses eam fore celebrandam, nisi necessitas aliter coëgerit.

(4) Origin. eccles. *lib. 2. cap. 11. §. 4., et 6. to. 1.*

spicio adaugetur contra apocryphos canones vulgo Apostolorum, perinde probantes ordinationem a duobus, atque a tribus peractam (1).

II. Archiepiscopos et Metropolitas non alius Metropolitanus, sed senior, vel proximior eiusdem provinciae Episcopus ut confirmaret, ordinaretque, prisci mores, et canones constituerunt. S. Augustinus (2) Donatistas refellit contendentes, quod Caecilianum Carthaginensem Episcopum Primatem non alius primas Numidiae, vel Mauritaniae, sed Episcopi provinciae Carthaginensis male ordinassent. Eos per iniuriam obmurmurantes refert, *quod non expectaverit Caecilianus*, ut princeps *a* principe *ordinaretur: quum aliud habeat Ecclesiae catholicae consuetudo*, *ut non Numidiae*, *sed* propinquiores Episcopi *Episcopum Ecclesiae Carthaginis ordinent: sicut nec Romanae Ecclesiae Episcopum ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus*, *sed de proximo Ostiensis Episcopus*. Alibi vero Metropolitanos a Patriarcha vel Primate confirmatos, ordinatosque liquet ex superioribus rubricis.

III. Ordinantium Episcoporum et Metropolitae munia in duobus potissimum versabantur. Primum in electione *confirmanda*, quam communibus suffragiis canonice factam cognovissent: alterum in electo rite *consecrando*. Eodem ferme tempore confirmari electos, et consecrari in veteri disciplina, et vix a consecratione seiunctam tunc esse confirmationem, putat Thomasinus (3): secus quam in recentiori Decretalium aevo.

IV. Spiritale foedus coniugii, quod est inter Episcopum, et Ecclesiam, in electione initiatum fieri confirmatione ratum, et consecratione consummatum, dixit Innocentius III. (4). Varios porro effectus utraque producit, eosque magni momenti. *Confirmatio* scilicet potestatem *iurisdictionis* ordinariae (5), dignitatem, et privilegia humana: *consecratio* potestatem *ordinis*, et characterem confert episcopalem. *Episcopus electus* post consecrationem simpliciter *Episcopus* (6): et hunc *venerabilem fratrem* appellat Papa (7), illum vero *dilectum filium*.

V. Hinc communi iure antiquo electus post acceptam confirmationem non modo insignibus episcopalibus, et byrro utebatur, et privilegiis Episcoporum frui incipiebat (8): sed etiam bona Ecclesiae suae statim administrare, ius dicere subditis, censuras infligere non impediebatur, licet non consecratus; adeout putaretur auctoritate sua possessionem episcopatus apprehendere, statim atque se in eius administratione ac iurisdictione immisceret (9). Post vero consecrationem Ordines continuo conferre, aliaque ab Ordinis potestate promanantia iura exercere pote-

(1) *Can. 1.* vulgo Apost. *Episcopus ordinetur ab Episcopis duobus, vel tribus.*
(2) S. Augustinus in *breviculo collat. 3. cap. 16.*
(3) Thomasin. *par. 4. lib. 2. cap. 50. de discipl. eccl.*
(4) Innoc. III. in *cap. licet in tantum 4. de translat. Episc.* post *can. sicut vir 11.*, *et can. sicut alterius 39. C. VII. qu. 1.*
(5) *Cap. cum in cunctis 7. §. cum vero, et cap. transmissam 15. de elect.*
(6) Fagnanus *in cap. eam te 7. de rescriptis num. 6.*, *et 7.*
(7) Uti animadvertit Ivo Carnotensis *ep. 8.* ex *cap. quam gravi 6. de crim. falsi*, *cap. coram 34. de off. et pot. deleg. et cap. sane dilecto 7. de renunc.*
(8) *Cap. super his 16. de accusat.*, *et cap. qualiter 17. de elect.*
(9) Gl. in *cit. cap. cum in cunctis* verbo *administrationem.*

rat. Hodie secus. Nam Bonifacius VIII. (1) sancivit, ne post confirmationis decretum electi ad suam accedere Ecclesiam sine litteris Apostolicis promotionis suae, vel eam administrare ullimode auderent, nec eos Ecclesiae vicissim, uti Episcopos recipere sub poena suspensionis a beneficio, et nullitatis actorum. Hac tamen sanctione Cardinales Episcopi suburbicarii eximuntur, quorum administratio post decretam in Concistorio confirmationem haud differtur protelata bullarum expeditione (2). Leges itidem Principum, et huius Regni consuetudines nullum omnino permittunt novis electis, vel consecratis Episcopis potestatis exercitium, sive ab iurisdictione, sive ab ordine profluentis, nisi regium placitum super pontificiis litteris in forma Cancellariae solemniori ante obtinuerint, et corporalem adepti sint possessionem.

VI. Quo tempore Capitulis cathedralium ius adhuc erat eligendi Episcopos, concilium Lugdunense, sub Innocentio IV. (3) decrevit, ut celebrata electione electores, quam citius commode possint, ab electo petant consensum; et intra tres alios inde menses electus confirmationem electionis suae postulare non omittat: alias quaesito sibi iure cadat, ubi sine legitimo impedimento, vel consensum intra mensem dare, vel petere confirmationem intra trimestre neglexerit. Duo haec temporum intervalla quum novo iure non mutata sint: ea transilire non debent ii etiam, qui a Romano Pontifice ad episcopatus eligentur (4).

VII. Praeterea tres alios intra menses a die confirmatae electionis computandos electi si munus consecrationis non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem eos teneri: si intra totidem menses postea facere id neglexerint, Ecclesiis ipso iure privatos fore sanxit Tridentina synodus (5), etiamsi Cardinales iidem sint. Si quis autem nondum sacris diaconatus, et presbyteratus ordinibus initiatus in Episcopum eligatur: eum tunc probe Ordinationum generalium tempora iure statuta expectare, eique interea lapsum quadrimestris ad episcopalem suscipiendam consecrationem non officere, pluribus exemplis quum vetustae, tum recentioris disciplinae probat Hallierius (6). Tandem consecratus debet intra mensem proficisci ad residentiam, quod spatium ad alios 40, dies prorogari ab Urbis Vicario posse iam praemonui.

VIII. Confirmaturus electionem Summus Pontifex tria praecipue in Electi persona inquirit, aetatem legitimam, morum honestatem, et sufficientem doctrinam (7): quemadmodum et olim Metropolitae cum Epi-

(1) *In cap. iniunctae 1. de elect. in extravag. comm.*
(2) Rigant. *in Reg. 2. Cancellariae §. 3. num. 342. to. 1.*
(3) *In cap. quam sit 6. de elect. in VI.*
(4) Quoniam *provisio concistorialis habet vim electionis, et confirmationis*, uti scribit Fagnanus *in cap. nihil num. 27. de elect.* exinde infert Benedictus XIV. in *ep.* 35. ad Nicolaum Episcopum Anconitanum, et Humanatensem *to. 2. Bullarii sui*, intra tres menses consecrari omnino debere electos ab Romana Sede Praesules cathedralium secundum canones.
(5) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 2.*
(6) *De sacris elect. tit. de consecr. Episc. art. 3. §. 4, et tit. de tempor. sacr. ordinat. cap. 5. num. 4.* Rigant. *in Reg. 24. Cancell. §. 1. num. 16. to. 2.*
(7) Honorius III. ab episcopali amovit dignitate Callinensem in Germania

scopis provinciarum inquirere consueverant (1). Quibus de rebus antea inquisitionem sumit, nulla si eius notitia, aut recens in Curia Romana fuerit, a Sedis Apostolicae Legatis, aut Nunciis provinciarum, aut eius Ordinario, istoque deficiente a vicinioribus Ordinariis (2). Quoniam vero ea in re non uniformis ratio ubique ex nationum, populorum, morumque varietate potest adhiberi, mandavit Tridentina synodus (3), ut in provinciali synodo per Metropolitanum habenda praescribatur quibusque locis, et provinciis propria examinis, seu inquisitionis faciendae forma, sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis, atque opportuna esse videbitur : ita tamen, ut cum deinde hoc examen, seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in publicum instrumentum redacta cum integris testimoniis, ac professione Fidei ab eo facta quamprimum ad Romanum Pontificem omnino transmittatur, qui plena totius negotii, ac personarum notitia habita, Ecclesiis possit utilius providere. Id regiones ultra maria, et montes potissimum spectat, quarum Episcopi ad urbem, ut examen subeant, non accedunt.

IX. Quod vero ad Episcopos Italiae, Insularumque adiacentium, Clemens VIII. Congregationem instituit ex Cardinalibus, Canonistis, et Theologis ad eos personaliter coram Romano Pontifice examinandos : adeout eo ex tempore intra Italiam nemo ab aliis, nisi ab Urbis examinatoribus adprobatus ad Cathedram promoveatur episcopalem, quamvis aliunde sit scientia commendatissimus. Excipiuntur duntaxat Cardinales diaconi, presbyterique, quos eminentiori iam auctos dignitate ratio non patitur novo probari examine, dum inferiorem accipiunt dignitatem (4).

X. Decretum confirmationis in Concistorio Papa promulgat ad formam a Patribus Tridentinis definitam (5). Omnes scilicet informationes, testimonia, et probationes quaecunque de promovendi qualitatibus per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Concistorio, et alios tres Cardinales diligenter examinantur, ac relatio ipsa Cardinalis relatoris, et trium Cardinalium subscriptione roboratur, in qua singuli quatuor ipsi Cardinales affirmant se adhibita accurata diligentia invenisse promovendos qualitatibus a iure, et S. Synodo Tridentina requisitis prae-

Episcopum, qui nec scire grammaticam, neque Donatum legisse unquam, confiteri non erubuit, *cap. quamvis 15. de aet., et qual. praefic.*

(1) Ex *ep.* S. Leonis in *can. quid est 3. dist. 78*, et Innoc. III. ad Archiepiscopum, et Capitulum Capuanum in *cap. cum nobis 19., et cap. nihil est 44. de elect.*

(2) Trid. *sess. 22. de reform. cap. 2.*, Leo X. in *const. supernae 7. §. 3, 4, et 5. de reform. pen. Praelat. eccles.* Greg. XIV. in bulla *onus apostolicae* edita 1. Maii 1591., et Urbanus VIII. in instructione an. 1627. circa processus super qualitatibus promovendorum ad regimen Cardinalium conficiendos.

(3) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 1.*

(4) Fagnan. *in cap. nisi cum pridem num. 63. de renunciat. lib. 1.*

(5) Trid. *cit. sess. 24. de reform. cap. 1.*

ditos, ac certo existimare sub periculo salutis aeternae idoneos esse, qui Ecclesiis praeficiantur, itaut relatione in uno Concistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Concistorium iudicium differatur, nisi aliud summo Pontifici videbitur. In priori Concistorio *praeconizationem* electi, in posteriori *propositionem* fieri aiunt. In hocce collectis Cardinalium suffragiis Pontifex tandem confirmat electum consueta verborum forma (1). Quod eiusmodi *provisio concistorialis habeat vim electionis, et confirmationis* canonicae, monet Fagnanus (2). Post eam ipsam provisus consuevit *Episcopus electus* inscribi, et appellari.

XI. Deinde consecrationem electi, qui praesens in urbe sit, inibi peragendam (3) alicui Cardinalium Papa mandat oretenus: absentis autem per litteras alicui Archiepiscopo, vel Episcopo, qui duobus (4) aliis adsistentibus Episcopis, eam rite conficit festo vel Dominico vel Apostolorum die, praemissoque antecedentis sabathi ieiunio cum precibus (5), concelebrat in publica Ecclesia, quae intra provinciam plerunque sita sit, nisi commode ad cathedralem ipsius consecrandi valeat se conferre.

XII. Sollemnes consecrandi Episcopi ritus videsis in Pontificale Romano (6). Hinc perpaucos, potioresque solum innuere hic sufficiat. Recitatis initio litteris Cancellariae apostolicae de collato episcopatu, obedientiam Romano Pontifici debitam cum iuramento Consecrandus spondet genuflexus coram Consecratore suo, eamque multis distinctam articulis profitetur iuxta formulam aliis eiusdem Cancellariae clausis litteris traditam (7). Deinde sacra inchoatur ordinatio. In ea totum sacro

(1) His videlicet conceptis verbis: *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus S., et BB. Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra Ecclesiam N. de persona N. providemus, ipsumque illi in Episcopum, et Pastorem praeficimus, curam, et administrationem ipsius eidem in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo.*

(2) Fagnan. in *cap. nihil de elect. num. 27.*, quem collaudat Benedictus XIV. in *cit. const. cum a nobis 36.*, §. *ac primo*, *to. 2.* Bullarii.

(3) Hoc in regno consecrationes Episcoporum libere facit Romana Ecclesia ex capitulis Regis Guilielmi cum Hadriano IV., superius exscriptis *tit. 10. num. 2. art. 3.*

(4) Ex *ep.* Innoc. I in *can. extra 5. dist. 64* Pluralitas enim adsistentium non ad valorem consecrationis exigitur, sed ne furtive, et clam collata episcopalis dignitas videatur. Idcirco, uti Fagnanus tradit ad *cap. 7. de temp. ordin. n. 20*, Romana Sedes Episcoporum in Indiis consecrationem uni cuicunque catholico Episcopo, adsistentibus duabus, vel tribus Dignitatibus, ob Episcoporum deficientiam solet adhuc demandare.

(5) *Can. ordinationes 1. dist. 75.*

(6) *Tit. de consecratione electi in Episcopum.*

(7) Antiquam iurisiurandi episcopalis formam septem articulis complexus est divus Gregorius VII. relatam *in cap. ego. N. 4. de iureiur.* his verbis: *Ego N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, sanctaeque Romanae Ecclesiae, dominoque meo Papae N. eiusque Successoribus canonice intrantibus. 2. Non ero neque in consilio, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. 3, Consilium, quod mihi, aut per se, aut per litteras, aut per Nuncium manifestabit, ad eius damnum nemini pan-*

oleo caput, et manus undique unguntur ad plenitudinem Sacerdotii designandam. *Baculus* pastoralis benedicitur a parte superiori curvus (1), ut indicet Episcopum se curvare ad inspiciendos, extirpandosque pravos populi mores; acutus ab inferiori, quo subditos pungere desides possit, atque impellere ad semitam mandatorum Domini percurrendam. *Annulus* quoque benedictus traditur in fidei signaculum, quam debet sponsae illibatam custodire. Liber *Evangeliorum* scapulis consecrati primo superimponitur, deinde in manus traditur ad onus, et potestatem praedicationis indicandum. Post Missae sacrificium a consecrato una cum consecratore peractum, in quo uterque de una, eademque hostia, et calice communicant; benedicitur *mitra* (2), capitique imponitur Consecrati in galeam salutis, cuius pars anterior novum, posterior vetus designat Testamentum, ut cornibus utriusque Testamenti lucidis fulgens deterreat adversarios veritatis. *Chirotecis* item benedictis manus induuntur, ut novi hominis munditia circundatus appareat, Deique patris benedictione auctus ad similitudinem Iacob (3). Praeterea σταυρον ἐγκολπιον, idest crucem pectoralem parvam e collo pendentem accipiunt, quam omnes Episcopi consueverunt a priscis saeculi gestare quum intra Ecclesiam una cum sacris pontificalibus ornamentis, tum extra

dam. 4, Papatum S. Romanae Ecclesiae, et regulas SS. Patrum adiutor ero ad defendendum, et retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines. 5, Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. 6. Legatum apostolicae Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. 7, Limina Apostolorum singulis annis (nunc triennii) aut per me, aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Evangelia. Hisce posterior aetas duos alios addidit articulos. Scilicet *8, de observandis decretis, reservationibus, et mandatis Sedis Apostolicae.* Et *9, de bonis suae episcopalis mensae non alienandis.* Suam his legibus Romanae Sedi obstringunt Episcopi fidem ad unitatem catholicae Ecclesiae servandam, pacemque fovendam.

(1) Curvato Episcoporum baculo limitatam designari iurisdictionem, quem ideo erectum Papa defert, putat Germonius *de indult. Cardinal. §. episc. num. 25.*

(2) Eandem olim fuisse breviorem, commonstrant pictae, vel scriptae priscorum Episcoporum imagines, et *sensim sine sensu* ad hodiernam formam aequo longiorem excrevisse, commonet scitissime Alex. Symm. Mazochius noster in *lib. de sanctor. Neap. eccl. Episcop. cultu part. 3. cap. 15. sect. 3. num. 2.*

(3) Videsis decretalem Innocentii III. in *cap. cum venisset de sacra unctione*, ibique Gonzalez. *Novem sunt ornamenta sacra pontificum* (ait Innocentius idem III. *lib. 1. myster. Missae cap. 10.*) idest Episcoporum, *videlicet caligae, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotecae, annulus et baculus.* Idemque *annulus est fidei sacramentum*, ait ibidem *cap. 61., in quo Christus sponsam suam sanctam Ecclesiam subharravit, ut ipse de se dicere valeat*: annulo suo subharravit me Dominus meus. *Datur annulus*, praedocuit S. Isidorus *lib. 1. de eccles. offic. cap. 5, propter signum pontificalis honoris, ut signaculum secretorum.* Propterea Innocentius III. in conc. Later. IV. vetuit clericis generatim ferre annulos, *nisi quibus competat ex officio dignitatis*, nimirum Episcopis.

eam ubique (1). Eos ideo σταυροπατας fuisse in concilio Constantinopolitano appellatos notat Cironius (2).

XIII. Tantus autem honor consecrationi debetur, ut quotannis commemoratio diei anniversariae consecrationis proprii Episcopi fiat in singulis dioecesibus (3), quemadmodum et Papae in universis per orbem Ecclesiis.

TIT. XXI.

De Papae electione et electoribus.

I. Post SS. Linum, Cletum, et Clementem a B. Petro sibi successores designatos Clerus, populusque Romanus olim consueverunt Papam eligere.

II. Gothi principes electionibus Summorum Pontificum se immiscuerunt.

III. Necessitas inde irrepsit sensim postulandi adsensus Regis, vel Imperatoris, ut electus Pontifex posset consecrationem, possessionemque Apostolicae Sedis accipere.

IV. Pro eoque adsensu persolvere tam Regibus Gothis, quam Graecis Imperatoribus tria aureorum millia cogebantur electi.

V. Nono, et decimo saeculo electiones Pontificum, vel Imperatorum

(1) S. Gregorius Nazianzenus in *carmine ad avertendos a se daemones* haec habet. *Cede, ne te* Cruce, *ad quam omnia contremiscunt, feriam.* Crucem *in membris meis fero, crucem in* incessu, *crucem in* pectore, *in Cruce demum omnis gloria mea sita est.* S. Ioannes Chrysostomus in *cap. 3. ep. ad Philipp. Cum sis*, ait, *Crucis inimicus, gestas Crucem?* Nicephorus Patriarcha item Constantinop. anno 806. Crucem eiusmodi pectoralem Leoni III. Summo Pontifici dono mittens, *symbolum mediatricis inter nos dilectionis*, ait, *misimus fraternae vestrae beatitudini* encolpium *aureum, cuius una facie cristallum inclusam, altera picto nigello, et intus habet alterum encolpium, in quo sunt partes honorandi ligni in figura Crucis positae.* Extat Nicephori epistola ad Leonem in actis Conc. Ephesini. Rothaldus Episcopus Suessionensis (in *appellat.* ad Nicolaum I, electum anno 858, Pontificem, *in bibliotheca Patrum to. 3.*, et apud August. Fivizanium *lib. 2. de ritu praeferendae Crucis Rom. Pontif. cap. 7.*) *annui ego*, inquit, *et ad locum, quo me ducebant, transivi* sacerdotalibus *vestitus indumentis, et lignum* S. Crucis *circa mea* pectora *gerens.* Octava synodus an. 869., encolpium *accipiebant*, ait, *ut dignitate episcopale potirentur.* Innoc. III. *lib. 2. de mysteriis missae cap. 53.* putat Crucem hanc pontificalem successisse in locum aureae laminae, qua summi Pontificis frons in veteri testamento exornabatur. *Pro lamina*, inquit, *quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex iste gerit* crucem in pectore. *Nam mysterium, quod in quatuor litteris auri lamina continebat in quatuor partibus, forma* crucis *explicavit.* Ex Iacobo Gretsero *de Cruce Christi to. 1 lib. 2. cap. 34.*

(2) Ciron. in *paratit.* Decretal. *de auct. et usu pallii* circa fin. De ea loquitur Dominicus Macri in *hierolexico* verbo *encolpium.*

(3) *Can. solemnitates 16. de consecr. dist. 1.* Reum saltem unum e carceribus liberari olim eo consecrationis die, testatur Ivo Carnotensis *ep. 53*, et Surius *in vita S. Aniani die 17. Novem. to. 6*, qui dies dicebatur *natalis episcopatus*, quemadmodum et *natalis imperii*, apud Tacitum *anal. 6*, et Spartianum *in Hadriano.*

voluntati, vel tyrannorum potentiae succubuere saepius, in libertatem Cleri, et populi raro vindicatae.

VI. Subsecutis deinde saeculis Cardinalium dignitas ita praevaluit in eligendo Pontifice, ut imperialis, regiusque adsensus omnino exoleverit.

VII. Singuli tum Reges vindicarunt sibi ius excludendi, seu praenunciandi Cardinalium collegio aliquem sibimetipsis infensum, et suspectum Cardinalem, cuius futuram electionem ita prorsus impediunt, gestam secus.

VIII. Saeculo XI. Nicolaus II. Cardinalibus quum Episcopis, tum clericis electionem Papae addixit, reliquo Clero, et populo consensum posteriorem; eamque nonnisi duabus partibus Cardinalium concordibus perfici statuit Alexander III.

IX. Singuli Cardinalium quavis censura etiam irretiti ius habent suffragii, praeterquam non promoti ad sacrum diaconatus ordinem, et absentes a conclave.

X. Non alium, nisi unum ex semetipsis Cardinales Pontificem nunc eligunt.

XI. Quae in ceteris Episcopis qualitates exiguntur, eas in summo Pontifice oportet magis fulgere.

XII. Electionem rite conclusam concordibus suffragiis duarum ex tribus partium infirmare, aut eludere nulla ex causa licet nemini.

XIII. Praeterquam ob simoniae crimen in ea, quod absit, admissum.

XIV. Ambientes Papatum, seu Papa vivente, eoque inconsulto, de eligendo successore tractantes ipso iure excommunicationem incurrunt, et privantur quum beneficiis, et officiis, tum voce activa, et passiva.

XV. Ubi mors Papae contigerit, eiusque audientia resideat, in ea urbe, vel territorio debent Cardinales post decem dies conclave ingredi ad electionem successoris peragendam.

XVI. Primam legem de Pontifice in clausura conclavis eligendo tulit Gregorius X. in quindecim articulos distributam.

XVII. Ipsamque firmavit Clemens V., aliis ei superadditis articulis.

XVIII. Plures exinde constitutiones Pontificum eam ipsam innovando alicubi variarunt, et exposuerunt uberius.

XIX. Quod novendiales Pontificis exequiae celebrantur, tres Cardinales cuiusque ordinis antiquiores cum Camerario reliquos Cardinales ad expedienda negotia congregant.

XX. Graviora quidem Congregatio generalis Cardinalium, leviora triumviri eorum definiunt.

XXI. Quae ad Papae iurisdictionem spectant, ac status regimen(, in iis Collegium Cardinalium Sede vacante innovare nil potest.

XXII. Datariae, et Signaturae, et Papae Auditoris officia conquiescunt. Pendentes duntaxat coram Papae Auditore citationes, et recursus Auditor Signaturae vix expedit.

XXIII. Vicarii officium persistit, quod vicesgerens, ubi vacaverit, administrat.

XXIV. Ecclesiarum inferiorum necessitatibus gravissimis moram non patientibus providet interim S. Collegium.

XXV. Camerarius, et Poenitentiarius, eorumque officiales munera sua non intermittunt, alterutrius, vel utriusque deficientis vices aliis obeundas interim S. Collegium demandat.

XXVI. In provinciis prolegati absentium legatorum Cardinalium titulo, ac stemmate in publicis actis utuntur.

XXVII. De pecuniis Camerae, ac Datariae S. Collegium disponendi ius nullum habet generatim, nec de frumentorum extractione.

XXVIII. Vix necessarias imperat expensas pro funere Pontificis decem millia ducatorum non excessuras.

XXIX. Pro victu insuper familiae pontificiae, et pauperum officialium, et consuetis eleemosynis.

XXX. Pro defensione terrarum, congiario, et stipendio magistratuum, et custodum.

XXXI. De his Thesaurarius expensis rationem novo Pontifici reddit.

XXXII. Stipendia conclavistarum, aliorumque intra, et extra inservientium limitavit singulatim Clemens XII.

XXXIII. Quidquid etiam opus in gravi periculo Urbis, vel Status erit, ex sententia duarum S. Collegii partium fas est insuper impendere.

XXXIV. Primo die post Pontificis obitum in generali Congregatione Cardinales audiunt, et iurant pontificias constitutiones in eligendo Successore observaturos, sigilla eius frangunt, gubernatorem Urbis eligunt, aliquot ipsorum operi conclavis praeficiunt, et funus deducunt.

XXXV. Secundo ministros, et officiales confirmant, qui alias confirmati ipso iure praesumuntur, Urbis conservatores audiunt, et praefectos conclavis.

XXXVI. Tertio confessarium conclavis eligunt, et sepulturae tradunt cadaver pontificium.

XXXVII. Quarto, et quinto medicos, chirurgum, aromatarium, barbitonsores conclavis destinant.

XXXVIII. Sexto cellas conclavis sorte distribuunt, et indulta magistrorum coerimoniarum inspiciunt.

XXXIX. Septimo de tertiis conclavistis iudicant, et scoparios deputant.

XL. Octavo Cardinales duos eligunt ad inquirendum, et probandum qualitates conclavistarum.

XLI. Nono tres alios Cardinales praeficiunt custodiae, et curae conclavis.

XLII. Decimo indulta Cardinalium, qui sacros Ordines non susceperint, disquirunt, destinantque caementarium, et lignarium.

XLIII. Undecimo ad clausuram conclavis ritu solemni procedunt, relectasque inibi constitutiones apostolicas iurant iterum observaturos, et concionem Decani audiunt.

XLIV. Binos ex annotinis familiaribus conclavistas ducunt secum singuli Cardinales, tertius vix infirmis urgente necessitate indulgetur.

XLV. Praeter alios plures communibus eorum commodis spirituali-

bus, et corporeis inservituros. Extraneus quilibet, nonnisi causa urgente, ac nutu maioris partis S. Collegii admittitur.

XLVI. Cuilibet conclavistarum, et servientium infirmitatis causa semel egresso redire in conclave non licet amplius.

XLVII. Quivis alius aliter introductus cum infamia expellitur, poenasque multas luit

XLVIII. Ne quis in conclave clausus colloquium, et commercium litterarum, nunciorum, signorum habeat cum extraneis. Praefecti clausurae debent cum aliis executoribus, curare.

XLIX. Neque scrutinia quotidie bina exterius nunciari patiantur.

L. Nec moram cuiusque contiguam parietibus conclavis, nec foramina muris, parietibus, laquearibus.

LI. Nec arma, vel stemmata cuiuslibet Cardinalis alibi, quam in propria cuiusque cella, neque occupationem vacuarum cellarum.

LII. In prandio, et coena Cardinalibus ferculum unum, vel carnium, vel piscium cum uno potagio, et salsamentis, praeter carnes salitas, herbas crudas, caseum, fructus, seu dulciaria quotidie nunc ita indulgetur, ut nemo in aliena cella, vel alterius ferculo vescatur.

LIII. In lectis dum quiescunt, simplices cortinas adhibent.

LIV. Electio Papae rata erit, si primo etiam die in conclave clauso rite fiat secreto schedularum scrutinio, vel per unanime compromissum, vel per inspirationem.

LV. Vox electi per scrutinium, vel accessum in duabus tertiis partibus suffragiorum non numeratur.

LVI. Publicari omnia suffragia semper oportet, et ea si duas tantum partes attingerint, schedulas tunc etiam aperiri.

LVII. Si duos paria suffragia duarum partium nominaverint, neutrius electionem concludunt: imparibus at suffragiis electus censetur, cui numerus maior suffragatur.

LVIII. In quolibet scrutinio singuli Cardinales iurant idoneum electuros.

LIX. Schedulae suffragiorum, vel typis impressae, vel unius manu scriptae continent in parte interiori nomen eligentis sigillo coelandum, in altera nomen electi duobus claudendum signis peculiaribus, et diversis.

LX. Haec duo signa post perfectam scrutinio, et accessu electionem referantur.

LXI. Si nulla scrutinii schedula praeseferat signa duobus signis schedulae accessus aequalia, aut si quis ei, quem nominasset in scrutinio, accesserit: suffragium accessus nullum erit. Nomen eligentis nunquam, nisi ubi necessitas urgeat, resignatur.

LXII. Schedulae scrutinii secreto conficiuntur in capella conclavis.

LXIII. Quemadmodum et schedulae accessus, quoties publicato scrutinio appareat electio duarum partium suffragiis non celebrata.

LXIV. Suffragium, quo plures nominantur, nullum est.

LXV. Post singula scrutinia singuli fiunt accessus, at nemini licet recedere a nominatione alterius in scrutinio facta.

LXVI. Si quando plures Cardinalibus praesentibus schedulae vel scrutinii, vel accessus fuerint, antequam aperiantur, numerandae: comburi cunctas oportet, iterumque suffragia inire.

LXVII. Aliter his in rebus agentes excommunicationem ipso facto incurrunt.

LXVIII. Schedulam, seu suffragium infirmi Cardinalis in cella ipsius rite confectam, et obsignatam accipiunt tres Cardinales sorte delecti, atque ad scrutatores in capella deferunt.

LXIX. Tres scrutatores, totidemque ad infirmorum schedulas deferendas deputati ante quodlibet scrutinium sorte extrahuntur, finitoque scrutinio, et accessu, palam schedulae omnes comburuntur.

LXX. Bina singulis diebus scrutinia fiunt, alterum mane post solitam Missam, pomeridianis horis alterum, ter ante campanula de more pulsata.

LXXI. Pactiones, et promissiones quaelibet Cardinalibus interdictae sub poena excommunicationis nullius momenti sunt.

LXXII. Electio aliter facta, quam in conclavi a duabus praesentium Cardinalium partibus per scrutinium, vel accessum, aut per unanime omnium compromissum, aut per inspirationem una omnium voce, nullum omnino ius nominato quaerit.

LXXIII. Contra eiusmodi statuta nil agere S. Collegio quavis causa licet: eaque ut observentur adamussim, cura triumviris cum Camerario demandata est.

LXXIV. Partium studia, privata commoda, mundanos respectus procul esse ab Electoribus oportet, Deum solum, et publicam Ecclesiae utilitatem spectaturis.

LXXV. Conclavistas pluribus gratiis, et privilegiis remunerare Clemens VIII. incoepit.

LXXVI. Quae ad articulos decem rediguntur.

LXXVII. A Paulo V. ampliata.

LXXVIII. Plus etiam ab Urbano VIII.

LXXIX. Tum a Clemente XII.

LXXX. Eaque ad dapiferos quoque extenderunt iidem Urbanus, et Clemens.

I. Inconstantia, et mutabilitas temporis perinde Romanorum Pontificum, atque aliorum Orbis Antistitum invasit electionem. Sanctos *Linum*, et *Cletum*, et *Anacletum*, ipse sibi divus Petrus coadiutores adscivisse fertur, illum intra Urbem, hunc extra: praeterea divum *Clementem* sibi Successorem designasse. Clemens vero primum Lino post Petri martyrium, deinde Clero (ambobus ab Ecclesia proclamatis), inspirante Deo, pontificatum ultro dimisisse, is ne futuris Pontificibus auctor designandi Successoris esset exemplo, si unius arbitrio Decessoris tantam assumeret dignitatem: quam denique post utriusque obitum votis Ecclesiae adeptus est (1). *B. Cornelii* Papae electionem quemadmodum a Clero,

(1) N. Alexand. in *hist. saec. I. diss. 14. prop. 2.*

populoque Romano rite gestam tradit B. Cyprianus (1), schismaticam Novatiani ordinationem refellens : ita et aliorum quoque Pontificum fuisse martyrum aevo celebratam ipse indicat. Posterioribus autem saeculis populum, et senatores, militesque una cum Clero eligendis Pontificibus adfuisse patefaciunt monumenta frequentiora.

II. Gothi Italiae Reges adorti sunt electionibus eiusmodi se immiscere (2). Vices agens Regis Odoacris Basilius ad seditiones vitandas edixit postremo Simplicii Papae anno, ne sine regia consultatione Papa eligeretur (3). Mortuoque Simplicio iam adfuit electioni Felicis III. anno 483. una cum Clero Basilius ipse, Praefectus Praetorio (4). Felicem IV., alias III. Castorii filium, Rex Theodoricus anno 526. eligendum Romano senatui iussit (5), vel praevisas eliminandi gratia turbas, vel Odoacris exemplum sectandi ex coniectura Baronii. Atalaricus ad Ioannem II. edictum dedit anno circiter 532., de electionibus Episcoporum simoniacis, et ambitiosis proscribendis, quod pertinuit nedum ad Romani Pontificis electionem, sed etiam ad universos Patriarchas, ac metropolitanas Ecclesias (6). Idemque Ioannes II. studium Iustiniani Imperatoris in rebus ecclesiasticae disciplinae collaudasse fertur (7). Iussione Bellisarii, seu verius Theodorae Augustae intrusus, vivente adhuc Papa Silverio, Vigilius denuo electus eo defuncto est (8).

III. Istiusmodi praeludia necessitatem regii, vel imperialis adsensus invexerunt, sine quo nec munus consecrationis, neque Sedis possessionem obtinebant electi. Pelagius II. propter obsessam a Longobardis Urbem anno 578. vix consecratus, non expectata Imperatoris Tib. Constantini iussione (9). At divus Gregorius M. Pelagii Successor pontificiam Cathedram nonnisi post Imperatoris Mauritii adsensum ascendit anno 590, quem Praefectus Urbis more antiquissimo postulavit, interceptis

(1) *Can. factus est 5. C. VII. qu. 1;* ex *ep.* ad Antonianum in superiori *tit.* XIX. laudata *num. 5.*

(2) Grotius in *prolegom. ad hist. Gothor.* fert, quod Reges Gothorum quum catholici tum Ariani *semper Episcoporum electiones in sua potestate habuere.* Id autem in huius Regni neapolitani provinciis non usurpatum observat Auctor *hist. civ. lib. 3. cap. 6. §. 3*, praeterquam ius ab Impp. Orientis, et Occidentis ea in re exercitum.

(3) Id Basilium edixisse *admonitione beatissimi Papae Simplicii*, Gratianus habet in *can. bene quidem 1. dist. 96* At vero talem admonitionem a schismaticis, qui Symmachi electionem turbarunt, confictam putat Baronius *in annal.*

(4) Conc. Roman. sub Symmacho *can.* 12.

(5) Apud Cassiodorum *lib. 8. ep. 15.*, Atalaricus Rex Senatui Romano scribens gratulatur eum avo suo Theodorico obsequutum in electione summi Sacerdotis fuisse.

(6) Ex Cassiodoro *lib. 9. cap. 15.*

(7) Io. II. *ep.* ad Imp. Iustinianum in *l. inter claras 8. C. de sum. Trinit. et fid. cathol.* At dubitant de huius epistolae veritate Hotmann. *lib. 1. obs. 7. cap. 2.* Alciat. *lib. 5. cap. 23.* et Cuiac. *obs. 32. cap. 26.* Fachineus eam putat genuinam *lib. 8. contr. cap. 1.*

(8) Liberatus *in breviar. cap. 22.*, Murat. *annal. to. 6. ad an. 537., et 538.*

(9) Anastasius *in vita Pelagii II.*

ipsius Gregorii litteris Caesarem enixe exorantis, ipsum ut tanto eximeret onere, electionemque dissensu suo faceret irritam (1).

IV. Ad Principis adsensum accessit gravis indictio termillium auri solidorum, quos nedum Gothis Regibus, sed graecis etiam Imperatoribus persolvere ante consecrationem suam adigebantur electi Pontifices (2), quoadusque Imperator Constantinus Pogonatus exactionem adeo turpem omnino abolevit anno 681 (3): salvo tamen curiae imperialis adsensu, quem electi debuerunt ante consecrationis munus postulare. Idemque postremo imperii sui anno 684. indulsit Clero, populo, et exercitui Romano, ut Pontifex ab eis electus illico sine imperiali adsensu consecraretur, ne vacatio Ecclesiae fieret diuturnior. Verum paullo post anno 686. Exarchis Italiae facultatem pro imperiali Curia electionibus summorum Pontificum adsentiendi demandavit Iustinianus II. Imperator, revocato patris sui indulto; eaque illos exinde usos, observat cum Baronio Muratorius (4), ostenditque liber diurnus Romanorum Pontificum (5).

V. Frequentes hinc eligentium turbae, hinc explorata Principum religio in causa fuere, ut Pontifices ipsi aliquando piissimis Imperatoribus vel electionem, vel electionis confirmationem ultro concederent. Hadrianus I. ex communi sententia synodi Lateranensis ineunte IX. saeculo potestatem eligendi Pontificem, et Apostolicam ordinandi Sedem Carolo M. contradixit (6). Sed Ludovicus I. Caroli M. filius se omni iure in electione Pontificis Romani exuens indulsit, ut omnes Romani concorditer eam celebrarent, electusque more canonico consecraretur extemplo (7). Idipsum pactis conventis firmarunt cum Leone IV. Lotharius, et Ludovicus Augusti (8). Inde Hadrianus II. electus est, Missis Ludovici II. Imperatoris, qui praesentes in urbe aderant, nequaquam invitatis (9). Stephanus VI; vel Ioannes IX. exeunte saeculo IX. antiquum morem, qui desierat, in usum revocavit, quum adsensus imperialis, tum pecuniae solvendae ante consecrationem (10), ut vio-

(1) Io. Diaconus *in vita S. Greg. lib. 1. cap. 40.*
(2) *Can. Agatho 2., et can. quia 28. dist. 63.*
(3) Anastas. bibliothec. *in Agathone.*
(4) *To. 4. annal. Ital. ad an. 686.*
(5) Ab Io. Garnerio Soc. Iesu editus, in cuius libri *cap. 2. tit. 4.* extant formulae epistolarum *de electione Pontificis ad Exarchum.*
(6) *Can. Hadrianus. 22. dist. 63.* (7) *Can. ego Ludovicus 30. dist. 63.*
(8) *Can. inter nos 31. eod dist.* — (9) *Cum Hadrianus 29. eod. dist.*
(10) *Can. quia sancta 28. dist. 63.* — Canonem hunc Stephano Papae inscribit Gratianus. Baronius ad annum 816. eundem referens tribuit Stephano IV. Pagius Stephano VI., qui sedere caepit anno 897. *Quia sancta Romana Ecclesia* (sunt canonis verba) *a pluribus patitur violentias Pontifice obeunte, quae ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia Pontificis fit consecratio: nec canonico ritu, et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala fieri vetent: volumus, ut cum instituendus est Pontifex, convenientibus Episcopis, et universo Clero eligatur, praesente Senatu, et populo, qui ordinandus est: et sic ab omnibus electus praesentibus legatis imperialibus consecretur; nullusque sine periculo sui iuramenta, vel promissiones aliquas nova adinventione audeat extorquere, nisi quae antiqua exigit consuetudo, ne vel*

lentias obeunte Pontifice, quas semel in electione Formosi anno 891., et iterum in electione Ioannis IX. anno 895. perpessa iam fuerat ex iterato Sergii presbyteri schismate, in posterum ne pateretur Ecclesia. Saeculo X. nefariis etiam tyrannis utriusque sexus Roma succubuit. Sergius III. armis, et potentia Adelberti Marchionis Tusciae fretus pontificiam Sedem quum invasisset anno 908., accedente mox Ecclesiae consensu, legitimus Pontifex fuit. Stephanus IX. Othonis Regis voluntate ac studio electus anno 939. Ioannes XII. Alberici tyranni filius annos vix octodecim natus ad thronum pontificium anno 956. paterna potestate, et subsecuto Ecclesiae consensu provectus est. Eoque mortuo anno 964. Benedictus V. electus canonice, ordinatusque Pontifex est inscio Imperatore, qui Leonem VIII. antipapam in Petri Sedem intrusit, deiecto in exilium Benedicto (1). Henricus I, et Otho I. Missos imperiales adesse in electione Romani Pontificis omnino prohibuerunt (2). Ad primaevum tamen ius redire idemmet Otho I. studuit ex decreto synodico iamdicti antipapae Leonis VIII: qui exemplo Hadriani Papae erga Carolum Regem Francorum cum Clero, populoque Romano concessit, et confirmavit Othoni I. Regi Theutonicorum, eiusque successoribus Italiae regibus facultatem eligendi Pontificem Romanum, et dandi investituram Archiepiscopis, et Episcopis: *et ut nemo deinceps eligendi, vel patricium, vel Pontificem summae Sedis Apostolicae, aut quemcumque Episcopum ordinandi habeat facultatem, absque* consensu *ipsius Imperatoris; quod tamen fiat absque omni* pecunia (3). Mortuo Benedicto V., dum exul Hamburgi esset, et pseudo-Leone VIII., Romani duos legatos ad Othonem I. miserunt, Azonem protoarchivistam, et Marinum Episcopum Sutrinum pro eo, quem vellet Imperator, instituendo Romano Pontifice: iisque regressis, *tunc ab omni plebe Romana* Ioannes XIII. *Narniensis Episcopus eligitur, Sedique Apostolicae Pontifex inthronizatur, anno 967.*, ait continuator Reginonis *in chronico* (4). Tum anno 984 archicancellarius Othonis Imperatoris Episcopus Parisiensis electus est Ioannes XIV. Dein placuit eidem Othoni consanguineum suum Brunonem, qui fuit Gregorius V., ad summum pontificatum promovere anno 996., eiusque pariter successorem anno 999. Silvestrum II., praeceptorem suum, qui dicebatur antea Girbertus Archiepiscopus Rhemensis (5).

VI. Saeculo XI., ut Cardinalium electio praevaluit, ita decrescere adsensus imperialis auctoritas visa est. Nicolaus II. anno 1059. in concilio Lateranensi (6) eligendum decrevit Pontificem in urbe Roma a

Ecclesia scandalizetur, vel imperialis honorificentia minuatur. Quidquid sit de inscriptione Gratianaea, id procul dubio constitutum ipsissimis verbis a Ioanne IX. in concilio Romano anno 868. legitur *to. 9. concil. Collect. Labbeanae.*

(1) De his omnibus videsis N. Alexandr. in *hist. saec. IX.*, *et X. art. 17.*, *et seq.*—(2) Ex *can. constitutio 32. dist. 63.*

(3) Ex *can. in synodo 23. dist. 63.*

(4) Id etiam enarrat N. Alexander *loc. cit. art. 26.*

(5) Idem *loc. cit. art. 26.*

(6) *Cap. in nomine 1. dist. 23.*, Labbè eodem *to. 9. concil. pag. 1099*, Murat. *to. 6. annal. ad. an. 1059.*

Cardinalibus principaliter, tum a reliquo Clero et populo, *salvo* (ait) *debito honore, et reverentia dilecti filii nostri Henrici* (Regis tunc IV., postea Imperatoris III.) *sicut iam sibi concessimus, et Successoribus illius, qui ab Apostolica Sede eius personaliter hoc ius impetraverint.* Verum post Nicolai obitum Alexander II., inscio Henrico Romanorum Rege, electus, et consecratus est, quum aegre tulissent Cardinales, inter quos celeberrimus Ildebrandus, suum ipsorum nuntium ab Rege spretum. Exinde ad haec usque tempora praetermissus omnino est regius, imperialisque adsensus quum in eligendis, tum consecrandis Pontificibus (1).

VII. Supremi tamen Principes, quos sibi infensos ex Cardinalibus habeant, sacro denunciare nunc solent Collegio ipsorum, suntque ita impedimento, quominus ii eligantur in Pontificem. De *regiarum exclusionum*, quas vocant, vi, et iure disceptatum acerrime inter Cardinales de Lugo, et Albitium. Eas hic refellere ideo studuit, quod libertati eligentium adversari putaret, iniuriam facere dignioribus eligendis, exclusorum famam laedere, laicaeque potestatis arbitrio rem ecclesiasticam subiicere. Contra earum ille propugnator existimavit e vetusto populi iure eas ipsas profluere, sacrisque non repugnare canonibus: quum nec electoribus libertatem adimant, neque irritam faciant electionem exclusi, sed solummodo electores praemoneant procellas ex discordia Pontificis infensi cum Regibus futuras. Addit ius privatorum, qui excluduntur, non modo incertum, futurumque, sed certum etiam, et quaesitum debere publico pacis bono cedere, sola Principis suspicione, odioque famam non maculari eorum, qui virtutibus reapse praefulgeant; tandem brachiis Principum saecularium propitiis communiri adversus schismata Romanam Ecclesiam. Quidquid sit de hoc iure, quod doctiores definiant, sacrum Collegium re quidem ipsa consuevit hactenus regiis exclusionibus deferre.

VIII. S. R. E. Cardinalibus praerogativam eligendi Pontificem quum concessisset anno 1049. Nicolaus II. in praelaudata synodo Lateranensi, et vix consensum novae electioni accessurum reliquis de Clero, et populo reservasset (2): mox Alexander III. in synodo Lateranensi III. anno 1179. speciatim statuit duabus partibus Cardinalium concordibus electionem perfici, electumque sine ulla exceptione ab universa Ecclesia Romanum Pontificem, spreto tertiae partis dissensu, habendum esse (3). eorum scilicet, qui una praesentes in conclavi adsint.

(1) Murat. *ibidem ad an. 1061.*

(2) *Can. in nomine Domini 1. dist. 23. Obeunte Romanae universalis Ecclesiae Pontifice in primis* (Nicolaus decrevit) *Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant: sicque reliquus Clerus, et populus ad consensum novae electionis accedat. Et ideo religiosissimi viri praeduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces.* Idem habetur ex epistola synodica eiusdem Nic. II. in *can. si quis 1. dist. 79.*

(3) *Cap. licet 6. de electione.* Antea Symmachus Papa in synodo Romano anno 499. decreverat, ut vinceret sententia plurimorum, ubi dissidia essent in votis eligentium, *can. si transitus 10. dist. 79.*

IX. Absentes a conclave nullum suffragii ius habere in electione Pontificis, patet ex Gregorii V. (1), aliorumque Pontificum constitutionibus. Ne quis vero Cardinalium praetextu cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti a novi Pontificis electione unquam excluderetur, Clemens V. decrevit in concilio Viennensi (2). Pius IV., *ne dissensionis occasio*, ait, *aut schismatis oriatur: volumus excommunicationum, et aliarum quarumcumque censurarum praetextu, Cardinales a Pontificis electione activa, vel passiva excludi nullo modo posse; quas quidem excommunicationes, et censuras ad electionis effectum tantum (illis alias in suo robore permansuris) suspensas esse volumus, et declaramus. Decernentes quoque excommunicationes, et censuras ipsas eam solum afficere, qui deliquerit; non autem alios conclavi durante cum eo conversantes* (3). Idipsum iisdem verbis firmavit, et constituit Gregorius XV. (4). Si quis vero Cardinalium in *diaconatus ordine* saltem constitutus non sit, eum nullatenus ad eligendum admitti, Pius IV. decrevit (5). Creatis in secreto concistorio Cardinalibus, quoadusque insignia consueta, praesentes nimirum in Curia rubrum galerum, tituli assignationem, annulumque digito immissum, absentes vero missum a Pontifice galerum, rite acciperent, aut saltem in generali Concistorio pronunciarentur, nullum ius, nec titulum, nec nomen huiusce dignitatis quaesitum esse: nec vocem activam, vel passivam in electione Romani Pontificis, nisi ei os apertum antea fuerit in generali Concistorio, statuit Eugenius IV. (6). At S. Pius V. fertur die 26. Ianuarii 1571. decrevisse Cardinales, etiamsi galerus ipsis non traditus, neque clausum os eis apertum rite sit, vocem in eligendo Pontifice habere.

X. Non alio ex ordine, nisi ex sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus etiam presbyteris, aut diaconis ad supremum Pontificatus culmen esse promovendos, decrevit Stephanus III. (7). Nicolaus II. itidem de ipsius Ecclesiae gremio, vel ex alia, nisi in ea reperiantur idonei, assumendos constituit (8). Permultos vero extra ordinem Cardinalium, Clerique Romani aliunde ad divi Petri solium nedum anteactis, sed subsecutis etiam saeculis adscitos monent res gestae (9),

(1) Greg. X. *cap. ubi periculum 3. de elect. in VI.*
(2) Clementina *ne Romani 2. de electione.*
(3) Pius IV. in *const. eligendis 63.* §. *29., to. 1.* Bullarii.
(4) Greg. XV. in *const. aeterni patris 13.* §. *22. to 3.* Bullarii.
(5) Pius IV. *loc. cit.* §. *25.*
(6) Eug. IV. in *const. in eminenti 1. to. 1.* Bull.
(7) In Romana synodo anno 769. *act. 3.* in *can. 3.*, 4., *et 5.*, *dist. 79.*
(8) *In Cit. can. 1. dist 23.*
(9) Ut vetustiores ante Constantini M. imperium sileam; ex *Graecis* electi sunt Zosimus anno 417, Theodorus I. anno 642., Ioannes VI. anno 691., Ioannes VII. anno 705., Zacharias anno 741. Ex *Dalmatiis* Ioannes IV. anno 640. Ex *Syris* Ioannes V. anno 685, Sergius I anno 687, Sisinnius, et Constantinus anno 708, Gregorius III. anno 731. Ex *Afris* Melchiades anno 311. Gelasius I. anno 492. Ex *Thracibus* Conon anno 686. Ex *Sardis* Hilarius anno 461., et Symmachus anno 498. Ex Hispanis, Gallis, Germanis, et Italis multo plures: qui decretum Stephani III. de Romano praeferendo Clero praecesserunt.

usque ad Urbanum VI. anno 1378., quo ex tempore Papalis dignitas sacrum S. R. E. Card. Collegium non est amplius egressa. Xystus V. hoc de iure longaevis moribus firmato, ait: *Quum ex eorum corpore numero, et Collegio ille ipse, qui cunctis Pastoribus est praeficiendus, ac totius dominici gregis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono christiani populi optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero, et suffragiis bonorum deligetur: in hac sacra electione censendi sunt veri interpretes, atque internuntii voluntatis Dei, cuius spiritu, sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur, et regitur, ita maxime hoc totum huiusmodi electionis opus eiusdem afflatu, et instinctu absolvi certissimum est, atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspici possit, quanta in eis requiratur puritas, et sinceritas ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura, et factionum studiis aliena, quorum pectora, et voces templa, et organa futura sint Spiritus S., et ex quibus quasi seminibus is sit proditurus, in quem totius apostolicae potestatis plenitudo, Deo annuente, merito conferatur* (1).

XI. Quae de aetate, ac ceteris Episcoporum qualitatibus caverunt canones (2), ea vel maxime oportet in eligendis divi Petri Successoribus requirere. Tristis attamen erit cuivis cordato viro recordatio Benedicti XI., Ioannis XI., et XII., quorum primus ferme decennis adolescens, alter annos vigintiquatuor, tertius vix octodecim natus, turbulentis sunt electionibus ad supremam elati Sedem. Alios a moribus apostolicis degeneres saeculo praesertim decimo, quem merito plumbeum appellant, satius erit silentio praeterire. Dubitatum e rebus gestis aliquando est, an laicus in Pontificem eligatur valide? Ob pseudo Constantinum II., et pseudo Leonem VIII, Ecclesiae Romanae protoscriniarum, quos adhuc laicos schismatici antipapas creavere. II., an uxoratus? ob Petrum de Corbario, pseudo Nicolaum V., qui uxore invita ad Ordinem Minorum Conventualium quum transivisset, ab ea repetitus tempore dignitatis antipapalis, ut ad coniugium rediret, rite damnatus est sententia Reatini Episcopi. Uxoribus tamen vita functis fuisse ad Papatum promotos S. Fabianum, Hormisdam, Felicem III., Clementem IV. ferunt scriptores. III, an natu minor? ob electiones

Eo deinde spreto creati sunt Gregorius V., Othonis III. Imp. capellanus anno 996. Silvester II. Archiepiscopus Rhemensis anno 999. Clemens II. Episcopus Bambergensis anno 1046. Damasus II. Episcopus Brixiensis anno 1048. Leo IX. Tulli Leucorum Episcopus anno 1049: Victor II. Episcopus Eistatensis anno 1054. Nicolaus II. Episcopus Florentinus anno 1058. Alexander II. Episcopus Lucensis anno 1061. Calistus II. Archiepiscopus Viennensis anno 1119. Urbanus IV. Patriarcha Hierosolymitanus anno 1261. Gregorius X. archidiaconus Leodiensis anno 1271 Coelestinus V. eremita anno 1294. Clemens V. Archiepiscopus Burdigalensis anno 1305 Urbanus V. abbas S. Victoris Massiliae anno 1362. Postremo Urbanus VI. Archiepiscopus Bariensis anno 1378.

(1) Xystus V. *in const. postquam verus 50. §. 2. to. 2.* Bullarii.

(2) Apud Gratianum *dist.* 23., 25., 26., 34., 35., 36., 39. ad 49., et 81., *cap. cum in cunctis 7. de elect.*, et alibi sparsim.

Benedicti IV., Ioannis XI., et XII. paulo ante memoratas. IV., an possit compromissarius elector semetipsum eligere? adhuc quaerunt ii, qui id putant contigisse in creatione Ioannis XXII. (1): quod inficiantur alii (2). Hasce, aliasque id genus quaestiones, quas usus facit inanes, missas facio libenter.

XII. Id tamen observare par est, electionem semel rite factam concordibus suffragiis partis olim maioris, nunc duarum ex tribus partium adeo validam esse, immotamque, ut nullo unquam pacto nec irritari possit, neque infirmari. Electus sane quum nullius indigeat confirmatione superioris, nullumque Metropolitanum super se habeat (3), statim a Deo pontificiam ipso iure adipiscitur potestatem regendi Ecclesiam universam, antequam in throno iuxta consuetudinem thiara coronetur (4): et *absque ulla exceptione* Romanus Pontifex habendus est (5). Quique in eum insurgere sunt ausi, ut vel electionem vitio infringerent, vel electum personalibus exceptionibus per manifestam fere calumniam obiectis deturbarent, execrabilem schismatis, vel haeresis notam subivere. Hinc deplorat adhuc Ecclesia catholica triginta quinque, et amplius antipapas, pseudoque Pontifices, qui eam a primo Novatiani schismate usque ad postremum Amadaei Sabaudiae Ducis, pseudo Felicis V., turbarunt miserrime (6).

XIII. Si electores, aut electus crimen simoniae admiserint; electio-

(1) S. Antonin. *par. 3. chronici tit. 21. cap. 3.*, Io. Villani *lib. 9. cap. 79.*

(2) N. Alexander in *hist. saec. XIII., et XIV. art. 3. de Io. XXII.*

(3) Nic. I. in *can. 1. dist. 23.*, monet Cardinales Episcopos Metropolitani vice procul dubio in consecrando solum Summo Pontifice fungi, qui nullum supra se Metropolitanum habet.

(4) Idem Nicolaus I. ibidem: *postquam electio*, ait, *fuerit facta, si . . . is, qui electus est, in Apostolica Sede iuxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen, sicut verus Papa obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, et disponendi omnes facultates illius: quod B. Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognovimus.*

(5) Ex Conc. Lateran. III. sub Alexandro III. in *cap. licet 6. de electione.*

(6) Una ex causis hinc emergit, quae nos, quot numerentur legitimi Pontifices, faciunt incertos, Antipaparum scilicet inter eos insertio ob manifestum aliquando errorem, quandoque ob rei gestae obscuritatem. Puta Anacleti II, Benedicti X., et XIII., Bonifacii VI., et VII., Calixti III., Clementis III., VII., et VIII., Constantini II., Felicis II., et V., Gregorii VI., Honorii II., Ioannis VIII., XVI., et XX., Leonis VIII., Paschalis I., et III, Sergii III., Silvestri III., Theodori II., Victoris IV., et V.; ceterorum eiusdem notae. Altera causa incertum faciens numerum est controversa priorum Pontificum successio, et chronologia. Nonnulli porro cum Pagiis, auctorem libri *de vitis Pontificum* S. Damaso inscripti sequentes, duos, non unum fuisse Cletum, et Anacletum, illumque Lino, hunc Clementi subrogatum opinantur. Alii unum duplici nuncupatum nomine tenent, scilicet Cletum a S. Irenaeo, Tertulliano, Eusebio, et sanctis Epiphanio, et Hieronymo: Anacletum a sanctis Cypriano, Optato Milevitano, et Augustino. Accedit tertio praematura mors nonnullorum, qui aliquibus visi sunt Sedem non obtinuisse pontificiam, quod eam vel eodem electionis die vacuam, uti Gregorius XI., vel paucos post dies reliquerunt, uti Stephanus II. post triduum defunctus. Quarto, affinitas nominum inter Marinos duos, plures Martinos, ab aliis distinctos, ab aliis autem confusos.

nem ipso facto nullam, in electumque. uti haereticum agi posse declaravit Iulius II. (1). Defectus alii nullitatem liberae electionis inferre non videntur.

XIV. Contra ambientes Papatum, aut Papa vivente, eoque inconsulto, tractantes de eligendo futuro Pontifice, eorumque complices, et fautores, Paulus IV. primum innovat omnes, et singulas censuras, et poenas a Romanis Pontificibus, sacris conciliis, et sanctorum Pa-

(1) In const. *cum tam divino 3.*, edita 19. Kal. Febr. 1505., quam confirmavit synodus Lateranensis ab eodem Iulio II. celebrata die 16. Febr. 1512., *to. 1.* Bullarii. *Si quod Deus avertat*, Iulius ait, *contigerit electionem Romani Pontificis . . . per simoniacam haeresim in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiusque generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones, et obligationes commissam, per se, vel alium, seu alios quomodocumque, et qualitercumque etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium unanimi concordia quomodolibet, etiam per viam assumptionis unanimiter, nemine etiam discrepante: sive electio, vel assumptio eo ipso nulla existat, et nullam eidem sic electo, vel assumpto administrandi in spiritualibus, et temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum, vel assumptum de simoniaca labe a quocunque Cardinale, qui eidem electioni interfuerit. opponi, et excipi possit, sicut de vera, et indubitata haeresi, ita quod a nullo pro Romano Pontifice habeatur. Quumimo ipse sic electus a priori suo Cardinalatus, et alio quocunque honore, Ecclesiis cathedralibus etiam metropolitanis, et patriarchalibus, monasteriis, dignitatibus, et aliis quibuscumque beneficiis, et pensionibus, quae tum obtinebat in titulum, vel in commendam, aut alias quomodocumque, eo ipso absque alia declaratione privatus existat; et idem electus non* apostolicus, *sed* apostaticus, *et tanquam* simoniacus, et haeresiarca, *et ad praedicta omnia, et singula perpetuo inhabilis habeatur, et sit. 2, nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam ullo unquam tempore convalescat. 3, liceatque omnibus, et singulis Cardinalibus etiam illis, qui huic simoniacae electioni seu assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem et adorationem, seu obedientiam, ac etiam universo Clero, et populo Romano, nec non subditis, et S. Angeli de Urbe, ac quarumvis aliarum Romanae Ecclesiae arcium praefectis, castellanis, capitaniis, et aliis officialibus quocumque homagio, seu iuramento, vel cautione praestitis, non obstantibus a talis electi etiam inthronizati obedientia, et devotione impune, et quandocumque discedere (ipsis fidei Romanae Ecclesiae, et obedientiae futuri R. Pontificis canonice intrantis nihilominus adstrictis permanentibus) et eum, ut magum*, ethnicum, publicanum, haeresiarcam *evitare. 4, ad cuius quoque confusionem possint Cardinales, qui praefatae electioni se opponere voluerint, si praesumpserit se de regimine universalis Ecclesiae praetextu talis electionis ingerere, auxilium brachii saecularis contra eum implorare. Nec tales ab eius obedientia discedentes, tanquam tunicae Domini scissores, aliquarum propter dictum discessum poenarum, seu censurarum pulsioni subiaceant. 5.*, et 6, poenas eligentium simoniace, et complicium innovat, et ampliat. *7*, promissiones *quoque*, et obligationes *sive* sponsiones *propterea quandocumque etiam ante tempus dictae electionis, et extra personas Cardinalium per quoscumque alios quomodocumque factae cum quavis solemnitate, et forma etiam iuratae*, conditionales, *sive* eventuales, *et in forma* excommissarum *ex quacumque causa, etiam depositi, mutui, cambii, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuscumque contractus, etiam in ampliori forma Camerae apostolicae factae, sint* nullae, *et* in-

trum decretis sancitas, atque in usum revocat. Mox omnes, et singulos quavis dignitate, etiam cardinalitia praeditos, qui per se, vel alios, Romano Pontifice vivente, et inconsulto tractaverint de futuro Pontifice eligendo, ipso iure, ipsoque facto excommunicationem Romano tantum Pontifici reservatam incurrere sanxit, privationem beneficiorum, officiorumque, simul, et iacturam vocis activae, ac passivae, perpetuamque infamiam. Complices iisdem poenis obnoxios declarat, revelantibus autem quamvis complicibus veniam, et praemia pollicetur (1).

XV. In Urbe faciendam electionem praemonuit idem Nicolaus II., alio autem in loco congruo vix permisit, dum pravi, et iniqui homines, quominus rite, canoniceque in Urbe fieret, essent impedimento (2). Hinc defuncto Salerni B. Gregorio VII., anno 1085., Desiderius Abbas Cassinensis iam Cardinalis in urbe Roma electus Pontifex a sacro Cardinalium collegio, et Victor III. appellatus, mox dignitatem diu recusatam quum in synodo Capuana anno 1087. suo ipsius consensu firmasset, consecratus Romae inde fuit subsecuta post Ascensionem Dominica (3). Sed Gregorius X. in concilio Lugdunensi II., anno 1274. sanxit (4), ut in ipsa civitate, intra cuius territorium, puta dioecesim, mors Pontificis acciderit, aut si ea vel interdicta, vel Romanae Ecclesiae sit aperte rebellis, in alia viciniori Cardinales praesentes, postquam absentes decem dies expectaverint, in unum conclave undique clausum conveniant, singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis contenti, nisi cui patens necessitas duos indulgeri suaserit; ibique simul inhabitent, donec novum elegerint Pontificem: salvo tam absentibus iure ingrediendi conclave post decem dies re integra, quam egressis redeundi, iique omnes extra conclave nullum ius habeant suffragii. Profecto mortem Neapoli quum obivisset mense Decembris 1253. Innocentius IV. Corradini Regis pupilli tutor,

validae, *et ad agendum inefficaces, nullus illarum vigore cogi, vel constringi possit in iudicio, vel extra, licealque omnibus ab illis impune absque aliquo metu, sive periurii nota recedere.* (Idipsum firmat Pius IV. in *const.* in eligendis 63. §. 35.). 8., *et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni praedictae simoniacae interfuerint, et a praefato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui huiusmodi simoniacae electioni consenserunt, et postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se univerint, si secum eisdem unire voluerint, alioquin sine eis ad alterius Pontificis electionem non expectata alia sententia declaratoria simoniacae electionis huiusmodi, eadem tamen praesente nostra constitutione semper in suo robore permanente, libere alius tamen canonice devenire, et concilium etiam generale indicere, et convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire.* Hactenus Iulii II. constitutio.

(1) Paulus IV. in *const. cum secundum* 16., die 16. Dec. 1558., *to.* 1. Bull.

(2) Nicol. II. *can. 2. dist. 23. Si fieri in Urbe non possit electio*, ait, *Cardinales Episcopi cum religiosis clericis, catholicisque laicis, licet paucis ius potestatis obtineant eligere Apostolicae Sedis Pontificem, ubi congurere viderint.*

(3) Ex Leone Ostiensi *lib. 3. chronici Cassinensis.*

(4) *Cap. ubi periculum 3. de elect. in VI.*

Cardinales in hac ipsa urbe clausuram conclavis ingressi Alexandrum IV. die 21. eiusdem mensis rite iam elegerant (1). Cumque S. Coelestinus V. summo pontificatu se abdicasset heic Neapoli die 13. Decembris 1294, praesentes iterum in hac metropoli Cardinales Bonifacium VIII. canonica electione subrogarunt die 24. eiusdem mensis, dehinc Romam, invito licet Carolo Andegavensi, celeriter profectum, inibi coronarunt (2). Quoad Romana Sedes Apostolica in Gallias a Clemente V. translata inibi stetit (3): eo ibidem defuncto Ioannes XXII. Lugduni, eiusque Successores Benedictus XII., Clemens VI., Innocentius VI., Urbanus V., et Gregorius XI. Avenione electi a Cardinalibus fuere. Tum Alexandro V. e vivis sublato Bononiae anno 1410, ibidem Ioannes XXIII., antea Baltassar Cossa, electus est (4).

XVI. Itaque primam de conclave intra defuncti Pontificis palatium erigendo legem tulit Gregorius X. in Lugdunensi concilio in quindecim articulos distributam. Nam statuit primo, *ut si Pontificem in civitate, in qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum: Cardinales, qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur: quibus elapsis, sive absentes venerint sive non, ex tunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat: contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen, quibus* patens necessitas *id suggerit indulgeri*, duos habere *permittimus, eisdem electionis arbitrio reservato.* 2. *In eodem autem palatio* unum conclave, *nullo intermedio pariete, seu alio velamine omnes inhabitent in communi: quod (reservato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire.* 3. *Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas* secrete loquendi *cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi praesentium, pro his tantum, quae ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit, ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui* nuncium *mittere, vel* scripturam. *Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo: ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.* 4. *In conclavi tamen praedicto aliqua* fenestra *competens dimittatur, per quam eisdem Cardinalibus* ad victum *commode* necessaria *ministrentur, sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus.* 5. *Verum si infra tres*

(1) Raynald. in *annal. eccles. ad an. 1254.* Murator. in *annal. Ital. ad eumdem annum.*

(2) N. Alexander in *hist. saec. XIII. cap. 1. art. 14.*

(3) *Ubicumque occurrit habitatio vestra*, ad Innocentium II. scripsit Petrus Cluniacensis, *manebit ubique vobiscum obedientia, et devotio vestra. Quoniam et secundum poetam*: Veios habitante Camillo, illic Roma fuit. *Et Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo Ecclesiae praefuerunt, et oves Christi eis, ut veris pastoribus obedierunt.*

(4) Murator. *loc. cit. ad an. 1410.*

dies, postquam conclave praefatum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipsi Ecclesiae de Pastore provisum: per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus tam in prandio, quam in coena, uno solo ferculo *sint contenti; quibus (provisione non facta) decursis, ex tunc tantummodo* panis, vinum, et aqua *ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. 6. Provisionis quoque huiusmodi pendente negotio, dicti Cardinales* nihil *de Camera Papae* recipiant, *nec de aliis eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undecumque: sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub eius, cuius fidei, et diligentiae Camera eadem est commissa, custodia maneant; per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid acceperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere, donec receptis taliter plenariam satisfactionem impendant. 7. Iidem quoque Cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de* alio negotio *intromittant, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eas oporteret de terra ipsius Ecclesiae defendenda, vel eius parte aliqua providere: vel nisi aliquod tam grande, et tam evidens periculum immineret, quod omnibus, et singulis Cardinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. 8. Sane si aliquis ex praedictis Cardinalibus conclave praedictum non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit; ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente, idem conclave ex eis aliquem exire contingat: ipsa etiam infirmitate durante, poterit eius suffragio non requisito ad electionem procedi: sed si ad alios post sanitatem sibi redditam, seu ante redire voluerit, vel etiam si alii absentes, quos per decem diem diximus expectandos, supervenerint: re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur; praemissa tam de clausura, quam de servientibus, cibo, ac potu, et reliquis cum aliis servaturi.* 9. Extra civitatem, in qua cum sua Curia residebat, obeunte Pontifice: Cardinales tunc in ea urbe, in cuius territorio, vel districtu mors eius contingeret, conventuros esse in unum pariter conclave ad eligendum successorem, vel in alia viciniori, ea si forsitan interdicta, vel rebellis foret. 10. *Ut domini, aliique rectores et officiales civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, praemissa omnia, et singula plene, ac inviolabiliter sine fraude, ac dolo aliquo faciant observari. 11. Super his autem taliter observandis statim audito summi Pontificis obitu, coram Clero, et populo universo civitatis ipsius ad hoc specialiter convocandis, praestent corporaliter iuramentum. 12. Qui praemissa diligenter non observaverint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiserint, cuiuscumque sint praeeminentiae, conditionis aut status, omni cessante privilegio, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, et perpetuo sint infames*, feuda insuper, ac

bona ecclesiastica ipso facto amittant, civitas autem remaneat interdicta, et pontificali dignitate privata. 13. Hortatur Cardinales ad privatos affectus in ea electione deponendum, publicae dumtaxat utilitati prospecturos in eligendo celeriter idoneo Pontifice. 14. *Pactiones, conventiones, obligationes, condicta, et intendimenta omnia,* iuramento etiam firmata, viribus omnino carere decrevit, laudemque potius, quam violatae fidei maculam promerituros, qui ea non servaverint. 15. Tandem edixit, *ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis insignibus* exequiae solemnes, audita Pontificis morte, peragantur *a Clero, et populo*, et quotidie preces ad Deum fundantur, pro celere, concorde, et proficua novi Pontificis electione: quas Praelati Ecclesiarum studeant concionibus etiam suis excitare cum indictione ieiuniorum (1).

XVII. Clemens V. in concilio Viennensi (2) primum damnavit opinionem eorum, qui putabant constitutionem Gregorii X. posse *per coetum Cardinalium S. R. E. modificari, corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, aut eidem renuntiari per eum, tamquam veritati non consonam:* irritumque fore decrevit, quidquid coetus ipse Cardinalium exerceret *potestatis, aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis; nisi quatenus in constitutione praedicta permittitur.* 2. Noluit per obitum Pontificis expirare officium Camerarii S. R. E., nec Poenitentiarii maioris, aliorumque Poenitentiariorum: mandans praeterea coetui Cardinalium facultatem subrogandi alios in locum deficientis, vel obeuntis Camerarii, et Poenitentiarii maioris, et plures etiam substituendi Poenitentiarios, *si hoc eidem coetui concorditer expedire videbitur. 3. Dioecesim* censuit accipiendam *pro districtu, et territorio* civitatis, in qua Gregorius X., edixerat erigendum conclave pro electione novi Pontificis: nimirum ubi mortui Pontificis audientia remanserit, non ubi mors ipsius procul ab ea contigerit (3). 4. Si quando Cardinales omnes e conclave discesserint, statuit ut eos ad redeundum compellant deputati executores, praeterquam infirmos, ad canonicam electionem rite inibi processuros. 5. Decrevit, *ut nullus Car-*

(1) Greg. X. in *cap. ubi periculum 3. de elect. in VI.*

(2) Clementina *ne Romani 2. de electione.*

(3) Propterea Clemens VII. anno 1329. Roma Bononiam profectus, ut pacem universalem cum Carolo V. Imp. conciliaret facilius, et communia belli subsidia compararet adversus tyrannum turcarum; de consilio Card. decrevit *litterarum apostolicarum audientiam in ipsa urbe post suum ab ea discessum remanere: ut si ante reditum nostrum*, ait, *ad ipsam urbem nos ab hac luce migrare contingeret, ibi, et non alibi, ubi nos mori contingat, electionem Romani Pontificis celebrari debere: nisi urbs ipsa tunc interdicto subiaceret, vel esset aperte rebellis, aut inibi de impressione dubitaretur. Super quo* maioris partis Cardinalium *tunc ibidem existentium decisioni stari, et tunc in civitate Castellana, seu Urbevetana seu Perusina, servato scripturae huiusmodi ordine, fieri debere, dummodo illae ecclesiastico interdicto subiectae seu rebelles non fuerint.* Liquet id ex Clem. VII. *const. cum charissimus 26.* dio 6. Oct. 1529. *to.* 1. Bullarii: quam ipsemet innovavit demigraturus Viennam, vel ad alium locum pro causis christianae reipublicae urgentissimis, die 3. Sept. 1533., in sequ. *const. licet variae* eodem *to.* 2. Bull.

dinalium cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti praetextu ab ea valeat electione repelli. 6. Alia circa eamdem electionem edita iura, ut suo in robore permaneant, postremo edixit Clemens V. ibidem.

XVIII. Tum expertae in variis conclavibus difficultates, et abusus, et transgressiones postularunt, ut alii quoque Pontifices Clemens VI., Pius IV., Gregorius XV., Urbanus VIII., Clemens XII., easdem de Papa eligendo leges explicatius innovare, supplere, corrigere, variare, poenisque gravioribus sancire simul duxerint. Eas exponere nunc operae pretium est non continua singularum recitatione, sed interpolatis earumdem sententiis, vel concordibus, vel dissentaneis in quatuor articulos, seu §§. distincte congerendis.

§. I. *De officio et potestate Cardinalium Sede vacante.*

XIX. Qui in Urbe, aliove loco, ubi Papa decesserit, adsunt Cardinales, tres eorum antiquiores, unus nimirum ex singulis ipsorum ordinibus una cum Cardinale Camerario post obitum Pontificis ius habent reliquos Cardinales congregandi, et instantes necessitates exequiarum novendialium, et clausurae conclavis, aliasque officialium Urbis, et status proponendi in Congregationibus generalibus, curandique, ut conclave construatur undique bene clausum (1).

XX. Pro negotiis porro expediendis toto Sedis vacantis tempore *Congregationes* quum *generales* totius collegii Cardinalium habentur ad ea, quae sunt gravioris momenti et indaginis deliberanda; vel *particulares* trium Cardinalium cuiusque ordinis antiquiorum una cum Cardinale Camerario. Sed horum officium tertia die post conclavis ingressum expirat, in eorumque locum tres alii gradatim sequentes ex unoquoque ipsorum ordine quolibet triduo subrogantur, levioris momenti negotia in diem emergentia una cum Camerario expedituri (2). Quidquid autem Congregatio particularis decreverit semel, id ea ipsa mutare, aut revocare amplius nequit, ad Congregationem generalem propterea deferendum, et suffragiorum numero maiore deliberandum (3).

XXI. Collegium Cardinalium Sede vacante *nullam* in iis, quae ad Pontificem pertinent, *potestatem* aut *iurisdictionem* habet, sive gratiam, sive iustitiam, sive executionem gratiarum, decretorumque Pontificis mortui spectant, seu temporalem Romanae Ecclesiae statum. Sed ea omnia futuro Pontifici reserventur (4). *Nullos reos, et delinquentes absolvere, vel per liberi commeatus tabulas, quas* salvum conductum *appellant, etiam ad tempus assecurare, nisi qui leviora delicta, Sede ipsa vacante commiserint; minusque exilium, aliamve quamcumque poenam, etiam pecuniariam illis remittere, condonare, vel moderare valeat* (5).

XXII. *Datarii* officium morte Pontificis exspirat. Simul et *Praela-*

(1) Pii IV. *const. 63. §. 7. to.* 2. Bull.
(2) Ibidem §. 8. — (3) Clem. XII. *const. 76. §. 7.* — (4) Pius IV. *const. 63. §. 6.*, *et* Clem. XII. *const. 76. §. 6.* — (5) Clem. XII. eodem §. 6.

torum signaturae gratiae, *et iustitiae* officia conquiescunt (1) : ne non Auditoris Papae. Nunc autem *signaturae* iustitiae *Auditor* man datam sibi a Clemente XII. facultatem habet expediendi, prout iuris erit, *citationes*, *et recursus*, *qui coram Auditore Pontificis defuncti pendere tunc reperientur* (2).

XXIII. At Vicarii Papae officium perdurat, ne quid detrimenti Ecclesia in spiritualibus patiatur. Si autem Cardinalis Vicarius Pontificis tempore eiusdem Sedis vacantis obierit, Vicesgerens eiusdem Vicarii exercet *omnes*, *et singulas facultates*, *auctoritatem*, *et potestatem*, *quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebat*, *quasque Pontifex ipse praedicto Vicesgerenti quandoque* ad tempus usque ad successoris Vicarii deputationem demandare consuevit (3).

XXIV. Inferiorum quoque Ecclesiarum, quae praesertim Sedi Apostolicae sunt immediate subiectae, necessitatibus eadem Sede vacante obvenientibus, ut prospiceret Clemens XII., quoties catholici Antistites, ordinarii locorum, aliive Christifideles opportunum postulaverint a Cardinalium collegio remedium: *si res talis sit*, ait, *quae in aliud tempus differri valeat*, *futuro Pontifici omnino reservetur. Sin vero nullam admittat moram*, *tunc eidem Collegio* concessit, *ut committere possit negotium* Praefecto, *et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis*, *ad quam Pontifex illud examinandum verosimiliter remisisset. Qui negotio accurate discusso ea desuper decernant* per modum provisionis, *donec nimirum eligatur Pontifex*, *quae iuxta datam sibi a Domino prudentiam iuribus*, *et rationibus ecclesiasticis custodiendis*, *ac tuendis apta*, *et consentanea censuerint* (4).

XXV. Cardinalis tam *Camerarii*, quam *Poenitentiarii maioris* officia quum Sede vacante etiam consistant: *Camerae* Apostolicae *officiales* debent in ea solum incumbere, quae Collegio Cardinalium speciatim demandantur Pontificiis constitutionibus. *Poenitentiarius* vero, eiusque *officiales* quae ad conscientiae forum dumtaxat spectant, expediunt (5). Si quando autem contigerit per obitum Camerarii, et Poenitentiarii ea simul officia tunc vacare: generalis Congregatio post triduum a vacatione dilapsum Vicecamerarium,et Propoenitentiarium usque ad novi Pontificis electionem deputat, in quem scilicet maior pars votorum per secretas schedulas typis impressas conspiraverit (6). Idemque Poenitentiarius maior, aliusve in eius locum suffectus nunc absolvit sub conditione recidendi, recurrendique ad novum Pontificem intra congruum temporis spatium, eos etiam, qui censuras ecclesiasticas Romano solum Pontifici speciatim reservatas, atque ab ordinariis Poenitentiarii facultatibus exceptas incurrerint, re tamen prius discussa in officio Poenitentiariae, aliisque servatis servandis (7).

XXVI. Quoad Cardinales Apostolicae Sedis legati pro comitiis in

(1) Pius IV. §. 11, et 12. — (2) Clem. XII. §. 19. *const.*
(3) Ibidem §. 17. — (4) Ibidem §. 18. — (5) Ex Clem. 2. *de elect.* et Pii IV. *const. 63. §. 9, et 10.* — (6) Clem. XII. *const.* §. *15.*
(7) Ibidem §. 16.

conclave habendis absint a provinciis Status ecclesiastici sibi commissis: edicta inibi evulganda Vicelegati interea subscribunt, nomine, ac gentilitio absentium a latere Legatorum stemmate inscripto, Legatique ipsi quidpiam tunc imperare, aut executioni demandare, insciis Prolegatis prohibentur (1).

XXVII. De pecuniis Camerae Apostolicae, aut Datariae pro alieno etiam aere dissolvendo ante Pontificis mortem quavis ex causa contracto nihil disponere, nec pro seipsis accipere, nec alienum aes ultra sumptus necessarios contrahere Cardinales posse, Pius IV. constituit. Simul iussit, ne Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Praefectus arcis S. Angeli, aliique officiales ea in re contra formam constitutionum pontificiarum pareant Collegio Cardinalium: alias perinde iis obtemperantes, atque Cardinales ipsi aliquid contrarium attentantes cogantur de suo Camerae Apostolicae satisfacere, pecunias male erogatas, vel acceptas restituere, et quaevis damna novi Pontificis arbitrio reficere (2). Addit Clemens XII., *quod collegium Cardinalium mandata de solvendis pecuniis huiusmodi (praeterquam in casibus exceptis) favore cuiusvis personae tam in Conclavi, quam extra illud existentis, etiam titulo remunerationis, proemii laboris, ac etiam supplementi mercedis expedire, et relaxare. Nec etiam eiusmodi titulo licentiam extrahendi frumenta e Statu ecclesiastico concedere, nisi ubi extractio ex causa vere onerosa competat, et tunc, dummodo quantitatem debitam non excedat, ac tempus, quo extractio permitti solet, advenerit. Neque cuiquam immunitatem, seu exemptionem ab officio, vel servitio ei incumbente, vulgo* iubilationem *nuncupatam tribuere* (3).

XXVIII. At necessitatis ratio postulat, ut multas pecuniarum quantitates Camera Apostolica Sede vacante impendat in eiusdem Sedis utilitatem, et opus Conclavis. Eas dudum plus aequo ampliatas deminuere primum, et moderari Urbanus VIII. censuit chirographo dato die 29. Novembris 1690 *super moderatione expensarum Sede vacante, ac ratione Conclavis faciendarum*, quod Clemens XII. partim firmavit, partim correxit (4). Pius IV. indulserat Collegio Cardinalium expendere decem millium ducatorum summam in funus Pontificis: ita *ut illius ratione, praeter regalia populo Romano praestari solita, decem millium ducatorum summam, pannis lugubribus, et regalibus tam Camerarii, et clericorum, aliorumque cameralium, quam aliorum quorumcumque ministrorum, et officialium, ac aliis omnino computatis expensa non excedat. Summa autem decem millium huiusmodi, vel si Collegio visum fuerit, etiam minor, at nullo modo maior per* tres Cardinales antiquiores, *unum videlicet de quolibet ordine, et* Camerarium *proportionaliter pro rata distributionis, alias fieri solitae inter praedictos omnes, et singulos dividatur* (5).

XXIX. Illud item, quod *pro victu familiae Pontificiae* ante Conclavis ingressum, ac postea *pro pauperum officialium palatii* tantum

(1) Ibidem §. 9 — (2) Pius IV. *const. 63.* §. 6.
(3) Clem. XII. §. 6. *const.* — (4) Ibidem §. 20. — (5) Pius IV. §. 2.

per Camerarium, et priores ordinum Cardinales describendorum victu necesse erit, ac etiam pro *eleemosynis*, Sede vacante fieri consuevit, Pius IV. fore dandum censuit (1). Has autem per ipsum eleemosynarium Pontificis, non per decuriones, et conservatores amplius egenis familiis distribuendas iussit Clemens XII. (2). Suum propterea munus obire Papae defuncti eleemosynarius pergit *cum debita Collegio Cardinalium subiectione, et ab eo dependentia*, quoad novus Pontifex eligatur. Eandem idcirco pecuniae quantitatem, quae vivente Pontifice distribui pauperibus, et egenis consueverat, in eorumdem subventionem erogabit praeviis mandatis trium virorum Cardinalium (3).

XXX. Quidquid insuper pro *defensione terrarum* Ecclesiae, vel partis earum. Necnon pro *regalibus populo* Romano, et illius *magistratibus*, ac *custodia urbis*, *et Conclavis*, illiusque *provisionibus* opportunis necessarium erit. Quae vero impensa pro defensione terrarum, et locorum Ecclesiae, et securitate, ac provisionibus Conclavis facienda sit, *Cardinales praesentes* per secreta suffragia ordinare debeant, ita ut *maioris partis sententia* obtineat. Id quod observandum erit etiam in *gubernatoribus Urbis* tam ultra, quam citra pontem, et aliis *officialibus* etiam pro *Status ecclesiastici* regimine, si opus fuerit, eligendis (4).

XXXI. *Thesaurarius generalis* debet exinde sub poena privationis officii sui exhibere *novo Pontifici* intra mensem ab eius electione numerandum *computa*, seu *rationes* accuratas, et distinctas omnium expensarum Sede vacante factarum cum specifica expressione singularum summarum, causarum, ac personarum, quibus pecuniae persolutae fuerint, ut ipse Pontifex aliquot Cardinales sibi benevolos, qui tamen non sint tribus pauciores, deputet ad examinandum ea computa, sive rationes, ac dispiciendum, sibique referendum, an aliquid inutiliter sive plus aequo impensum, aut constitutionibus pontificiis, aut chirographis aliqua ex parte contraventum fuerit (5).

XXXII. Ex chirographo Clementis XII., statuta insuper stipendia conclavistis, et famulis Conclavis communibus persolvuntur aere pontificio, scilicet scuta centum menstrua duobus *medicis*, et *chirurgo* Conclavis, totidem *secretario* cum onere praestandi duobus adiutoribus victum quotidianum, ipsisque *adiutoribus* scuta decem in singulos menstrua, *magistris coeremoniarum* non participantibus, scilicet 25, aliisque supranumerariis scilicet 20, *confessario* scilicet 30, totidemque alios *subsacristae*, *clerico* Missis inservituro, scilicet 6, *adiutori* tam subsacristae, quam coeremoniarum magistri Episcopali dignitate aucti scilicet 10, singulis triginta quinque *scopariis* cubilia, et condicta salaria praeter summam scilicet 563, quae distribui *sacristae*, *cantoribus*, aliisque pontificiae capellae addictis consuevit. Quod *senatori*, *conservatoribus*, *decurionum prioribus*, ceteris populi Romani *officialibus* stipendium anticipatum denis diebus exolvi consueverat ad

(1) Eodem §. 2. — (2) Clem. XII. in chirographo *num. 9.*
(3) Idem *const. 76. §. 25.*
(4) Ex Pii IV. *const.* §. — (5) Clem. XII. §. 6. *const.*

summam usque scutorum 1055., pro dimidio nunc praestant. Praeterea tredecim *decurionibus* in denos dies scilicet 17, et solita stipendia *praefecto riparum*, et *scriptori* populi Romani, *conservatori*, et *militibus urbanis* sexdecim supra ducentos, eorumque septendecim officialibus, et subministris actu, et sine fraude servientibus, quum vacua opere stipendia sint penitus vetita. Statutos etiam census, ac pensitationes, illis tantum, qui *officia vacabilia* oneroso titulo quaesiverint: et pro *epitogiis conclavistarum* scuta 30. in singulas Cardinalium cellas.

XXXIII. Si vero ultra praedictas expensas *aliquod grande periculum immineret*, cui omnes, et singuli Cardinales praesentes per secreta suffragia duarum ex tribus partium censuerint prospiciendum celeriter esse ad formam constitutionis Gregorii X : *tunc collegium iuxta maioris partis sententiam per secreta suffragia de remedio opportuno, ac necessaria impensa providere possit, et debeat* (1).

§. II.

De rebus ante conclave gerendis.

XXXIV. Antequam Conclavis clausuram Cardinales adeant, decies generatim congregantur, praesentes nimirum omnes quotidie semel. Primo die conveniunt in camera, ut aiunt, *paramentorum*, in eaque prima generali Congregatione secretarius collegii palam integras legit constitutiones Gregorii X, Iulii II., Pii IV., Gregorii V., Urbani VIII., et Clementis XII. ad Pontificis electionem spectantes : mox has ipsas iurant singuli Cardinalium se observaturos adamussim. Annulus piscatoris, ac typus, quo signum plumbeum bullarum imprimitur, simul franguntur. Duae supplicum libellorum capsulae cum Datariae, tum Secretariae Brevium consignantur. Gubernator almae Urbis vel confirmatur, vel eligitur (2). Duo deputantur, ad orationem funebrem unus, et alter ad concionem super electione Successoris habendam. Cardinales aliquot Conclavi construendo praeficiuntur. Posthaec Pontificis cadaver ad Basilicam Vaticanam effertur, funusque solemne Cardinales ipsi deducunt (3).

XXXV. Secundo die in Basilicae S. Petri sacrario pariter congregati cunctos Apostolicae Sedis, Curiaeque Romanae, et Status officiales cuiuscumque qualitatis, et gradus urna semel in gyrum ducta confirmant: alias pro confirmatis haberi eos, edixit constitutione sua Clemens idem XII. Si quis vero videatur confirmatione indignus, triumviri Cardinales antiquiores primum debent causam in una Congregatione generali exponere, tum in altera post tres exinde dies re cognita definiri ex maiori suffragiorum secretorum numero, sitne hic, vel ille officialis ac minister suspendendus, aliusque subrogandus, an non (4), Urbis conservatores admittunt. Mox cogitatum opus Conclavis, susceptumque de eo consilium referunt cardinales deputati.

(1) Pius IV. §. — (2) Clem. XII. *const. 76. §. 8.*
(3) Idem in *chirogr.* §. *17.* — Videsis ante dicta *num. 19. et 20.*
(4) Idem *cit.* §. *8.*

XXXVI. Die tertio confessarium Conclavis secretis suffragiis eligunt, et post solis occasum sepelitur Pontificis cadaver, Cardinalibus ab eo creatis praesentibus.

XXXVII. Quarto die medicos duos, unumque chirurgum eligunt. Quinto die aromatarium, duosque barbitonsores cum totidem adiutoribus.

XXXVIII. Sexto die sortes cellarum Conclavis mittuntur in urnam, easque inde extrahit postremus diaconus Cardinalis (1). Tum caeremoniarum magistri non participantes exhibent indulta brevium sibi concessa ingrediendi Conclave.

XXXIX. Septimo die audiuntur, qui tertium postulaverint Conclavistam Cardinales praesentes, reservata pro absentibus provisione usque ad ipsorum adventum, et scoparii munditiem Conclavis curaturi destinantur.

XL. Octavo die Cardinales duo eliguntur conclavistas probaturi singulatim, eorumque singulorum nomina, cognomina, gradum et patriam tam Cardinales, quam alii Conclave ingressuri ipsis duumviris exhibent in scriptis.

XLI. Nono die tres alii Cardinales secretis schedularum suffragiis praeficiuntur custodiae, et curae Conclavis, quoadusque Apostolica Sedes vacaverit: ex iis, qui praeteritis conclavium comitiis adfuerint, eligendi maiori suffragiorum numero, quamvis ea medietatem praesentis Collegii non excesserint.

XLII. Decimo die ad sacros ordines non promoti Cardinales exhibent pontificias litteras in forma brevis, quae ipsis indulserint ex dispensatione apostolica vocem activam, et passivam in electione Pontificis (2). Duoque fabri caementarius, et lignarius deputantur ad servitutem Conclavis necessariam ex iis, quorum opera usus in extruendo Conclave sit Cardinalis camerarius.

§. III.

De clausura conclavis.

XLIII. Undecimo tandem die post Missam de Spiritu Sancto cum cantu celebratam, orationemque de eligendo Pontifice auditam, Cardinales ad Conclave simul procedunt solemniter (3). Iisque clausuram ingresssis coram omnibus denuo leguntur pontificiae sex constitutiones, quas in prima generali congregatione iam recitatas iuraverant, iterumque mox iurabunt adamussim observaturos (4). Tum Cardinalis decanus brevi eos concione hortatur ad celerandam publico Ecclesiae bono electionem optimi Pontificis (5). Nam constituit Pius IV., ut lapsis a pa-

(1) Statuit porro Pius IV., ut sorte distribuantur cellae Conclavis, et semel distributas variare non liceat.

(2) Si cui Cardinalium os clausum a defuncto Pontifice sit, Pius V. declaravit die 26. Ian. 1571., non ademptum illi suffragium in electione futuri Pontificis: id quod Greg. XV. firmavit in novo caeremoniale §. 10.

(3) Ritus procedendi ad Conclave describitur in §. 4. novi caeremonialis Gregorii XV., quod is promulgavit *const. decet Romanum 19. to. 1.* Bull.

(4) Ex *const.* Pii IV. §. 28, Greg. XV. §. 25, et Clem. XII. §.

(5) Ex eodem Clementis XII. chirographo.

pae obitu decem diebus Cardinales praesentes die sequenti sine mora Conclave ingrediantur, singulisque diebus faciant scrutinium electionis (1). Intrare nolentes, vel ingressos absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum, secretisque suffragiis maioris partis Collegii probanda, exeuntes poenam constitutionis Gregorii X. incurrere sanxit (2). Mox ad cellas divertunt, eisque post prandium una congregatis, officiales, aliique singuli praestant iuramentum de munere suo fideliter obeundo (3). Ad electionem quoties procedunt, vel insimul congregantur, *croceis* uti vestibus debent (4). Post campanulam ter pulsatam, hora scilicet prima, secunda, et tertia noctis, exclusis omnibus excludendis, clauditur Conclave interius, et exterius, clavesque dantur camerario, ac magistro coeremoniarum, et custodibus conclavis. Dein accensis fanalibus, triumviri Cardinales ordinum capita cum camerario, et magistro coerimoniarum latebras, et angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, ne quis extraneus inibi latens remaneat (5).

XLIV. Quum singulos singulis generatim Cardinalibus, et necessitate urgente nonnullis binos conclavistas introducere secum Gregorius X. permisisset: Clemens VI. generatim singulis binos indulsit servientes clericos, vel laicos suo ipsorum arbitrio deligendos (6). Tum binos cuilibet eorum famulaturos generatim ita concessos maluit Pius IV., *ut infirmis, et graviter affectis tertius ad summum a maiori parte collegii per secreta suffragia* indulgeri *possit*, in septima nimirum generali Congregatione, quam ante ingressum in Conclave celebrari iam diximus. *Qui servientes*, ait Pius, IV., *familiares domestici, et continui commensales ipsius Cardinalis, et ab anno ante fuisse, et tunc esse debeant, et non mercatores, ministri principum, domini temporales, et iurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent. Et de qualitatibus conclavistarum Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter providere debeant* (7).

XLV. Plures quoque alios communibus totius Collegii commodis inservientes admittere in clausura Conclavis oportet. Nimirum ex constitutione Clementis XII. *magistros coeremoniarum sex* ad summum, duos scilicet participantes, totidem non participantes, ex supranumerariis reliquos (8). Duos tantum Pius IV. indulserat: simul, et sacristam cum uno clerico coadiutore, religiosum pro confessionibus audiendis, secretarium, medicos duos, chirurgum, aromatarium cum uno, aut duobus servientibus, fabros duos, lignarium, et coementarium, duos barbitonsores cum uno, vel duobus servientibus, octo, aut decem famulos inferiores, mediastinos, et calones pro lignis portandis, verrendo con-

(1) Pius IV. *cit. const.* 63. §. 3. — (2) Ibidem §. 4.
(3) Ex novo coeremoniale Greg. XV. §. 5, et 6. Ut clausura pateat, publicum de ea testimonium agit magister coeremoniarum.
(4) Ex §. 4. eiusdem novi coeremonialis. — (5) Ex §. 7. eiusdem coeremonialis. — (6) Clemens VI. in *const. licet 5. to.* 1. Bullarii.
(7) Pius. IV. *const. 63. §. 16., et 17.* — (8) Clem. XII. *const. 76. §. 13.*

clave, ceteris eiusmodi ministeriis obeundis (1). Iique omnes, ut a collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicuius Cardinalis per tabulas secretas eligantur, ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, et eis salaria de publico persolvantur, et Pius IV, et Clemens XII. constituerunt. His addendos censuit Clemens XII. subsacristam, alterumque clericum, famulum unum cunctis coeremoniarum magistris addictum, duos secretario adiutores, unumque famulum, totique collegio famulos triginta quinque, quo in numero continentur duo magistri coeremoniarum, et secretario indulti ab iis quidem ipsis eligendi, a Cardinalibus vero deputatis adprobandi. Fabros autem lignarium, et coementarium fore non alios, nisi qui eas artes calleant, et publice exerceant, recipiendos, adempto Cardinalibus arbitrio in hisce qualitatibus dispensandi (2). Si quando urgens causa postulaverit cuiuslibet extranei ingressum in Conclave, is nutu maioris partis Cardinalium admittatur (3).

XLVI. Si quis alius ultra istas personas in Conclavi inventus fuerit, expelli statim debeat. Et si quisquam se occultasse deprehendatur, ignominiose expellatur, et infamia notetur, tum officiis, atque beneficiis privetur, conscii vero sub eadem poena illos revelare Collegio teneantur, proemium reportaturi, si indicaverint (4).

XLVII. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes Conclavi ex caussa infirmitatis manifestae, et notabilis a medicis medio iuramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientia desuper onerata est, et non aliter exituri, nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur (5).

XLVIII. Clauso Conclave colloquium, etiam extra portam illius nemo etiam Principum, nisi ex magna, et urgenti caussa a maiori parte Collegii adprobanda admittatur. Et si quis sorte, quod absit, clam ipsum Conclave, et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu, ac officio, et beneficio ipso facto privatus existat, et tradatur curiae saeculari poenis acerrimis puniendus (6). Litteras vero, aut cuiusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erunt, seu nuntium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut contra e Conclavi ad eos, qui foris erunt, ullo modo liceat: qui contrafecerint, quacunque dignitate, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant, absolvendi facultate, praeterquam in mortis articulo Pontifici tantum maximo reservata, a quo nihilominus pro qualitate delicti ultra dictam excommunicationis poenam puniendi erunt (7). Praelati quoque ad custodiam Conclavis deputati sub poena periurii, et suspensionis a divinis, maxima, et exquisita diligentia utantur in dispiciendis, ac perscrutandis epulis, et aliis rebus, ac personis Conclave intrantibus, et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litterae, aut notae, vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes poenam privatio-

(1) Pii IV. *cit. const. 63 §. 18.* — (2) Clem. XII. *const. 76. §. 14.*
(3) Pius IV. §. 19. — (4) Ibidem §. 18. — (5) Ibidem §. 24.
(6) Ibidem §. 19. — (7) Ibidem §. 20.

nis officiorum, ac inhabilitatis ad obtenta, et obtinenda incurrant. Et ulterius per gubernatorem carceribus mancipentur, exinde, nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed eius arbitrio acrius puniendi, omni facultate collegio Cardinalium in favorem quorumcunque, qui in praemissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta (1). Quia vero parum esset iura condere, nisi forent, qui executioni ea demandarent, statuit Pius idem IV., ut praelati, rectores, officiales urbis, ac principum oratores, illustres viri, quos omnes a collegio pro custodia Conclavis eligi continget (eligere autem collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videbuntur) praemissa omnia plene, et inviolabiliter, ac sine fraude, et dolo aliquo observari faciant, de quo reipsa iuramentum coram ipso Pontifice praestare teneantur, quae quidem nisi fecerint, vel si in eis fraudem, et dolum commiserint, praedictas poenas, et ceteras in dicta constitutione Gregorii X. contentas incurrant (2).

XLIX. Scrutinia *etiam, quae pro electione Pontificis bis in die a Cardinalibus fiunt, sive manuscripta, sive impressa fuerint, e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti, ac renunciari, et ab eis recipi, proferri, aut evulgari omnino* prohibuit Clemens XII., *sub poenis adversus mittentes e Conclavi, ac respective recipientes litteras, scripta, nuncios, notas, aut signa, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, a decessoribus expresse sancitis, eo ipso per transgressores incurrendis* (3).

L. Ne quis iuxta conclave commoretur, vel inhabitet superius, nec inferius, neque a lateribus, utque ipsius clausuram, et cellas visitent saepius tres Cardinalium deputati, ad prospiciendum, ne qua muris, laquearibus, pavimentis foramina fiant, statuit insuper Pius IV. (4).

LI. Propterea tres ipsos Cardinales *ex eis, qui comitiis aliis interfuerint, a collegio eligendos* in nona generali congregatione, *praefici clausurae*, ac curam Conclavis habere, ac gerere statuit Clemens XII, *qui disposita a Praedecessoribus circa clausuram, curamque huiusmodi omni sedulitate, ac diligentia exequantur. Cellas Cardinalium bis qualibet hebdomada, aliaque ipsius Conclavis loca crebro visitent, illius munditiae praesint, ac solerter perquirant, ne in eiusdem Conclavis muris, fenestris, laquearibus, vel pavimentis vetita foramina fiant, vel fenestrae aperiantur, aut amplientur, unde cum exteris colloquendi, sive communicandi copia, et facultas detur, ac si quae foramina facta, aut fenestras sic apertas, et ampliatas deprehenderint, statim occludi, et obturari, in pristinumque statum restitui curent. Prohibeant quoque arma, seu stemmata gentilitia cuiusvis Cardinalis quocunque officio fungentis alibi, quam propriae suae cellae imponi, appendi, et depingi, et si illa repererint in quacunque alia parte Conclavis consistentia, statim amoveri, ac deleri faciant. Cellas porro Cardinalium absentium sive mobilibus instructas, et ornatas, sive non Cardinales in Conclave existentes nusquam occupent, sed ad dictos*

(1) Pius IV. ibidem §. 23. — (2) Ibidem §. 27.
(3) Clem. XII. *cit. const. 76.* §. 11. — (4) Ibidem §. 13., 14., et 15.

tres cardinales clausurae , et curae Conclavis praepositos pertineat earundem cellarum usum , et commodum Cardinalibus , qui cellas suas vicinas habent , congrua inter eos servata proportione destinare , donec praedicti Cardinales absentes advenerint. Ipsorum autem trium Cardinalium munus eiusmodi toto tempore comitiorum durare voluit , eisque quancunque necessariam amplamque in praemissis , et circa ea potestatem tribuit (1).

LII. Ut electionem celerare Cardinales adigerentur, Gregorius X. sanxit post octo ab ingressu dies non aliud, nisi panem, vinum, et aquam, pro eis ad cibum dari debere (2). Huiusmodi rigorem temperans Clemens VI. constituit , ut *singuli Cardinalium, praeter panem, vinum,* et *aquam in prandio, et coena unum dumtaxat ferculum , seu missum carnium unius speciei tantummodo , aut piscium, seu ovorum cum uno potagio de carnibus , vel piscibus principaliter non confectis , et decentibus salsamentis habere valeant , ultra carnes salitas , et herbas crudas , ac caseum , fructus , sive electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur , nisi ad condimentum fieret , vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit* (3). Dein Pius IV. decrevit , quod Cardinales primo ipso die., quo Conclave ingressi fuerint , tam in prandio, quam coena solo unius speciei ferculo , eoque moderato , et alias iuxta constitutionem Clementis VI. congruo contenti sint et esse debeant ; nec quisquam in alterius cella , vel de alterius ferculo vescatur (4). Mox Clemens XII. menti decessorum suorum insistens iisdem praecepit , ut frugalitatem, et temperantiam in victu observent , procul ab omni luxu, et pompa, atque etiam in deferendis ad conclave cibariis a lautioris cultus ostentatione (5).

LIII. Clemens VI. praeterea indulsit honestatis gratia Cardinalibus in sua cuiusque cella , *quum in lectis quiescendi causa , vel dormiendi esse voluerint dumtaxat, intermedia, seu velamina simplicium tantummodo cortinarum* adhibere (6).

§. IV.

De forma electionis Papae.

LIV. Canonicam eligendi Pontificis formam a Nicolao II , Gregorio X., Clemente V., et VI., tum Pio IV. paucis lineamentis expressam, tandem Gregorius XV. numeris omnibus ita absolutam descripsit quum constitutione perpetua (7) , tum novo coeremoniale (8), ut Successores ipsius nihil ei addere , aut detrahere hactenus putaverint. *Electione Romani Pontificis fieri aliter non posse* , ait , *quam in Conclavi , et eo clauso , ac post celebratum in eo prima die sacrosanctum Missae Sa-*

(1) Clem. XII. *cit. const. 76. §. 10.*
(2) Greg. X. in *cit. cap. 3. de elect. in VI.*
(3) Clem. VI. in *const. licet 5. to.* 1. Bull. — (4) Pius IV. *loc. cit. §. 22.*
(5) Clemens XII. *const. 76. §. 12.* — (6) Clem. VI. *loc. cit.*
(7) Greg. XV. in *const. aeterni Patris Filius 13.*, data 15. Nov. 1621., *to. 3.* Bull. (8) Idem in *const. decet Romanum 19. eod. to. 3.*

crificium , cui Cardinales interesse , et in eo communicare consueverunt , ac per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus *Cardinalium in Conclave praesentium. Praeterquam si omnes, et singuli Cardinales similiter in Conclave praesentes* nemine dissentiente *aliquibus ex eorundem collegio Cardinalium committerent eligendi potestatem , ut* vice omnium *Ecclesiae catholicae providerent de Pastore : aut nisi communiter ab* omnibus, et singulis *Cardinalibus , qui itidem in Conclave praesentes erunt* , nemine *pariter* dissentiente , *quasi per* inspirationem *nullo praecedente de persona speciali tractatu per verbum* eligo , *intelligibili voce prolatum , aut scripto , si voce fieri non potuerit , expressum , fuerit celebrata* (1).

LV. *Numerum autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclave praesentium , ut electio per viam* scrutinii , *sive* scrutinii , et accessus *valida sit : decernimus , et declaramus ita esse censendum , ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur : nec quisquam sive* scrutinii , *sive* scrutinii , et accessus, *sive* compromissi *via procedatur;* seipsum *eligere, seu suffragium* sibi *dare ullatenus possit. Electi tamen persona si in conclave sit , debeat in numerum Cardinalium computari* (2).

LVI. *Rursus nemo per viam* scrutinii , *seu* scrutinii , et accessus *habeatur pro electo , nisi* publicatis *omnibus suffragiis , et electi , si numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam* schedulis apertis (3),

LVII. *Ac si contingat plures in schedulis nominatos duas tertias partes suffragiorum tulisse , in* suffragiorum paritate *neuter sit electus.* In imparitate *vero qui numero suffragiorum* superior *erit , dummodo duas tertias partes etiam in uno suffragio excedat, electus censeatur* (4).

LVIII. *Insuper in unoquoque scrutinio , antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet Cardinale iuramentum alta, et intelligibili voce fiat his verbis.* Testor Christum Dominum , qui me iudicaturus est , me eligere , quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo. *Et hoc iuramentum a nullo omittatur* (5).

LIX. *Suffragiorum autem schedulae huiusmodi tam scrutinii, quam accessus , ubi fieri potuerit* , impressae *omnino esse debeant; ubi non potuerit* , unius *tantum* manu *scriptae sint : ita videlicet, ut tam impressae , quam ita scriptae ea omnia , quae in schedulis huiusmodi exprimi solent , contineant praeter sola* nomina , *seu denominationes* eligentis , et electi , *et infrascripta signa , quae omnia manu eiusdem eligentis scribantur , et nomen quidem eligentis in prima parte schedulae , electi vero in sequenti , et rursus electi quantum fieri poterit charactere alterato , ita ut cognosci non possit ; eaque schedulae pars, in qua erit eligentis nomen , claudatur , ac sigillo ad hoc parato, ac secrete habito , non autem eo , quo quisque solet , obsignetur. Ut autem videri possit , ne qui alicui accessit, eidem in scrutinio suffragium dederit : schedulae omnes* duobus aliis signis *in ultima parte signen-*

(1) Idem §. 1. Tres eligendi formas per scrutinium , compromissum , et inspirationem latius explicat novum coeremoniale Greg. XV. §. 11, *et seqq.*
(2) Ibidem §. 2. — (3) Ibid. §. 3. — (4) §. 4. — (5) §. 5.

tur , numero nempe aliquo , et brevi dicto sacrae Scripturae, vel alio eiusmodi , quae signa in utraque schedula tam scrutinii , quam accessus eadem sint (1).

LX. *Postea vero pars illa schedulae , ubi haec signa erunt, etiam complicetur , et obsignetur , ne a scrutatoribus videri possit, nisi postquam fuerit per scrutinium , et accessum electio perfecta : quo casu schedulae accessus a scrutatoribus ea in parte , ubi duo praedicta sunt signa , aperiantur , iisque inspectis , et earum singulis aliae schedulae cum iisdem , quae notatae , et in scrutinio datae reperiantur; ut videlicet an duo haec signa , et sigillum eadem sint , cognoscatur, et inde duo suffragia ab eodem Cardinale uni data non fuisse appareat* (2).

LXI. *At si inter schedulas scrutinii nulla reperietur iisdem signis notata , quibus schedula accessus signata erit , aut si quis eidem accesserit , quem in scrutinio nominaverit : utroque casu suffragium accessus nullum sit. Subscriptio autem, seu nomen eligentis resignari non possit , nisi contingat , ut sigillum et alia duo praedicta signa sint eadem cum signis , et sigillo alicuius alterius Cardinalis , aut alia difficultate cogente* (3).

LXII. *Quod autem attinet ad* nomen electi , *illud eo modo a Cardinalibus scribatur , quomodo in folio impresso , ubi in Conclavi notari suffragia solent. Praeterea ut secreto cautius consulatur*: schedulae *suffragiorum* conficiantur *una , seu pluribus in mensis* in media capella *constitutis , ita et Cardinalibus remotis, et circumspectis, ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis vero ad mensam accedere impeditus valetudine non poterit , is suffragium suum in loco, suo secrete conficere debeat , et ad illud accipiendnu ultimus scrutatorum accedat* (4).

LXIII. *Et ut* accessus *secrete etiam peragatur, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, statim antequam ad alios actus deveniatur, Cardinales schedulam pro* accessu *formatam praedictis in mensis conficere , sicut in scrutinio teneantur. Porro usus schedularum pro accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in scrutinio voluerit , eius nomen scribet : qui nolueriti , ne cognosci possit eum nulli accedere , in loco nominis scribat* nemini (5).

LXIV. *Nulli autem tam in schedula scrutinii , quam accessus* plures *nominare liceat : alioquin suffragium , in quo plures fuerint nominati* , nullum *sit. Accedere tamen uni ex nominatis a se in dicta schedula , vel alii , dummmodo aliquod aliud suffragium in eodem scrutinio tulerit , non prohibeatur , et in numerum Cardinalium in Conclave praesentium numeretur* (6).

LXV. *Neque in quolibet scrutinio, nisi semel accedere liceat, neque per accessum ab alterius nominatione in scrutinii schedula facta recedi decernimus , et declaramus* (7).

(1) §. 6. const. Formas schedularum explicatius habet novum cocremoniale ipsius Greg. XV. — (2) §. 7. eiusdem const.
(3) §. 8. — (4) §. 9. — (5) §. 10. — (6) §. 11. — (7) §. 12.

LXVI. *Insuper antequam schedulae sive scrutinii, sive accessus a scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentissime palam numerentur: et si* plures *repertae fuerint, quam sint Cardinales in Conclave praesentes, omnes comburantur, et iterum ad suffragia statim deveniatur* (1).

LXVII. *Si quis autem aliquid ex supra expressis non servaverit, aut quomodocunque directe, vel indirecte in aliquo contravenerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat* (2).

LXVIII. *Praeterea statuimus, et ordinamus, quod si aliquem* infirmitas *impediverit ad* scrutinium *venire, ad eum adire debeant* tres Cardinales *sorte ante scrutinium ut infra ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum diaconorum extracti, cum capsula perforata sed inani, et palam a scrutatoribus clausa, cuius clavis super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, ipseque illam sicut alii Cardinales praevio iuramento suprascripto secrete conficere teneatur, deinde in capsulam coniiciat, eaque per eosdem cardinales relata, et aperta in calicem schedula mittatur.* Publicato *deinde scrutinio, si* accessus *faciendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis, in quibus nomina Cardinalium, et suffragiorum numerus notantur, a tribus Cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque in scrutinio tulerit, ad* infirmum *una cum alia impressa schedula pro accessu parata, et cum eadem capsula ab iis deferatur.* Infirmus *vero alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque et singula serventur, quae de scrutinii schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena. Si quis scribere valetudine impeditus, per alium praevio iuramento ab eo qui scribet praestando* de servando secreto, *quod sub eadem excommunicationis poena servari mandamus, subscribere libere possit* (3).

LXIX. *Ad haec scrutatores tres, sicut et tres alii Cardinales, qui ad infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus cardinalibus in Conclave praesentibus nulla ordinis servata distinctione, sorte immediate ante quodlibet scrutinium per ultimum diaconorum extrahantur, et qui semel extracti fuerint, in vas iterum coniiciantur: alioquin si quis contra fecerit, sicut si scrutatores, vel recognitores aliquid secreti in exercendo suo officio cognoverint, et illud revelaverint, eandem latae sententiae excommunicationem incurrant. Finito scrutinio, et accessu, sive electio secuta sit, sive non sit, tres alii Cardinales sorte pariter ut supra extrahendi schedulas omnes recognoscere debeant, sigillo tamen, et duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quae omnes, et singulae schedulae, sive secuta, sive non secuta electione, postmodum statim palam comburantur* (4).

LXX. *Similiter ne electio protrahatur, statuimus, et ordinamus, ut sub simili excommunicationis poena eo ipso incurrenda,* scrutinium

(1) §. 13. — (2) §. 14. — (3) §. 15. *const.* et §. 9. *novi coeremonialis.*
(4) §. 16.

bis singulis diebus *peragatur*, *ita ut etiam perficiatur*, *mane scilicet post solitam missam*, *et prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam communionem*, *et pomeridiano tempore hora opportuna post hymnum* Veni Creator Spiritus, *et orationem de Spiritu Sancto. Idemque si* compromissi *via eligatur*, *observari debeat. Atque* ad scrutinium, *cum tertium pulsata per loca solita conclavis campanula de more fuerit*, *omnes*, *et singuli Cardinales convenire debeant valetudine non impediti*, *sub eadem excommunicationis latae sententiae poena* (1).

LXXI. *Cardinales praeterea omnino abstineant ab omnibus* pactionibus, *conventionibus*, *promissionibus*, *intendimentis*, *condictis*, *foederibus*, *aliisque quibuscumque obligationibus*, *minis*, *signis*, *contrasignis suffragiorum*, *seu schedularum*, *aut aliis tam verbo*, *quam scripto*, *aut quomodocumque dandis*, *aut petendis*, *tam respectu inclusionis*, *quam exclusionis*, *tam unius personae quam plurium*, *aut certi generis*, *veluti creaturarum*, *aut huiusmodi*, *seu de suffragio dando*, *vel non dando.* Quae omnia, *et singula si de facto intervenerint*, *etiam iuramento adiecto*, nulla et irrita, *neque ad eorum observantiam quemquam teneri*, *aut ex transgressione notam incurrere Fidei non servatae decernimus*, *et declaramus : et contra facientes ex nunc excommunicationis poena annodamus*, *tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus* (2).

LXXII. *Quod si electio huiusmodi alibi celebrata fuerit*, *quam in Conclave clauso*, *vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclave praesentium in scrutinio*, *seu scrutinio*, *et accessu*, *electi suffragio non computato*; *vel per viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclave praesentibus nemine dissentiente initi*, *et ita ut nemo seipsum elegerit*, *vel quasi per inspirationem nullo praecedente de persona speciali tractatu omnium pariter Cardinalium praesentium in Conclave communiter nemine itidem dissentiente per verbum* eligo *intelligibili voce prolatum*, *aut scripto*, *si voce non poterit expressum* : nulla *sit*, et invalida *eo ipso absque ulla declaratione*, *et ita electo nullum ius tribuat. Quinimmo is non apostolicus*, *sed* apostaticus *sit*, *et habeatur*, *et tam ipse quam eligentes*, *eiusque fautores*, *et complices sententiam excommunicationis*, *et anathema*, *aliasque censuras*, *et poenas invasoribus sedis Apostolicae a sacris canonibus*, *et constitutionibus apostolicis impositas pariter ipso facto incurrant*, *a qua sicut ab alia quacunque in hac constitutione imposita*, *et irrogata*, *seu infra imponenda*, *et irroganda poena excommunicationis tam ipsi*, *quam* quilibet alius, *sive* S. R. E. Cardinalis, *sive alia persona cuiuscunque gradus*, *conditionis*, *dignitatis*, *et praeeminentiae a nullo*, *neque etiam a maiori poenitentiario*

(1) §. 17. *Const.* Singulos ritus explicatiores ante scrutinium, in scrutinio, et post scrutinium, videsis in *novo saeped. coerem.* §. 15. usque ad 44., quod Urbanus VIII. confirmavit *const. ad Romani 45. to. 4.* Bull.

(2) Greg. XV. eadem const. §. 18.

cuiuscunque facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit : et tam ipse , eiusque complices, et fautores , quam alii quicunque etiam S. R. E. Cardinales huius constitutionis in aliquo transgressores aliis gravissimis poenis teneantur , futuri Pontificis canonice intrantis arbitrio irrogandis (1).

LXXIII. Postremo praecipit , ut *si electio fiat per scrutinium et accessum , secretissime transigatur :* inhibetque S. R. E. Cardinalibus *ne contra haec , vel horum aliquod statuere , disponere vel ordinare , seu in aliquo corrigere, alterare , mutare, seu aliquo modo facere, tractare , moliri , vel attentare praesumant quovis praetextu, causa , vel exquisito colore sub eadem excommunicationis poena ipso facto incurrenda* (2). *Ut autem huiusmodi constitutio inviolabilius observetur , tres cardinales, qui singulis diebus Congregationibus agendis praepositi sunt , et cum iis S. R. E. Camerarius illam in omnibus , et per omnia observari procurent , et faciant* (3).

LXXIV. Tanti vero momenti quum sit Romani Pontificis electio, nimirum supremi Ecclesiae universae Pastoris , et Magistri , ut ab ea potissimum totius christianae Reipublicae Salus, non aliter quam totius corporis vita, et vigor e capite, pendeat: integram iure merito fidem, et sanctitatem in ea rite, ac recte peragenda totus orbis expostulat. Propterea Pius IV. hortatur , et iubet , ut S. R. E. cardinales ea in re, omni dolo , ac fraude , factionibus , et animorum passionibus remotis, ac Principum saecularium intercessionibus , ceterisque mundanis respectibus minime attentis , sed solum Deum prae oculis habentes sese pure , libere , sincere , quiete , et pacifice gerere , et habere debeant (4). *Satis etiam admonemur,* ait Gregorius XV. , *nihil eorum , quae ad electionem Romani Pontificis negotium cautius , et melius transigendum conducunt , omitti debere. Salus enim non unius membri , sed totius corporis agitur , cum de capite consulitur* (5). Cogitent quam perniciosum sit futurum universae Ecclesiae , si male administretur (6). *Sedulo recogitent* , addit Clemens XII., *se in renunciando supremo Ecclesiae Rectore divinae mentis interpretes constitutos , nudaque omnia , et aperta esse in oculis eius, cui solemnis , et arctissimi iurisiurandi religione fidem suam promissuri , et obligaturi sunt* (7).

§. V.

De Conclavistis et Dapiferis.

LXXV. Labores , vigilia , obsequia , incommoda plura conclavistarum iamdiu consueverunt electi Pontifices multis privilegiis, et gratiis remunerare. Eumque morem viguisse ante pontificatum Clementis VIII.

(1) §. 19. — (2) §. 20. — (3) §. 21. — (4) Pius IV. *cit. const. 63.* §. 26.
(5) Greg. XV. in *proemio const.* — (6) Ibidem §. 23.
(7) Clem. XII. *cit. const. 76.* §. 5.

fatetur Laërtius Cherubinus, quamvis nullum eo Pontifice antiquius indultum pro ipsis nec indicet, nec proferat.

LXXVI. Itaque primus omnium Clemens VIII. invenitur in Bullario Romano constitutionem edixisse die 5. Novembris 1592., qua plura omnibus, et singulis conclavistis Conclavis illius, in quo creatus ipse Pontifex fuit, absolutione a censuris praemissa indulsit. 1, scilicet eos generatim declaravit veros, et non fictos familiares suos continuos commensales, quamvis non toti generatim collegio omnes, sed bini, vel terni speciatim aliis in eo Conclave Cardinalibus inservierint, et Apostolicae Sedis notarios. 2, sacri palatii, et lateranensis aulae *comites*, ac milites: simul, et *nobiles*, *civesque* in ea, quam ipsorum singuli praeoptassent, urbe Status ecclesiastici. 3, cunctis familiarium papae, comitum palatinorum, nobilium, civiumque Status ecclesiastici *privilegiis* potituros. 4, exemit ipsos a *decimis*, *pedagiis*, *subsidiis*, *gabellis*, et cunctis oneribus etiam extraordinariis quavis causa, vel urgentissima impositis, et imponendis. 5, eis condonavit fructus non iure perceptos beneficiorum, Ecclesiarumque ob omissam diurni officii recitationem, remisitque poenam irregularitatis quomodolibet contractam ex censurarum quoque violatione, haec si in contemptum clavium facta non sit. 6, defectibus natalium illegitimorum aboletis eos ad quaevis officia, et honores profanos, et successiones sine praeiudicio venientium ab intestato idoneos fecit. 7, singulos ecclesiastica pensione, quae centum ducatos auri de camera non excederet, fruituros voluit, quamvis clericalem habitum, ac tonsuram non deferrent. 8, litteras apostolicas eis expediri gratis concessit. 9, facultatem tribuit suas transferendi pensiones omnes ecclesiasticas usque ad summam centum ducatorum auri de camera coram loci ordinario vel canonico alicuius cathedralis Ecclesiae, vel quovis alio in ecclesiastica dignitate constituto. 10, ipsas indulti sui litteras eis suffragaturas, etiam non relatas in codicem camerae apostolicae, contrariis quibuscunque non obstantibus (1).

LXXVII. Consimile indultum conclavistis largiendo suis Paulus. V. die 31. Iulii 1605., addidit pontificiam illegitimis natis dispensationem ad ecclesiasticos etiam sacros ordines, et beneficia. Insuper beneficia, quae Pontificia Sede vacante vacaverint, conclavistis ipsis distributa contulit, non excedentia, valorem ducentorum ducatorum auri de Camera singulatim (2) Ab isto nil differt par indultum Gregorii XV., die 15. Martii 1620 (3).

LXXVIII. Urbanus VIII. die 6. Augusti 1623. nedum ea omnia indulsit, sed etiam donavit decem millia scuta aurea ex tot locis montium primo vacaturis ex aequo singulis distribuenda. Tum ipsos instar Cardinalium exemit ab oneribus quum ordinariis tum extraordinariis, corumque bona a iure spolii cameralis. Irritas beneficiorum collationes, et provisiones in foro conscientiae tantum ratas eis fecit, cum ampla fructuum remissione. Eosque absolvit a censuris forsan incursis ob vio-

(1) Clem. VIII. *const. aequitati 16. to. 3.* Bull.
(2) Paul. V. *const. Romanum 3. eod. to. 3.* Bull.
(3) Greg. XV. *const. Romanus 1. eod. to. 3.*

latas Conclavis leges (1). Consonant subsecuta indulta Alexandri VII. die 18. Augusti 1656, et 1667 (2), Clementis IX. die 19. Augusti (3), Clementis X. die 14. Iunii 1670 (4), cetera posteriora.

LXXIX. Clemens XII. tandem die 16. Iulii 1730. suis eadem privilegia conclavistis largitus exemplo decessorum suorum, facultatem superaddidit testandi, etiamsi professi alicuius ordinis, vel sacrae militiae forent, excepta militia S. Ioannis hierosolymitani (5). Indulti huius Clementini formam praeteritis ampliorem exhibent posteriora quoque indulta Benedicti XIV., et Clementis XIII. nunc feliciter sedentis.

LXXX. Ad dapiferos, qui extrinsecus cibaria Cardinalibus deferunt in clausuram conclavis, eadem fere privilegia conclavistarum extendit primum Urbanus VIII. die 23 decembris 1623. (6), mox Clemens XII. die 16. Iulii 1730 (7).

Hactenus de Episcopalibus hierarchiae gradibus, eorumque ordinatione, et electione. Alios mox praelatorum percurrere oportet, qui vel vicariam a Papa et Episcopis, mandatumque iurisdictionem habent, vel maiorem, vel inferiorem episcopali dignitate, ut exterior Ecclesiae politia magis innotescat,

TIT. XXII.

De Legatis et Nuntiis.

I. Ad imperii Romani provincias quum senatus, et populus, tum Caesares, et Imperatores suos mittere Legatos cum vicaria potestate consueverunt.

II. Instar eorum Legati Sedis Apostolicae ad mandatas sibi vices pontificias implendum emerserunt.

III. Synodis orientalibus praefuerunt Legati Sedis Apostolicae partim ex Romanis presbyteris, partim ex Episcopis earumdem provinciarum delecti.

IV. Legatorum alii praeterea nati, et perpetui, alii facti, et missi ad nutum Pontificis.

V. Alii rursum ordinarii, aliique extraordinarii.

VI. Ordinariam Legati ordinarii habent iurisdictionem in causis praesertim appellationum, officio suo adnexam.

VII. Quae non extenditur ad negotia Sedis Apostolicae speciatim reservata, neque ad collationes beneficiorum.

(1) Urban. VIII. *const. circumspecta 1. to. 4.* Bull.
(2) Alex. VII. *const. motu proprio nos volentes 30. to. 5.* Bull.
(3) Clem. IX. *const. nos volentes 5*, ibidem.
(4) Clem. X. *const. 14. ibidem.*
(5) Clem. XII. in *const. 2. par. 8.* contin. Bull.
(6) Urban. VIII. *const. Romanus Pontifex 10., to. 4. Bull.*
(7) Clem. XIII. *const. 3. cit. par. 8. contin. Bull.*

VIII. Facultates ordinarias ipsi usque ad Successoris adventum exercent, extraordinarias finita legatione expirantes, secus.

IX. Voluntariae iurisdictionis actus ubilibet extra provinciam, praeterquam in Urbe, ubi Papa resideat, explent.

X. Cardinales a latere legati facultatibus potiuntur amplioribus.

XI. Hoc in regno Ecclesias, et monasteria, et dioeceses visitare Legati apostolici sueverunt.

XII. Post Tridentinum Visitatoribus pontificiis limitata regiis placitis est potestas, ut ne personas laicas, nec loca pia laicalia, neque Ecclesias protectioni regiae subiectas visitarent.

XIII. Ad Reges etiam nostros inaugurandos, vel honorifica visitatione colendos huc Legati a latere non semel accesserunt.

XIV. Atque ad baliatum Regum pupillorum, et regni regimen administrandum.

XV. Simul ad bellum contra invasores gerendum.

XVI. Ipsi etiam Reges Apostolicam Legationem habuere.

§. I.

De Siciliae Rege Legato.

XVII. Sicilia a VI. ad XI. saeculum Legatos pontificios habuit.

XVIII. Quoad Rogerius Siciliae Comes, eiusque legitimus haeres ab Urbano II. perpetuus Apostolicae Sedis Legatus factus est.

XIX. Quod pactum Hadrianus IV. cum Guilielmo I. iniit, ne Romana Ecclesia appellationem, nec legationem haberet in Sicilia; id studuit Innocentius III. abrogare investiturae litteris ad Reginam Constantiam, et Fridericum eius filium datis.

XX. Honorius III. appellationis iudicia in Siculis exercuit, Innocentius IV. Legatum illuc suum misit saeculo XIII.

XXI. Ioannes XXII., et Martinus V. visitatores apostolicos Siculis dederunt saeculo XV.

XXII. Nuntios insuper collectores pecuniarum Camerae Apostolicae, qui varia S. Sedis mandata gererent in Sicilia, Pontifices Urbani II. Successores mittere non omiserunt.

XXIII. Siculorum ad Romanam Curiam appellationes, ceteras Legatis apostolicis mandari consuetas facultates Paullus III., aliique Pontifices vindicare sibi censuris contenderunt.

XXIV. Nec non pactis investiturarum.

XXV. Sed aeque Normannos, ac Svevos, Aragonios, Austriacos Reges Siciliae Apostolica Legatione potitos tenent Siculi.

XXVI. Bullae Urbani II. transumptivae, postquam Barberius eam in codicem retulit sub Ferdinando catholico, plenam Siculi fidem adhibuere.

XXVII. Acres inde contentiones inter utramque Potestatem exortae, interdicto generali, et anathemate Siculi percussi, et Baronii tomus XI. igni damnatus.

XXVIII. Benedictus XIII. tandem controversam rem composuit cum Carolo VI. imperatore.

XXIX. Nimirum statuit, ut in primo gradu caussae non exemptorum omnes, exceptis excipiendis, coram Ordinariis locorum, exemptorum in foro iudicis monarchiae a Rege deputati cognoscantur, in secundo gradu ad Metropolitanum caussae ab Ordinariis devolvantur.

XXX. Appellationes a sententiis Metropolitarum ad eundem iudicem monarchiae deferantur.

XXXI. Ulterioris gradus appellationes alter, dein tertius, aliique deinceps a Rege item deputandi iudices ecclesiastici cum ternis assessoribus audiant, et definiant.

XXXII. Appellantes interea nullam a suis Ordinariis quod ad alias causas consequantur.

XXXIII. A conservatoribus Regularium ad ipsum tribunal monarchiae appelletur.

XXXIV. Nulla recipiatur appellatio, nisi post exhibitum gravantis decreti, vel sententiae documentum.

XXXV. Nec inhibitio concedatur, nisi cum insertione talis decreti, aut sententiae.

XXXVI. Decretorum visitationis, vel morum correctionis appellatio fere non suspendat executionem.

XXXVII. A gravantibus interlocutionibus appellatio, nonnisi visis actis admittatur.

XXXVIII. Quemadmodum et a comminata personae captura, vel tortura, vel excommunicatione.

XXXIX. Acta originalia, nonnisi necessitate urgente, ad iudicem appellationis transmittantur.

XL. In quo reperitur carcere, appellans remaneat usque ad exitum iudicii appellationis.

XLI. Ab inflictis censuris absolutionem iudex appellationis, auditis partibus, et caussa cognita, vel ipsi Ordinario remittat, vel per sese indulgeat.

XLII. In dubio facti, vel iuris ad cautelam cum recidendi lege excommunicati absolvantur, intereaque tegantur cedulones.

XLIII. Contumacibus appellare non liceat.

XLIV. Appellationum caussas in iudiciis criminalibus ex officio gestis promotor fiscalis agat.

XLV. Pauperum acta omnia gratis fiant.

XLVI. In Regulares extra claustra delinquentes Episcopi in primo gradu, iudex monarchiae in gradu appellationis procedat.

XLVII. Restitutiones in integrum, et absolutiones a iuramentis, a censuris etiam, et poenis in utroque foro indulgeat iudex monarchiae.

XLVIII. Idemque appellantes a censuris Sedi Apostolicae reservatis absolvat cum recidendi lege, ad effectum agendi tantum.

XLIX. Monitoria simul excommunicationis contra ignotos rei alienae detentores, et conscios concedat.

L. Vota quaelibet, exceptis maioribus, possit commutare, ac dispensationes ad matrimonia consanguineis, vel affinibus in III., et IV. gradu largiri gratis.

LI. De executione litterarum pontificiarum aliis mandata, nonnisi in gradu appellationis iudicet.

LII. Singuli in praecipuis urbibus subdelegati cum necessariis officialibus iudicis monarchiae in toto Regno quinquaginta, ultra inservientes curiae Panormitanae, gaudeant exemptione a locorum Ordinariis.

LIII. In Regularium utriusque sexus disciplina, officiis, clausura, studiis, nullitate professionis nulla detur appellatio, aut recursus ad iudicem monarchiae, praeterquam in caussi contentiosis.

LIV. Iurisdictionem a synodo Tridentina Episcopis delegatam ipse non impediat.

LV. Graviores Episcoporum caussae criminales Papae reserventur; civiles vero, criminalesque minores ad Metropolitanum in primo gradu, in secundo ad iudicem monarchiae deferantur, in Metropolitas, exemptosque ab eis Episcopos in primo gradu processurum.

LVI. Specialia Papae mandata, et rescripta idem iudex impedire nullatenus audeat.

§. II.

De Nuntio Neapolis.

LVII. Legatorum facultates variae Nuntiis etiam pontificiis mandantur.

LVIII. Hoc in regno Nuntius collector est pecuniarum Camerae Apostolicae cum potestate iudicandi causas ad eam spectantes, nec non obligationum in forma Camerae, ac pensionum.

LIX. Delegatus etiam is est in criminalibus contra exemptos Cleri quum saecularis, tum regularis, et contra Regulares extra claustra delinquentes.

LX. Quinque limitationes facultatibus Nuntii diu consueverunt regia placita imponere.

LXI. Ad hunc appellationes non deferuntur, ordinariis Legati facultatibus expertem.

LXII. Cognoscit autem causas ad spolia beneficiorum pertinentes, praeterquam in laicos.

LXIII. Exemptorum insuper causas civiles iudicat, quamvis in Episcopos, nonnisi praevia Papae delegatione, procedat.

LXIV. Ordinarius praeterea iudex est subcollectorum, omniumque officialium, et servientium tribunali Nuntiaturae.

LXV. S. Congregatio Concilii decrevit singulos fore subcollectores deputandos in plerisque huius Regni dioecesibus, binos in nonnullis, ternos in aliis, decem in Neapolitana dioecesi.

LXVI. Eosque officio derelicto nulla exemptione gaudere, nec absentes a dioecesi sibi designata: residentes autem, ubi non adsit iudex eorum specialis, parere Ordinariis locorum in civilibus tantum causis debere.

LXVII. Unum cuiusque subcollectoris notarium, et commissarios illicitae negotiationis, durante solum officio frui exemptione, praeterea neminem alium substitutum.

LXVIII. Parochos, Canonicosque poenitentiarium, et theologum a subcollectoris munere procul habendos, eosque aliter nulla potiri exemptione in iis, quae animarum curam, suumque officium, et onera praebendarum, ac beneficiorum spectant.

LXIX. Quod ad cultum divinum, clausuram monialium, percussionem clericorum, rationes administrationis piorum locorum, casus Episcopo reservatos iurisdictioni Episcoporum parere subcollectores debere, eosque in fragranti crimine capitali deprehensos posse in carceribus episcopalibus detrudi.

LXX. Patentes suscepti officii litteras debere subcollectores, et commissarios dioecesanis Ordinariis ostendere ad extremum declaravit.

LXXI. Eorum deputatio sine litteris Episcopi vitam, moresque testantibus irrita est.

LXXII. Iique nonnisi durante officio, aut qui annos duodecim illud probe exercuerint, et pro criminibus interea admissis iudicium Nuntii subeunt.

LXXIII. Duodecim cursores pro armata Nuntii familia iudulget lex concordatorum, consueta exemptione fruentes, et usu armorum regiis pragmaticis non prohibitorum.

LXXIV. Speciali insuper iure fundationum duo monasteria monialium SS. Conceptionis, et S. M. Magdalenae, et Ecclesia cum regio hospitale S. Iacobi Hispaniarum, simul Ecclesia S. M. de Caesarea cum nosocomio, et monte, eorumque capellani, et servientes Nuntio apostolico subsunt.

LXXV. Ecclesia quoque S. Angeli ad Nidum cum hospitale ad-

nexo, eiusque capellani, et servientes nunc subire visitationem, correctionemque Nuntii coguntur.

LXXVI. Tandem debitores clerici nedum ex clausula cameralis obligationis, sed etiam ex pacto incusandae obligationis in quovis loco, et foro, vel ex litteris cambii consueverunt in foro Nuntiaturae pulsari.

I. Idem sonat legatus, quod *Apostolus, et missus* (1). Ad provincias proconsulares duas Asiam, et Africam, praetoriasque decem sub Augusto Senatus, populusque Romanus, ad reliquas Caesari reservatas Caesar ipse legatos fere ternos mittebant, uti Proconsules, Propraetores, Caesarisque vicarios cum amplissima dignitate, iisque ordinariam iurisdictionem cum adnexo imperio, Reique publicae administratione mandabant (2), qui modo Praesides, modo Legati promiscue dicebantur (3). Sed Constantinus M. quatuor Praetorio Praefectis quum orbis regimen distribuisset, pluresque unicuique illorum dioeceses addixisset, singulos Praefectorum Vicarios in singulis instituit dioecesibus, qui vicariam sibi ab ipso Principe mandatam agebant praefecturam (4).

II. Saecularibus eiusmodi legatis, vicariisque dioecesum respondent in ecclesiastica hierarchia, qui mandatas Sedis Apostolicae vices obire consueverunt Legati pontificii, a Romanis Pontificibus vel missi, ut Conciliis ultra montes, et maria praesiderent, causasque inibi definirent ecclesiasticas (5), vel ut *defensores* patrimonii divi Petri, Ecclesiaeve Romanae essent in regnis, praesertim Hispaniarum, Galliae, et Siciliae (6); vel ut apud Reges, magnosque Principes Ecclesiae universalis negotia

(1) *Pro Christo* legatione *fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, scribit Apostolus II. *ad Corinth. 5. vers. 20.* Quum Pontificis, tum Principis Legatos olim *Missos* saepe dixerunt veterum scripta. Bonifacius Moguntinus *Missus* S. Petri, *lib. 5. Capitular.*, et apud Anastas. biblioth. *in vita Steph. III.* Synodus Sardicensis *can. 3., et 9.*, decrevit causas maiores referri saepius ad *Missos*, ab istis deinde ad Sedem Apostolicam. Et Carolus M. *Missis dominicis*, h. e. Legatis imperialibus querelas reclamantium definiendas necessitate suadente remittere consuevit, *lib. 2. Capitular. cap. 26.*

(2) *L. 6., et 13. D. de officio Proconsulis, l. 6. §. 8. D. de off. Praesidis, et l. 1. D. de off. eius cui mand. est iurisd.*

(3) *L. 1., et 20. D. de off. Praesidis.*

(4) Syn. Sardicens. *cit. can. 3., et 9.*

(5) S. Gregorius M. in *can. valde necessarium dist. 94.*, ad Episcopos Siciliae rescribens patefacit legationes apostolicas in aliquo regno, provinciave generales cum amplissima potestate viguisse ante saeculum VI. *Valde necessarium esse perspeximus* (ait), *ut sicut Praedecessorum nostrorum fuit iudicium, ita* uni *eidemque personae* omnia *committamus, ut ubi nos praesentes esse non possumus: nostra per eum, cui praecipimus, representetur auctoritas. Quamobrem Petro subdiacono Sedis nostrae intra provinciam Siciliam* vices nostras, *Deo auxiliante, commisimus. . . . et totum nostrae Ecclesiae noscimus patrimonium commisisse.*

(6) Libertus Papa ad Constantium Imperatorem plures misit Legatos pontificios in causa divi Athanasii, ea ut concilio Episcoporum definienda remitteretur. Aliis redundat exemplis historia ecclesiastica.

procurarent (1), vel ut consecrationes Episcoporum, aliaque Sedi Romanae reservata negotia peragerent.

III. Ad synodos autem oecumenicas, praesertim orientales alios ex ipso Romanae Ecclesiae corpore mitti pontificios Legatos, alios ex Episcopis provinciarum destinari consuevit. Cedrenus de prima Synodo Nicaena loquens, *praeerant ei*, inquit, *Silvestri Papae Romani Locumtenentes Vitus*, *et Vincentius presbyteri* Romani, *Metrophanes* Byzantii, *Alexander* Alexandriae, *Eustatius* Antiochiae, *et Macarius* Hierosolymorum *Episcopi* (2). *Osium* praeterea Cordubensem Episcopum Nicaeno praefuisse concilio, uti Legatum Silvestri Pontificis, multi contestantur (3). Occidentales enim Episcopi quum paucissimi ad concilia orientalia convenissent, Romanusque Pontifex interea cum eis sua simul haberet: decreta inde Romanae Ecclesiae referre ad orientales consuevit per Legatos suos totam Ecclesiam occidentalem repraesentantes, vicesque ipsius Romani Pontificis in ferendo suffragio gerentes.

IV. In longinquis praesertim occidentalibus regionibus insigniores Episcopi sunt pontificio vicariatu adaucti, modo personaliter, quoad vel ipsi viverent, vel Pontificibus legantibus libuisset; modo realiter ob perpetuam eorundem Sedibus adnexam legationis praerogativam (4). Legatorum hinc alii *nati*, aliique *facti*, seu *missi* dicuntur. *Nascuntur* legati, dum episcopales sedes, Ecclesiasque, quibus earumque Praelatis sit legatio Sedis Apostolicae in perpetuum concessa, obtinent: ii enim absque novo Sedis Apostolicae mandato reapse potiuntur legati potestate,

(1) Ex Iustiniani Novella *6. cap. 2.* compertum habemus Sedibus tantum patriarchalibus licuisse *apocrisarios* mittere ad Comitatum; regiamque Curiam ibi ut res curarent ecclesiasticas, causasque delegata iurisdictione cognoscerent. P. de Marca *lib. 5. de concordia cap. 17. num. 3.* Idipsum liquet ex *cit. ep.* S. Gregorii M. ad Episcopos Siciliae. De apocrisariis Episcoporum Binghamus *to. 2. orig. pag. 77.*

(2) Cedrenus in *compendio historiae.* Consonat Nilus metropolita Rhodius *lib. de synodis*, et epistola synodica Nicaenorum Patrum ad Ecclesiam Alexandrinam.

(3) Gelasius Cyzicenus *lib. 2. hist. conc. Nicoen.* Socrates *lib. 1. hist. cap. 9.*, S. Athanasius in *apologia de fuga sua*, ceteri.

(4) Thessalonicensi episcopatui in Illyrico orientali vicariatum apostolicum in primis collatum, non personis Episcoporum, pluribus probat P. de Marca *lib. 5. de concord. cap. 22*, contra Ivonem Carnotensem aliter sentientem *ep. 59.* Deinde Archiepiscopos primae Iustinianae a Vigilio Papa instante Iustiniano creatos Sedis Apostolicae Vicarios, ostendit *Nov. 131. cap. 4.* Tum Episcopos Corinthiorum, uti notat Balsamon *in schol. ad praefat. Conc. Trullani*, et patet ex divi Greg. *ep. ad Episcopos Helladios*, qui Vicario Corinthiorum paruerunt. Arelatenses quoque Episcopos a Zosimo, et Successoribus Pontificibus, Marca *d. lib. 5. cap. 30*, *et seqq.* Cantuarienses item Archiepiscopos in Anglia, quorum primo tamen S. Augustino divus Greg. M. personalem largitus fuerat Vicariatum. Alios in Hispania, puta Zenonem Hispalensem a Simplicio, Ioannem Tarraconensem, sive Illycitanum ab Hormisda, et Sallustium Hispanum: in Gallia S. Remigium Rhemensem ab eodem Hormisda, Dragonem Metensem a Sergio II., ceteros: in Germania Bonifacium, seu Winfridum a Gregorio II., et Stephano II., Vicarios item Sedis Apostolicae personaliter creatos, recenset Marca *eodem lib. 5. cap. 42.*, *et seqq.* Hanc ipsam distinctionem tradit Innoc. IV. in *cap. officii nostri 1. de off. leg. in VI.*

quemadmodum potiti olim sunt Archiepiscopi Cantuariensis (1), et Eboracensis in Anglia, Rhemensis, et Arelatensis (2) in Gallia, Pisanus in Italia, aliique alibi. *Fiunt* autem Legati, quoties personalem, et temporariam accipiunt a Sede Apostolica legationem: qui nisi litteras ostenderint pontificias, nullam in obeundo munere fidem (3) promerentur, istique mandatam legationis provinciam non suscipiunt, nisi Regis consensus accesserit (4).

V. Alii rursus *ordinarii*, alii vero *extraordinarii* sunt. Potestas *extraordinariorum* quanta, et qualis sit, ex tenore litterarum Sedis Apostolicae, quae solent in forma *brevis* dari, dignoscenda est (5): eaque ultra mandati fines, modo ampliores, modo angustiores non extendenda (6). Horum proinde legatio dicitur *specialis*, et limitata ad certa speciatim negotia peragenda. *Ordinarii* autem *generalem* obeuntes legationem iurisdictione utuntur ordinaria, quam scilicet iura dant officio Legati (7), quaeque vim obligandi perpetuam, expleto etiam legationis munere, habet (8), et obitu Pontificis Legantis non expirat (9): quemadmodum et legatorum Caesaris, et proconsulum (10). Quales sunt, qui a summis Pontificibus cum *vicelegatorum* titulo praeficiuntur regimini Status ecclesiastici, puta *Avenionensis*, *Bononiae*, *Ferrariae*, *Flaminiae*, seu *Romandiolae*, *Urbini*, et aliquando *Marchiae*, *et Umbriae* (11): alibique alii tam *nati*, quam *facti*, missique ad legationem generalem.

VI. Hi sane Legati iure ordinario causas universas, quae vel per appellationem, vel querimoniam ad ipsos deferantur, ordinario iure, eoque ampliori, quam metropolitico audiunt, definiuntque (12), in quovis

(1) De quo Alexander III. in *cap. 1. de officio Legati.*

(2) Cuius meminit divus Gregorius M. *can. in Galliarum 3. C. XXV. qu. 2, et ep. 5. ad Vigilium Episc. Arelatens.* alibique.

(3) Nicol. I. in *can. nobilissimus 3. dist. 97.* Synodus Argentensis provincialis in dioecesi ab Archiepiscopo Ravennate Raynaldo celebrata anno 1314.. statuit *can. 5*, ut *Legati, delegati, et Nuntii Sedis Apostolicae legationis, delegationis, ac potestatis suae fidem faciant Ordinario, eiusque transumptum postulanti exhibeant. Legati a latere excepti sunto. Excipiuntur et illi, qui ad privatas causas delegantur, parti iurisdictionem suam eos significare satis est.*

(4) Alexander III. ad Ludovicum VII. Regem Francorum scripsit, pontificiam in Gallias legationem destinasse B. Thomae Cantuariensi Archiepiscopo, si consensus Regis, et Episcoporum accederet, apud N. Alexandrum in *hist. saec. 15. cap. 11. art. 3. num. 7. to. 19. pag. 339. edit. Neap.*

(5) Uti monet Card. de Luca in *annot. ad S. Conc. Trid. disc. 33. n. 21.*

(6) *Cap. P. et G. 40. de off., et pot. iud. deleg.*

(7) Clemens IV. in *cap. Legatos 2. de off. Leg. in VI.* rescripsit Legatos *provinciarum eis commissarum, instar proconsulum, ceterorumque praesidum, ordinarios* esse. — (8) *Cap. memini fin. de off. Legati.*

(9) *Cap. Legatos 2. eodem tit. in VI.*

(10) *L. 12.. et seq. D. de off. procons., et Legati, et l. pen. D. de off. eius, cui mandata est iurisd.*

(11) De quibus Card. de Luca in *annot. ad S. Conc. Trid. disc. 3.*

(12) Alex. III. in *cap. 1. de off. Legati*, et Clem. IV. *in cap. 2. eod. tit. in VI.*

loco intra legationis provinciam (1) : dummodo sua cuiusque Episcopo iurisdictio servetur (2). Hinc Tridentina Synodus decrevit, ut *Legati, et Nuntii apostolici*, Patriarchae, et Primates, et Metropolitani *in quibusvis causis tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus, post appellationem servare teneantur formam, et tenorem sacrarum constitutionum, et praesertim Innocenti IV.*, *quae incipit* Romana, *quacunque consuetudine etiam immemorabili aut stylo, vel privilegio in contrarium non obstantibus : aliter inhibitiones, et processus, et inde secuta quaecumque sint, ipso iure nulla* (3). Utque *Legati etiam de latere, Nuntii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcunque facultatum vigore, non solum Episcopos in praedictis causis* (puta matrimonialibus, et criminalibus) *impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis praeripere aut turbare non praesumant : sed nec etiam contra clericos, aliasque personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, Eoque negligente, procedant: alias eorum processus, ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur* (4). Hisce decretis varios abusus potestatis ad lucrum, qui iam invaluerant in Legatis, et Nuntiis Sedis Apostolicae, quosque inter alia reformationis capita proposuerant deputati a Paulo III. Cardinales quatuor cum quinque Praelatis, reformavit synodus Tridentina.

VII. Eas vero causas excipe, quas aliis Papa delegaverit speciatim (5), vel Legatus ipse ad Sedem retulerit Apostolicam (6), vel iura singulari privilegio Papae reservatas velint : puta Episcopos transferre, vel episcopalium sedium alteri alteram subiicere, aut unire, unamve in duas dividere, sine mandato speciali (7). Innocentius IV. Legato sive misso, sive nato non Cardinali non esse facultatem conferendi beneficia statuit (8) : nisi eam specialiter Apostolica Sedes mandaverit (9). Addit Rigantius (10), quod nequeat collegiatas in parochialibus erigere, neque insignia capae magnae, et rocheti Canonicis cathedralium, collegiatarumque indulgere ordinario iure Legatus.

VIII. Facultates ab extraordinario iure profluentes, tametsi finito legationis tempore, expirant : ordinarias tamen exercebit probe Legatus usque ad Successoris adventum (11).

IX. Voluntariae iurisdictionis actus, puta dispensationes, assensus,

(1) Innoc. III. *cap. novit. 7.*, et Greg. IX. *cap. excommunicatis 9. de off. Legati.*

(2) Id binis rescripsit litteris S. Greg. M. ad Ioannem in Hispania defensorem *can. de personâ 48*, atque ad Romanum in Sicilia *can. pervenit 39. C.* XI. *qu. 1.*

(3) Trid. in *cap. Legati 7. sess. 22. de reform.* Ad rem hanc videsis dicenda inferius *lib. 3. tit. 17. de app. iudicio, et lib. 4. tit.*

(4) Trid. in *cap. causae omnes 20. sess. 24. de ref.*

(5) Coelest. III. *in cap. 2. de off. Legati.*

(6) Innoc. III. in *cap. 6. eodem tit.*

(7) Idem in *cap. 3., et 4. eodem tit.* — (8) In *cap. officio 1. de leg. in VI.*

(9) Innoc. III. in *cap. litteras 4 de suppl. negl. Prael.*

(10) Rigant. in *Reg. 14. Cancell. num. 33, et 34., to. 2.*

(11) *L. meminisse C. de officio proconsulis.*

licentias, liberas gratiarum collationes, quae sine contradictore petentibus conceduntur, non modo intra legationis provinciam, sed extra illam potest etiam expellere (1); praeterquam in urbe, ubi Pontifex resideat. Ob reverentiam porro Papae debitam Legati, quemadmodum et alii locorum Ordinarii in urbe commorantes, *extra* portam urbis aliquam, vel *revera* dant rescripta iurisdictionis voluntariae, vel saltem *ficte* simulant ea extra eandem dare, quae tamen in utroque casu valida esse putantur (2).

X. Maior tamen est *Cardinalium legatorum*, quos *a latere Legatos* ideo appellant, quia collaterales Papae sunt Cardinales, quam *non Cardinalium* potestas quum ordinaria tum extraordinaria. Cardinales enim in sua legationis provincia ordinarios esse beneficiorum collatores, palam indicat praelaudata Innocentii IV. constitutio (3): in iisque conferendis ita cum quolibet alio dioecesano collatore simul concurrere, ut locus detur praeventioni (4). Plurimas vero iisdem *a latere Legatis* facultates (5) extraordinario, specialique mandato largitur Sedes Apostolica vel expresse, dum eos ultra montes mittit, vel tacite sub ea generali clausula *cum facultatibus solitis*, *et consuetis*, ubi citramontana sit legationis provincia. Summa earum capita sunt, quaslibet Ecclesias quomodolibet exemptas visitandi, earumque statuta confirmandi, vel irritandi, vel nova edendi, in causis maioribus, qua civilibus, qua criminalibus iudicandi: reos, vel enormium criminum quum puniendi, tum absolvendi; dispensandi quod ad ordines, beneficia, et matrimoniorum impedimenta, reservata etiam, et affecta beneficia conferendi: novas erigendi dignitates, officia, et monasteria, indulgendi alienationes rerum ecclesiasticarum, oratoria privata, cibos esurialibus diebus vetitos, praelatisque facultatem testandi: creandi protonotarios, et vota commutandi. Ludovicus Thomasinus de hisce legatis loquens, *poterant*, ait, *legationis suae munere concilia cogere*, *Metropolitanis praeibant*, *suspendebant*, *et deponebant Episcopos*, *et ipsos Metropolitanos. Eorum suffragium toti concilio aequiponderabant*, *et tunc ad Pontificem referebatur. Non tantum appellationum iudicia instituebant*, *sed etiam primae instantiae*, *et ad privatorum querimonias.*

(1) *Gl. in cap. si Abbatem* ver. *in provincia de elect. in VI*, *et* arg. *l. 2. D. de off. procons.* quum *omnes proconsules*, ait textus, *statim ac urbem egressi fuerint*, *habeant iurisdictionem*, *non tamen contentiosam*, *sed voluntariam.* Nam Proconsulibus aequiparantur Legati in *cap. 2. de off. leg. in VI.*

(2) Ex traditis a Rigantio in *Reg. 1. Cancell. §. 4. num. 131.*, *et seqq. to. 1.*, contra Covarruvium, aliosque opinantes irrita a Legatis in urbe gessa.

(3) In *cap. 1. de off. leg. in VI.*, ibique Passerinus. *num. 5.*, Germonius *de indult. Cardinal. §. ac irritum num. 24*, et Gambar. *de off. legat. lib. 3. num. 25.*

(4) Passerin. *ibidem num. 18.* Rota coram Puteo *lib. 2. dec. 345. num. 1.*

(5) Eas in 57. capita prolatas habent Doviatius in *specim. turis Gallici to. 1. par. 3. num. 40*, et Rigantius *to. 2. in Reg. 14. Cancell. num. 31.* Qui praeterea monet facultates eiusmodi Legatorum a latere generalibus Regularum Cancellariae revocationibus fere non abrogari, praesertim Reg. IX., XIV., et XV.

Multa statuebant in conciliis, beneficia conferebant, aliquando etiam vacatura (1).

XI. Hoc in regno Neapolitano visitationem apostolicam Ecclesiarum, et monasteriorum Episcopis plerunque vicinioribus, uti Sedis Apostolicae Legatis mandare speciatim Romani Pontifices consueverunt. S. Gregorius M. *Paulo fratri, et Coepiscopo nostro*, ait, *Ecclesiae* Neapolitanae visitationis *operam iniunximus : ideo fraternitas tua* visitationem *Ecclesiae* Nepesinae *non desistat adsumere* (2). Nicolaus II. anno 1059. Desiderium Abbatem Cassinensem S. R. E. Cardinalem creavit (qui postea pontificatum habuit, assumpto nomine Gelasii II.), mox *per totam Campaniam, et Principatum, Apuliam quoque, atque Calabriam ab ipso fluvio piscariae, sicut fluit in mare*, vicem suam *idem Apostolicus illi concessit* (3): ut nimirum Ecclesias omnes, et monasteria in hisce provinciis, ut apostolicus a latere Legatus visitaret (4). Eiusmodi visitationibus Neapolitani reges quidem videntur olim non obstitisse. Nam rex Guilielmus I. art. 3., et 4. concordiae cum Hadriano IV. initae anno 1156. convenit, ut *consecrationes*, et visitationes *libere Romana Ecclesia faciat Apuliae, et Calabriae civitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quae Apuliae sunt affines : civitatibus illis exceptis, in quibus persona nostra, vel nostrorum haeredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra, nostrorumque haeredum.* Tum *in Apulia, et Calabria, et partibus illis, quae Apuliae sunt affines, Romana Ecclesia libere legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc a Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiae non devastent* (5).

XII. Post comitia Tridentina res aliter se habuit. S. Pius V. anno 1566. quum Episcopo Strongylensi mandasset auctoritate Apostolica visitare aliquot huius Regni dioeceses archiepiscopales, et episcopales, in his Salernitanam, Caietanam et Cassanensem regiae nominationis, earumque omnes Ecclesias, et personas ecclesiasticas, etiam ab ordinariis locorum exemptas, Regis quoque capellanum maiorem, regiosque capellanos, et hospitalia a laicis gubernata ; idemque Episcopus absque placito proregis, eoque inscio nonnullas visitasset Ecclesias : executio inde pontificiae visitationis in difficiles nodos incidit ad regem Philippum II. a prorege Alcalensium duce relatos (6). Mox Paulo Odescalco Nuntio pontificio, qui plura huc eiusdem Papae mandata pertulerat, Dux Alcalensium regium placitum indulgens die 24. febr. 1568., consensit, ut auctoritate apostolica prospiceret nedum Ecclesiarum restaurationi, et sacris supellectilibus, ob id sequestro daturus earumdem reditus : sed exequendis etiam decretis Tridentinae reformationis, sola facti veritate inspecta, manu etiam regia, omnique appellatione remota,

(1) Thomasin. *par. 1. lib. 2. cap. 119. num. 10.*
(2) S. Greg. M. *lib. 1. ep. 212.*
(3) Ait Leo Ostiensis in *chronico lib. 3. cap. 13.*
(4) Auctor *hist. civ. Neap. lib. 34. cap. 6.*
(5) Ex supradictis *tit. 10. num. 2.*
(6) Ex B. Chioccarello *to. 4. arch. tit. 3. num. 1.*

quoties Ordinarii locorum ab ipso moniti negligerent pravos mores corrigere, reos plectere, suumque officium implere. At obstitit, ne idem Nuntius mandatam sibi auctoritatem exequeretur inquirendi, et iudicandi alienationes rerum Ecclesiae a centum retro annis male gestas, et cogendi quoslibet iniustos earum detentores ad restitutionem una cum fructibus (1). Tum Cardinalis Granuela prorex anno 1574, ad Episcopum Reatinum, qui apostolicam visitationem in civitate Aquilae sine regio placito aggressus fuerat, hortatorias litteras dedit, ne quid amplius ea in re ageret sine placito regio : simul prospexit, ne illius provinciae Episcopi eam visitationem ullatenus admitterent (2). Verum Archiepiscopo Surrentino anno 1581. ad visitandas Ecclesias, monasteria, loca pia, et personas ecclesiasticas Castri Stabiensis pontificiis litteris delegato placitum regium *quoad Ecclesias, et personas ecclesiasticas tantum* concessum fuit (3). Dein Ioanni Angelo Ægyptio mandatam a Xysto V. visitationem hoc in Regno apostolicam anno 1582., Oxunae Dux itidem permisit *quoad personas ecclesiasticas tantum, dummodo non operetur directe, vel indirecte contra personas laicas, neque super praelaturis et beneficiis, monasteriis, hospitalibus, et capellaniis, quae sunt sub protectione regia* (4). Tum Comes Miraudae anno 1593, placito suo consensit, ut Episcopus Bisiniani cum duobus aliis Convisitatoribus monasteria monialium in hac civitate Neapolis visitaret vigore litterarum Clementis VIII. (5).

XIII. Ad nostros etiam Reges vel inaugurandum, vel ipsos praesertim gratulationis officio colendum suevit Sedes Apostolica suos huc mittere Legatos a latere: sicuti ad Philippum V. Clemens XI. Franciscum Cardinalem Barberinum anno 1702. ablegavit rebus heic gestis clarissimum.

XIV. Alios insuper Legatos olim habuit hoc regnum sub Regibus pupillis. Regina Constantia quum Innocentium III. Friderici unigeniti suī balium testamento nuncupasset anno 1193. (6) : Gregorius Cardinalis S. M. in Porticu, et Papae, et Regis vice functus est (7). Mox a Rege Conrado in civitate Lavelli moribundo Innocentius IV. datus Conradino filio balius anno 1254, Guilielmum S. Eustachii Cardinalem consanguineum, legatumque suum huc praemisit (8). Clemens IV. datis ad Ca-

(1) *Ibidem, num. 4, et seqq.*
(2) Ibidem *num 10.* — (3) Ibidem *num. 12.* — (4) Ibidem *num. 14.*
(5) Ibidem *num. ult.* — (6) Ricard. a S. Germano in *chronico. Anno 1198. Imperatrix ipsa processu temporis obiit, et praedictum filium unicum Fridericum, et regni baliatum Innocentio Papae ex testamento reliquit.*
(7) Innocentius idem *lib. 2. ep. 232.* ad Clerum Rhegii rescripsit, quod *ipse* Cardinalis legatus *adsensum regia vice concedens, et electionem examinans, cum eandem invenisset canonice de persona idonea celebratam, auctoritate apostolica confirmavit.*
(8) Nic. Iansilla in *vita Regis Conradi, cum inter alia, quae Conradus* (ait) *de filio et regno suo in ultima voluntate disposuit, filium suum manibus, et gratiae Sedis Apostolicae submittendum esse mandasset: Papa Innocentius IV., qui Sedi tunc Apostolicae praeerat . . . in regnum venire decrevit . . . praemisso Legato Sedis Apostolicae Guilielmo S. Eustachii diacono Cardinale, viro quidem iuvene, et ipsius Papae consanguineo.*

rolum I. Andegavensem investiturae litteris anno 1265. cautum voluit, quod *heredes* ipsius, *qui non erunt* legitimae aetatis, si pater praemoreretur, in custodia Romanae Ecclesiae remanebunt, et regnum a Legato Apostolicae Sedis, et uno comite ex parte heredis administrabitur (1). Cum anno 1284. die 7. Februarii vita functus esset rex Carolus I., eoque tempore unigenitus eius princeps Salerni Carolus captivus apud regem Aragonum esset: Martinus IV. Pontifex legatum huic regno misit Gerardum Episcopum Sabinensem Cardinalem de Palma (2). Caroli Martelli filiis natu minoribus, qui ad thronum Neapolitanum contendebant, Bonifacius VIII. ad tutelam, curamque deputavit Landulphum Cardinalem Brancacium (3). Post regis Roberti obitum *Americus S. R. E. presbyter Cardinalis Balius regni Siciliae pro S. R. E. deputatus* a Clemente VI. inscribitur in codice regiae siclae ad annum 1344. Tum e vivis sublato Carolo III. anno 1383. Bonifacius IX. Angelo Cardinali Acciaiolo tutelam pupilli regis Ladislai Caietam fuga dilapsi demandavit. Tandem Philippus IV. anno 1666. quum Caroli II. filii sui tutelam supremis tabulis commendasset reginae ipsius parenti, pluribusque ministris regentibus. Alexander VII. haud neglexit baliatum regium Sedi suae, sed irrito conatu vindicare, sua per Nuntium iura proregi Petro Antonio Aragonensi patefaciens (4).

XV. Regium insuper ius armorum in hocce Regno defendendo, vel recuperando haud semel administrarunt Legati Romanorum Pontificum. Praesertim Guilielmus Cardinalis S. Eustachii sub Innocentio IV. pro Conradino rege pupillo contra Manfredum infeliciter pugnavit apud Foveae urbem. Tum Octavianus Cardinalis S. M. in via lata sub Alexandro IV. dux belli contra eundem Regem Manfredum pacem ab hoste petiit prospera illius fortuna compulsus (5).

§. I.

De Siciliae Rege Legato et Iudice monarchiae.

XVI. Pontificiam legationem nonnulli etiam reges habuere. Nam Silvester II. creatus Pontifex anno 999. Stephano Hungariae Regi sanctissimo, qui Christi fidem in Pannonia propagaverat, ut Crucem deferret ante se in signum apostolatus, et Ecclesias in suis ditionibus ordinaret, indulsit (6). Indubitatum esse, Thomasinus ait, B. Stephanum *Hungariae Regem legationem apostolicam gessisse, et potestatem eius explicuisse omnem. Beli* Rex Hungariae idem sibi instaurari privilegium poposcit a Gregorio IX. anno 1238., antequam bellum inferret

(1) Apud Barl. Chioccarell. *to. 1. arch.*
(2) Ex traditis a reg. Moles in *decr. reg. cam. par. 1. de collectis num. 8.*
(3) Auctor *hist. civil. Neap. lib. 39. cap. 1.*
(4) Romana eiusmodi iura propugnare Camillus Tutinus Neapolitanus presbyter studuit. Contra ea disseruit Marcellus Marcianus in *disputat. de baliatu Neapolitani regni adversus anonymum novatorem Neapolitanum perduellem.*
(5) Nic. Iansilla in *vita Manfredi.*
(6) Auctor vitae S. Stephani regis Hungarorum apud Surium *ad diem 20. aug.*

Bulgaris: *ut legati iure, et potestate* fines posset praefigere dioecesibus; parochias erigere novas, novos condere episcopatus in dioecesibus. Simul Martinus V. Papa post annum 1417. *Regem Poloniae Ladislaum*, *et Vicoldum* magnum *Lituaniae* Ducem *vicarios apostolicos* in Russia constituit (1). Eiusdem rei exemplum aliud praeclarum habet Sicilia ultra pharum, mox edisserendum curatius.

XVII. Prioribus sanctae Ecclesiae saeculis cui totum Ecclesiae Romanae patrimonium in Campaniae praesertim, et Siciliae provinciis commisit divus Gregorius M., eidem quoque personae mandare *vices* Apostolicae Sedis generales consuevit (2). Eiusque exempla sectati sunt Successores Pontifices. Undecimo declinante saeculo Urbanus II. Episcopum Frainensem, alias Imacharensem in Sicilia, pariter instituit legatum (3). Plures interea Metropolitae in pluribus huiusce regni Neapolis, Siciliaeque provinciis ab Romana Sede iam instituti (4), ut ceteras sileam quaerelas, quam aegerrimo ferebant animo Legatos pontificios, vel ordinario, vel extraordinario iure appellationum causas iudicantes, et Metropolitarum iura diminuentes multimodis.

XVIII. Tunc Rogerii (cognomine *gibbosi*) Siciliae Comitis accessit querimonia, qua factum est, ut anno 1093. Urbanus II. tandem praedicta Trainensis Episcopi legatione in irritum missa, Rogerium ipsum, eiusque filium Simonem, vel alterum, qui ei legitimus esset heres futurus, in Sicilia legatum Sedis Apostolicae crearet eo pacto, ut nullum alium illuc amplius mitteret legatum: remunerandi studio praeclara eius merita, religionemque ob expulsos Saracenos, vindicatasque Romanae Sedi a Constantinopolitana omnes utriusque regni Ecclesias (5). Pseudoque Pontifex Anacletus anno 1130, quum regia corona Rogerium decorasset praelaudati Rogerii filium, iussit *ut Episcopi et Abbates*, *qui in eius ditionis solo manebant*, *ei obtemperarent:* id quod Petrus diaconus tradit (6) coaevus auctor. Ab Anacleto schismatico turpem ducere originem Siculae legationis, quam *monarchiam* vocitant, connituntur Cardinale Baronio duce non pauci; ab Urbano legitimam, longeque probissimam alii adversae sententiae perplures. Res hinc, et hinc

(1) Lud. Thomasin. *par. 1. lib. 2. cap. 119. num. 10.*

(2) Id constat ex *cit. ep.* divi Greg. ad Episcopos Siciliae in *can. valde necessarium*, *dist. 94*, ex altera eiusdem ad Anthemium subdiaconum in *Campania* Nuntium de Atellani Episcopi testamento, et hereditate *lib. 7. ep. 53;* aliaque *ep. 24. lib. 4.* ad Cyprianum diaconum in Sicilia Nuntium de Theodori Episcopi testamento.

(3) Gotofredus Malaterra *hist. lib. 6. in fine*, Fazel. *rerum Sicularum lib. 7*, et Inveges *lib. 3.*

(4) Uti superius dictum *tit. XVI. num. 5.*

(5) *Bullam* huiusce legationis, quam *monarchiae Siciliae* vulgo nuncupant, dedit Urbanus II. Salerni anno 1098., a Ioanne Diacono Ecclesiae Romanae conscriptam. Eius tenorem videsis apud Baronium *to. XI. ad an. 1098.* Fazel. et Inveges *loc. cit.* et Reg. de ponte in *mss. de monarchia Siciliae* Lud. ant. Muratorius in *annal. Italiae ad an. 1098.* eam fert. datam *Salerni per manum Ioannis S. R. Ecclesiae diaconi 3. nonas Iulii indict. VI., Pontificatus Urbani secundi anno XI.*

(6) Petr. Diacon. in *chron. Cassinens. lib. 4. cap. 99.*

gestas ad hodiernum usque usum conspicere, vel cursim operae praetium est.

XIX. Hadrianus IV. cum Guilielmo I. Rogerii filio pactus est anno 1156., ut Romana Ecclesia in Siciliae regno, sine ipsius Regis, eiusque heredum petitione, non haberet *appellationem* neque *legationem* (1). Verumtamen Innocentius III. litteris investiturae ad reginam Constantiam Guilielmi germanam et Fridericum eius filium anno 1198. datis cautum voluit, ut canonicae fierent electiones sine ullo impedimento, appellationes ad Romanam Curiam libere interponerentur, legatosque pontificios destinari liceret (2). Simul Archiepiscopis, et universo Clero in Sicilia constituto binis litteris significavit libertatem canonicam iis in rebus vindicasse, et Octavianum Cardinalem Episcopum Ostiensem a latere legatum, ac visitatorem cum amplissimis facultatibus eam in Insulam deputasse (3). Dein Cardinales Gerardum S. M. in porticu diaconum anno 1199., P. SS. Petri, et Marcellini presbyterum anno 1202., Gerardum S. Hadriani diaconum anno 1204., Cencium S. Laurentii in Lucina presbyterum (4) illuc ablegavit, ut ea ab Insula armis etiam studerent profligare Marcovaldum, regnumque puero Friderico, cuius ipse Pontifex tutelam susceperat, sedulo tueri (5). Iulium quoque S. Stephani in monte Coelio presbyterum ibi suum a latere Legatum constituit. Demum Syracusano Episcopo pontificiam ibi legationem demandavit (6). Plures insuper causas appellationum ad se delatas pluribus eiusdem insulae Episcopis auctoritate pontificia inibi definiendas delegavit (7).

XX. Honorius III. anno 1217. Syracusanum Episcopum, qui ad Innocentium III. appellaverat, rite absolvit ab impetitis, eiusque adversariis perpetuum indixit silentium. Vigesimas super ecclesiasticis Siculorum redditibus semel, et iterum pro subsidio terrae sanctae, ac templariis indixit. Et Messanensi archimandritae, salvis Romanae Ecclesiae iuribus, nonnulla indulsit privilegia (8). Innocentius IV. exasperatis cum Frederico dissidiis S. presbytero S. M. trans Tyberim, et R. diacono S. M. in Cosmodin Cardinalibus Siculam quoque legationem credidit largissimam anno 1246. (9). Eamque ceteris deinceps alii Pontifices.

(1) *Art. 6. Concord.* inter. regem Guilielmum, et Papam Hadrianum *tit.* 10. huiusce libri *num. 2.*

(2) Apud. B. Chioccarell. *to. 1. arch. num. 14, et 15.* Eas investiturae conditiones servaturum spopondit Fridericus aurea bulla, quam dedit anno 1213. et altera ad Honor. III. anno 1219.

(3) In registr. epistolarum Inn. III.

(4) *Cap. nisi specialis 3., et cap. quod translationem 4. de offic. Legati.*

(5) Ex eiusdem Inn. III. *ep. 210. lib. 2,* Bzovio *ad an. 1199. num. 12.*, et Emm. Gonzalez ad *cit. cap. quod translationem 4. in not.*

(6) Ex plurimis ipsius Inn. III. *epistolis* a Baronio etiam laudatis in *dissert. de Monarchia Siciliae.*

(7) Ex eiusdem registri *lib. 1. ep. 108., 310., et 576., ac lib. 2. ep. 14,* apud Baron. *loc. cit.*

(8) Hon. III. *ep. 600.* ad Syracus. Episc. *tum. ep. 104, 131, et 359., lib. 3, et ep. 43. lib. 1.*

(9) Baronius *loc. cit.* ea de re laudat Innocentii IV. *epistolas 1., et 14.*

XXI. Ab Ioanne XXIII. anno 1412., quo regnare coepit Ferdinandus Aragonius, missus est Arago de Malaspina reformator Siciliae cum potestate conferendi etiam canonicatus, et beneficia, ab illoque Clero florenos 25. pro expensis quotidie percipiendi (1). Tum a Martino V. Cypressus Balaverius visitator omnium totius insulae Ecclesiarum anno 1418. (2), quum regnaret Alphonsus Ferdinandi filius.

XXII. Nuntios praeterea permultos in Siciliam, qui varia Sedis Apostolicae negotia gererent, praesertim de colligendis decimis, charitativis subsidiis, et spoliis, de occupationibus bonorum Romanae Ecclesiae compescendis, de restitutione rebellium, de commeatu Alexandrinis navibus concedendo, diversisque componendis controversiis, missos a Paschale II. (3), Innocentio IV., Bonifacio IX., Clemente VI; Innocentio VI., Urbano V., Ioanne XXIII., Martino V., et Paulo III., recenset Baronius, inde ut inferat monarchiae Siculae usi tot, tantosque Pontifices per tot saeculorum spatia non assentitos tacite nedum fuisse, sed immo ad internecionem usque adversatos apertissime.

XXIII. Paullus III. regnante Carolo V., Iulius III. Philippo II, Clemens VIII. Philippo III., Gregorius XV. Philippo IV., Alexander VII. Carolo II., Clemens XI. Carolo III., ut vim haberent in Sicilia inhibitiones criminales Auditoris Camerae Apostolicae, aliaque Romanae curiae mandata, ecclesiasticis censuris contumaces compulere Siculos. Recentiora censurarum iacula, totiusque Regni interdicta malo, quam referre, missa facere.

XXIV. Pactis quoque investiturarum conventis, quae idem enarrat Baronius, studuit Sedes Apostolica regiam legationis pontificiae dignitatem abolere, sibique et appellationum causas, et confirmationem electionum, et legationes liberas, et omnimodam in rebus ecclesiasticis auctoritatem vindicare, salvo dumtaxat regio iurepatronatus secundum canones. Haec praescripserunt omnia Innocentius IV., et Alexander IV. Henrico Anglorum regi, eiusque filio Eadmundo, quum iis regiam utriusque Siciliae coronam, antequam Carolo Andegavensi, offerrent. Tum Carolus I. Andegavensis anno 1265. acceptae iam investiturae conditiones impleturus, praestito fidelitatis iuramento inter alia probavit facultatem appellandi ad Sedem Apostolicam in caussis ecclesiasticis, abrogatis Decessorum constitutionibus contra ecclesiasticam libertatem editis. Idipsum Carolus II. Nicolao IV. semel spopondit anno 1299., et iterum Bonifacio VIII. anno 1295. Robertus etiam Clementi V. anno 1309, rursusque Benedicto. XII. anno 1335. Et Ioanna I. Gregorio XI. anno

(1) Baronius *ibidem*.
(2) Ex Vatic. Arch. cod. 2531.
(3) In *cap. significasti 4. de elect.* ad Panormitanum Archiep. rescribens Paschalis Papa (primus ne, an secundus, iis est inter scriptores ab Em. Gonzalez *in not. ibidem* laudatos) apocrisarios commemorat suos, qui iuramentum fidelitatis ab eodem Archiepiscopo susciperent. Hanc decretalem Paschalis II, qui sedem postremis Rogerii Comitis annis coepit anno scilicet 1099; vindicat Baronius ad *an. 1102. §. 6. to. 12. annal.* Verum inhibita iis fuit Legatis a latere collatio beneficiorum, et mutatio status Regni, *ep. 9. et 10. in archiv. Vatic.*

1372. Avenione. Hic idem Pontifex anno 1374. quum nuptialia foedera inter Fridericum III. Aragonium, dictamque reginam confirmasset, regios coniuges, eorumque heredes in perpetuum *Trinacriae reges* (1) nuncupare maluit eo inter cetera pacto, ut iura Ecclesiarum restituerent in integrum, regium in electionibus ecclesiasticis adsensum non requirerent, appellationes Romanas non impedirent. Cumque Alphonsus Aragonius esset ab Ioanna II. adoptatus, pactus est anno 1427. cum Martini V. Legato a latere Card. de Fuxo, ut personae ecclesiasticae cunctis fruerentur libertatibus, et immunitatibus. Tum ab Eugenio IV. investitus anno 1443., cum iisdem pactis libertatem appellationum, electionum, et fori ecclesiastici tuentibus, quae suo firmavit iureiurando Alphonsus anno 1445., *Trinacriam*, seu Siciliam ultra Pharum ad ea usque tempora divisam regno Neapolitano coniunxit. Pius II. Ferdinando Alphonsi I. f. investituram utriusque Siciliae dedit anno 1458., eamque eidem confirmavit Xystus IV. anno 1471., conventa quoque libertate appellandi ad Romanam Curiam, quae potissimum legationis ordinariae munus destruit. Eadem innovaverunt pacta Iulius II. cum rege catholico Ferdinando anno 1510., Leo X. cum Carolo X. anno 1521., Iulius III. cum Philippo II. anno 1555., ceteri.

XXV. E contrario quod Papa Lucius II. anno 1144. concesserit Siculo Regi Rogerio, huius nominis III. Comiti virgam, et annulum, dalmaticam, et mitram, atque sandalia, et ne ullum mittat in terram suam Legatum, nisi quem Siculus petierit, scribit Otho Frisingensis (2). Fridericum accepta Imperii Corona ab institutis Sub Innocentio III., et Honoriio III. rebus desciturn, deinde Conradum, et Manfredi regiis iuribus pontificiae Legationis tanquam hereditaria usos, Siculaequae Monarchiae quum restitutores, tum propagatores fuisse amplissimos, Baronius ipse asperis adfirmat querelis. Addit Svevorum Principum exempla sectantes Petrum Aragonium, eiusque successores, Pontificibus, licet invitis, adeptos regnum Siciliae ultra Pharum, quae Andegavensibus interea nostris non paruit Regibus ob acceptas utriusque Siciliae investituras Romanae Sedi acceptissimis, suae privilegia Monarchiae illibata conservasse. Alphonso, quum esset rex Martino V. infensus, Cardinalem Nicolaum Tedeschi Archiepiscopum Panormitanum Iuris Canonici interpretem, quem vulgatius Abbatem Panormitanum appellant, respondisse litteris mss., quas in archivio monasterii S. M. Novaelucis Cataniae servatas aiunt, quod Regi ex longa liceret consuetudine appellationes subditorum ad Sedem Apostolicam impedire: Siculisque rogantibus eundem Regem anno 1446. edixisse, ut appellationum cau-

(1) Hunc Regis Trinacriae titulum primus omnium dedit Bonifacius VIII. Friderico II. Aragonio anno 1303. in articulis concordiae inter Carolum II. Andegavensem utriusque Siciliae Regem nuncupatum, dictumque Fridericum, eique quoad viveret, Siciliae Insulae dominationem concessit. Idipsum firmavit Benedictus XI. eidem Friderico II. an. 1303.

(2) Otho Frising. *in Frideric. lib. 1. cap. 27., et 28*, ubi refertur epistola Senatus Romani, seu verius Romanorum Arnaldistarum ad Fridericum, conquerentium de mutuis Lucii Papae, et Rogerii concessionibus in detrimentum Friderici, et Romani Imperii.

sas ecclesiastici eo in regno Praelati, iudicesve cognoscerent, ut eae ad Romanum iudicium ne devolverentur.

XXVI. Fuerunt qui catholico Regi Ferdinando suadere studerent, Regi Siculo ius esse in sacra, et sacros, eumque omnia posse, quae potest Sedis Apostolicae Legatus. Nam eo regnante primus omnium Io. Lucas Barberius (1) in libro, quem inscripsit *Caputbrevium*, ex regiorum Siciliae archiviorum scripturis compilatum, edidit exemplar diplomatis Urbani II., auctographo nullatenus indicato. Tunc temporis Prorex Moncada consultus Regi respondit verba diplomatis Urbani esse non adeo ampla, uti erat consuetudo, et observantia: sed regios ministros favorabili usos interpretatione extendisse iura monarchiae: conniventibus plane oculis, quum nullam ea de re constitutionem, legemve ferre generalem censuissent (2). Nonnulla item animi sui dubia super iisdem legationis Siculae iuribus aperuit Carolo V. patronus regii Fisci Antonius Montaltus. At istius Imperatoris edicto, die 26. Decembris 1526., transumptivum diploma Urbani II., cuius auctographum desideratur, in lucem e ruderibus antiquitatis, ubi latebat, eductum est, confirmatumque una cum Sicularum Pandectarum volumine librum *de monarchia* inscriptum, omnium illius regni Consiliariorum subscriptione communitum, quo maximopere propugnatur non modo Rogerium Comitem, eiusque filium, et heredem fuisse ab Urbano legatos Sedis Apostolicae constitutos, sed cunctos etiam successores Siciliae Reges (3) eo in regno legatos esse natos cum potestate ea omnia, quae a latere Legati faciunt, efficiendi: imo, et substitutos ecclesiastici ordinis, quos *Iudices monarchiae* adpellant, creandi, qui perinde ac Vicelegati, et clericos, et monachos, Praelatosque cuiusvis ordinis, ac dignitatis etiam Episcopalis, et Cardinalitiae laicos quoque in caussis ecclesiasticis iudicent, et puniant, excommunicent, et absolvant; appellationes insuper ad Romanam Sedem impediendi; eiusque Nuntios, et Legatos

(1) Uti Bzovius narrat relatus a Baronio *to. 11. annal.*, et Spondanus in epitome Baronii *ad an. 1512.*

(2) A Cirino laudatus *in nexu iurisdictionis cap. 5.*

(3) Qui Baronium sectantur, utique in dubium revocare contendunt veritatem diplomatis Urbani ex anachronismo, seu errore indictionis, et silentio Eadmeri coaevi scriptoris *lib. 2. hist. novell. edit. Gerberonii*, qui fuit assecla una cum S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Urbani II. ex urbe Capua ad Concilium Bariense profecti, aliisque coniecturis. Verum illius etiam litteram probari non extinctam una cum primo Rogerii herede dignitatem apostolicae legationis, ex adverso alii praesertim Siculi, ut qui maxime solent, et summa contentione pro aris, et focis tuentur, rati eam non personalem, ac temporariam, sed perpetuam, atque ad quoscumque in perpetuum heredes, et successores Coronae Siculae transitoriam, eo praesertim argumento, *quod heredis adpellatio non solum ad primum heredem, sed etiam ad ulteriores heredes refertur*, ex *l. heredis*, *et l. sciendum D. de verb. sign.* Eiusque veritatem comprobant consonis testimoniis Ioannis Lucae Barberii in *Caputbrevium*, Fazelli *decad. 2. lib. 7. cap. 1*, Goffredi Malaterrae *lib. 4 hist. Normann. cap. 29.*, Cirini in *nexu iurisd. cap. 5.*, Regentis de Ponte in *ms. allegat. de Monarchia Siciliae contra Card. Baronium*, ubi citat Inveges, Maurolin. Laur. de Anania, Marian. Intigliol., Cuman., ceteros.

non admittendi. Rebus ita se habentibus Ascanius Cardinalis Columna, reclamante nimium Baronio, asseveravit monarchiam Siculam gravissimorum hominum consensu probatam, temporis diuturnitate receptam; ac summorum Pontificum permissu, regiaque potestate vallatam, quae usu tunc maxime vigebat. Quumque duo a S. Pio V. ad Philippum II. Legati apostolici, Vincentius Iustiniani Ordinis Praedicatorum Generalis, purpura paulo post decoratus, et Cardinalis Alexandrinus ab Rege petiissent abrogandam esse monarchicam legationem, ceu titulo destitutam: re ad consilium, informationemque Ducis Terranovae in Sicilia Proregis remissa, ut communi utriusque Potestatis consensione lis dirimeretur, Siculi exinde initam fatentur fuisse *concordiam*; ut vocant, *Alexandrinam* sub Pio V., eaque legationem Monarchae Siculi comprobatam.

XXVII. Turbulentas interea contentiones inter utramque ea ipsa de re Potestatem silentio praeterire, quam proferre, satius esset: praesertim Friderici Imperatoris cum Gregorio IX., et Innocentio IV., Conradi, et Manfredi cum eodem Innocentio, et Clemente IV., Petri Aragonensis cum Martino IV., Friderici II. Aragonii cum Bonifacio VIII., qui sacris omnibus regnum illud interdixit, et anathemate Siculos percussit. Contra eandem Siculi Regis legationem Caesar Cardinalis Baronius iussu Clementis VIII. plura quum fuso calamo scripsisset, monimenta in pontificiis tabulariis perscrutatus, suamque de ea dissertationem tomo XI. annalium insertam evulgasset: Hispani comburendum igni eundem tomum damnarunt (1). Mox Philippus III. Hispanarum Rex post Clementis VIII. obitum die 3. Martii 1605. Cardinalem ipsum Baronium, ut sibi suspectum, et infensum eiuravit Cardinalibus in Conclavi pro novo eligendo Pontifice clausis, atque ab imminenti electione in eum ipsum prona exclusit semel, dum Leo XI., Cardinalis Alexander Medicaeus electus est die 1. Aprilis 1605., et iterum dum eo post dies viginti sex defuncto proclamatus Pontifex fuit Cardinalis Camillus Burghesius, nimirum Paulus V. die 16. Maii eiusdem anni. Postea Baronius ipse, ut male conceptam de se opinionem Hispano Regi adimeret, ad eum epistolam Tusculano dedit idibus Iunii 1605., qua nil a suo erga Regem officio descivisse profitetur, si dissertationem de monarchia Sicula sinceram conscripsit, et vulgavit iussu Clementis VIII. non ad regia evertenda iura, sed ad rem controversam congruo temperamento componendam (2). Nostra tandem memoria Clemens XI.

(1) Ut refert Muratorius in *annal. Italiae ad an. 1098.*

(2) Hanc Baronii epistolam integram habet codex Italiae diplomaticus Ioannes Christiani Lunig. *to. 4. sect. 2. diplom. 188. Non ante creationem novi Pontificis, eiusdemque aetate florentissimi senior ego*, Cardinalis ait, *laboribus fractus, viribus debilitatus, etiam sepulchro propinquus ad catholicam Maiestatem vestram mihi in animum induxi fore scribendi, ne viderer, dicam libere, pontificia cessante sede eiusmodi internuntio litterarum auram voluisse captare regiam, et ita sternere mihi viam ad gradus sublimioris conscensionem. Sed procul absit, ut me Regum favor, et non potius Regis Regum Christi gratia in thronum pervehat altiorem . . . Quae a me in eo argumento scripta*

quum eiusmodi legationem Urbani aboletam omnino, et monarchiae tribunal suppressum voluisset binis apostolicis litteris anno 1714., et 1715. datis (1): non sine publicae tranquillitatis turbatione dissidia recruduere.

XXVIII. Ea tamen restinxit Benedictus XIII., qui pacis fovendae studiosissimus, et neutrius iura partium violaturus correctis tribunalis monarchiae Siculae abusibus, eam stare consensit sua constitutione 3. Kalendas Septembris 1728. edita, quae incipit *fideli*, quaeque vim concordiae nunc habet (2).

XXIX. In primis plane decrevit, ut causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, *maioribus* tantum exceptis, quae Romano Pontifici speciatim, eiusque delegatis reservatae *iuxta canonicas sanctiones* sunt, in ipso Siciliae regno ultra Pharum cognoscantur, et terminentur. Ut nimirum omnes *non exemptorum* causae in primo gradu *coram Ordinariis locorum* dumtaxat cognoscendae ab eorum Curiis non avocentur, nisi per *legitimam appellationem* a sententia definitiva, aut ab interlocutoria, quae vim definitivae habeat, vel ab actu cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel praeiudiciale sit invertendo iustum iuris, et iudiciorum ordinem, aut nisi integro biennio a die motae litis remanserint coram ipsis Ordinariis indecisae, quemadmodum a concilio Tridentino (3) decretum est. Si secus fiat, quaecumque appellatio, inhibitio, aut sententia eo ipso nulla, et irrita sit. *Exemptorum* vero causae civiles, et criminales in primo etiam gradu *iudex* ecclesiasticus a Rege nominatus, et delegatus, qui *iudex monarchiae* dicitur, cognoscat tanquam Ordinarius. Tum a sententiis Ordinariorum ad Metropolitanum appelletur, servata forma Tridentinae constitutionis.

XXX. §. 2. Postquam Metropolitanus causas, vel Suffraganeorum in secundo gradu, vel suae ipsius dioecesis in primo gradu iudicaverit eas iudex idem regius monarchiae, qui sit in Iure Canonico doctor, seu licentiatus, et in ecclesiastica dignitate constitutus, in gradu appellationis cognoscat, aliaque peragat mox exprimenda.

XXXI. §. 3. Easdem causas tam exemptorum, quam non exempto-

fuere, ad ipsum Clementem VIII. attuli cognoscenda. Accepit, legit, ac perlegit iterum... Eamdem ipsam tribus selectis S. R. E. Cardinalibus disquirendi tribuit facultatem, quam accurate discussam, comprobatam pariter atque laudatam, ita ad lapidem lydium admotam saepius, inventamque sinceram, iussit imprimi... Iussu Clementis, ut saepe dictum est, scriptis illa mandavi. Quae licet in malam partem accepta fuerint ab eius ministris: de Maiestate vestra absit mihi aliud sentire, quam sicuti est de Rege catholico, Ecclesiae defensore, Fidei christianae propugnatore, atque amatore veritatis, legum custode, iustitiaeque cultore sentiendum est. etc.

(1) Eas videsis apud Lunig. to. 4. codicis Italiae diplomatici *sect.* 2. *diplom. 219.*

(2) Extat in magni Bullarii continuatione *par.* 4. isthaec articulorum XXXV. *bulla concordiae* Benedicti XIII, una cum rescripto Caroli VI. Imp., et regia pragmatica pro illius pubblicatione, ac executione, edita die 5. Febr. 1719.

(3) Trid. in *cap. causae omnes 20. sess. 24. de reform.*

*

rum in altero appellationis gradu *alter*, qui eisdem qualitatibus praeditus sit, *ecclesiasticus* in utroque iure doctor, vel licentiatus, quem Rex quoque delegaverit, cum tribus assessoribus in utroque iure versatis ab ipso Rege deputandis rite cognoscet, ac definiet. Et quoties aliud iteratae appellationis beneficium leges indulgeant, *tertius* cum tribus aliis assessoribus iudicium adsumet, *et ita deinceps* quartus nimirum, quoadusque sententiae tres uniformes iudicatam rem parientes silentium ipso iure indixerint succumbentibus.

XXXII. §. 4. Appellantes in causa una ab Ordinariorum iudicio, nec Metropolitano, nec iudici monarchiae licebit quod ad alias causas, praeterquam in casibus a Iure Canonico praescriptis, eximere: sed ipsos iurisdictioni Ordinariorum suorum subiectos relinquant.

XXXIII. §. 5. A decretis, vel sententiis, quas tulerint Conservatores Regularium, liceat itidem appellare ad iudicem monarchiae, et rursus ab hoc ad alterum, aliosque in gradu ulteriori iudicaturos cum iamdictis assessoribus. Conservatores autem adigantur adamussim servare pontificias constitutiones Innocentii IV., Alexandri IV., Bonifacio VIII, et Gregorio XV, nec non Tridentinas.

XXXIV. §. 6. Appellationes non recipiendas edixit, *nisi per publica documenta realiter exhibenda prius constiterit appellationem a sententia* definitiva, *vel habente* vim definitivae, *aut a* gravamine *quod per definitivam reparari non possit*, *vel quod* praeiudiciale *sit in casibus iure non prohibitis*, *per* legitimam personam, *et intra* statuta tempora *fuisse interpositam, aut prosecutam; nec praeterquam in casibus iure permissis. Nec liceat inhibere Ordinariis, aut etiam simpliciter mandare, ut copia processus transmittatur etiam expensis appellantis, nisi casibus iure permissis.*

XXXV. §. 7. Inhibitiones post legitimam appellationem non concedendas, *nisi cum insertione sententiae, aut decreti, a quo provocatum fuerit: alias ipso iure sint nullae, eisque impune liceat non parere.* At ubi authenticum illius exemplum culpa iudicis inferioris, vel actuarii habere non posse appellans conqueratur: tunc Metropolitanus, aeque ac iudex appellationis rescribent, *ut soluta actorum mercede* infra brevem terminum petitum dent exemplum appellanti, et interim nihil innovetur.

XXXVI. §. 8. A decretis in *visitatione*, *vel pro correctione morum* editis appellationem *quod ad effectum suspensivum* vetat, nisi cum visitator parte citata, et adhibita causae cognitione *iudicialiter* processerit, et in aliis casibus a Iure permissis.

XXXVII. §. 9. Cum a *gravamine*, quod per definitivam reparari nequeat, vel quod *praeiudiciale* sit, appellatur: nonnisi *visis actis* gravamen ostensuris admittendam appellationem statuit.

XXXVIII. §. 10. In causa *indebitae carcerationis* oretenus mandatae permittit inhibitiones, quoties de mandato illius constiterit ex duorum testium depositionibus, vel de ea sequuta ex documento notarii, aut custodis carcerum. Addit in causis *comminatae iniustae carcerationis*, vel *torturae*, vel *excommunicationis* inhibitiones expediendas fore *non generales*, *et indefinitas*, sed *compulsoriales* tantum pro

transmissione copiae actorum, addita clausula, *et interim iudex, a quo ad ulteriora non procedat*: ut ubi ex actis evidens appareat gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, causam cogniturо iudice ad quem: alias ea remittatur ad ipsum primi gradus iudicem.

XXXIX. §. 11. Acta originalia transmitti ad iudicem appellationis vetat, nisi causae natura flagitet, aut probabilis suspicio falsitatis rite obiecta: quae post finem litis ad Ordinarium remittenda sunt, ut in eius curiae tabulario adserventur.

XL. §. 12. In eo ipso, ubi reperitur, carcere statuit appellantem detinendum interea esse, donec iudex appellationis *visis actis, causaque cognita* aliter decreverit. Altera si appellatio contra *decretum excarcerationis* interponatur, ea tunc *effectum tantum devolutivum* favore libertatis producit.

XLI. §. 13. *Censuram ecclesiasticam* ut quilibet iudex appellationis etiam monarchiae delegatus revocare, aut nullam declarare, nonnisi *auditis partibus, et causa cognita* possit. Eam si iustam agnoverit, appellantem ad iudicem ipsum a quo remittat pro absolutionis beneficio humiliter petendo, et rite post emendationem obtinendo. Ab iniusta, vel dubia is eum absolvat: quamvis *honestius* sit absolvendum a dubia censura ad Ordinarium quoque remittere, brevem tunc ei terminum praefigendo.

XLII. §. 14. Si dubium vel facti, vel iuris incidat, in controversa nullitate excommunicationis vel ab homine, vel a iure inflictae; iudex appellationis *absolutionem ad cautelam cum reincidentia, et praestita cautione de stando iure, et parendo mandatis Ecclesiae* indulgeat, vel *Ordinario* loci mandaturus, ut appellantem excommunicatum in eo ipso loco praesentem *intra tres dies absolvat*, vel *Confessario*, ille si inde absit, aut eum absolvere Ordinarius recusaverit. Triduum vero decurrit ab eo die, quo mandata eiusmodi absolutionis, non Ordinariis ipsis ob reverentiam, sed ipsorum cancellariis fuerint exhibita. Interea que *cedulones tegantur dumtaxat*, nisi mos in peculiaribus casibus postulaverit eos amoveri.

XLIII. §. 15. A sententia definitiva *contra verum contumacem* prolata non recipiatur appellatio, nec inhibitio contumacia durante concedatur.

XLIV. §. 16. In criminalibus causis ubi ex officio processerint Ordinarii, personam actoris in gradu appellationis gerat promotor fiscalis, vel curiae metropolitanae, vel iudicis monarchiae, eoque non audito, appellationis acta omnino irrita sint, et praecedentes Ordinariorum sententiae executioni mandentur.

XLV. §. 17. Pauperibus litigantibus acta omnia gratis fiant, quum civilia, tum criminalia, copiae etiam transmittendae ad iudices appellationis: ubi paupertas summarie probetur, vel alias constet arbitrio iudicis.

XLVI. §. 18. Regulares intra claustra delinquentes iudicio superiorum regularium relinquantur iuxta dispositionem concilii Tridentini, et peculiarium statutorum. Extra claustra delinquentes, vel degentes, ab Episcopis primum iudicentur, et puniantur, mox in gradu appellationis a iudice monarchiae. In Praelatos vero exemptos, qui nullum alium

in Sicilia superiorem habent, hunc ipsum iudicem, tanquam Ordinarium procedere expositum superius est.

XLVII. §. 19. Potestatem is habeat *in integrum restituendi*, prout iuris fuerit, *quascunque personas* adversus sententias, res iudicatas, et quoscunque contractus. 20. Iuramenta quoque ad effectum agendi duntaxat relaxandi ex causa 21. Insuper absolvendi omnino, vel ad cautelam a quibuscumque censuris, et poenis ecclesiasticis quoslibet servatis de iure servandis, quemadmodum superius explicitum est 22. A censuris etiam, et poenis in utroque foro ob homicidium, periurium, adulterium, incestum, fornicationem, aliudve flagitium contractis; usurarios quoque restitutis antea usuris, iniuncta pro modo culpae poena salutari.

XLVIII. §. 23. Quod vero ad censuras latae sententiae summo Pontifici speciatim reservatas, a quibus Legati etiam a latere prohibentur absolvere, iudex monarchiae possit absolutionem temporaneam *cum reincidentia ad effectum agendi tantum*, *et ad cautelam* concedere recurrentibus a gravamine, quod in declaratoria censurarum eiusmodi reservatarum illatum sibi ii demonstraverint: necnon cognitionem assumere, an sententiae episcopales incursum earum declarantes fuerint validae, ac iustae, an irritae, et iniustae. Si eas non rite prolatas vitio nullitatis laborare solum cognoverit, Episcopo rescribat, *ut rite procedat ex integro* reservata post novam sententiam sedi Apostolicae absolutione plenaria. Iniustas vero, et nullas ubi deprehenderit, declaret in eas non incurrisse appellantes. Et versa vice si iustam noverit, recurrentes pro absolutione ad Apostolicam Sedem remittat. Idipsum in secundo, et ulteriori gradu servabunt alii etiam a Rege dandi iudices cum assessoribus supra iam dictis.

XLIX. §. 24. Monitoria excommunicationis *contra occultos*, *et ignotos malefactores*, qui *satisfacere* differant, *et conscios non revelantes*, praeterea ut concedat, servata forma concilii Tridentini, et constitutionis S. Pii V., cautum est.

L. §. 25. Ut quaecunque vota (praeterquam castitatis, et religionis, et visitandi limina quum SS. Apostolorum Petri, et Pauli de Urbe, tum S. Iacobi in Compostella) valeat in alia pietatis opera commutare Necnon largiri gratis omnino pauperibus tantum, qui labore manuum suarum vivunt, dispensationes in tertio, et quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu ad matrimonia contrahenda. 26. Proptereaque suis dispensationum litteris oratores absolvere a quibuslibet censuris ad effectum earum duntaxat consequendum.

LI. §. 27. In exequendis vero litteris apostolicis etiam super collatione beneficiorum, vel saecularium, vel regularium, ubi certi sunt executores dati, nequeat se iudex monarchiae ingerere, nisi a decreto executionis fuerit reclamatum de illato gravamine, vel excessu.

LII. §. 28. Non alios nisi unum in quacunque Episcoporum residentia, et praecipuis urbibus Trepano, Therme, Mile, et Masara, seu Augusta subdelegatum ecclesiasticum deputare is poterit, exemptumque ab Ordinariis facere. 29. Nec exemptionis litteras patentes aliis dare, *nisi ministris*, *et officialibus necessariis* ad tribunali monar-

chiae inserviendum, in toto regno quinquaginta non excessuris; praeter illos, qui Curiae Panormitanae in primo, secundo, et tertio gradu ecclesiasticis delegatis, et assessoribus inserviunt.

LIII. §. 30. In rebus quomodolibet spectantibus *disciplinam, et observantiam regularem* personarum utriusque sexus, distributionem officiorum, collocationem regularium, ordinationes circa chorum, et cancellos, clausuramque monialium, designationes cellarum, id genus alias nil omnino se ingerat in quovis gradu etiam appellationis, et recursus §. 31. Nec deputet praesides Capitulorum, superiores, vel abbatissas, vicarios, vel vicarias, vel qualescunque officiales utriusque sexus ex quovis titulo. §. 32. Neque magistros, lectores, rectoresque studiorum, nec eos in possessione munerum, vel officiorum confirmet, qui ea debent finito tempore statutis praescripto dimittere, vel sint a legitimis superioribus amoti. Nec iudicium sumat nullitatis professionis tam ante, quam post lapsum quinquennii. Illae tantum causae regularium contentiosae, in quibus de iure appellandi locus est, *expleto cursu iudicii in unoquoque ordine regulari* secundum constitutiones ipsorum, ad monarchiae iudicem devolvantur in gradu appellationis, ritu iam dicto processurum.

LIV. §. 33. Quam in exemptos saeculares clericos iurisdictionem Tridentina Synodus attribuit Episcopis ut Sedis Apostolicae delegatis, eius usum non impediat iudex monarchiae: tametsi eorundem exemptorum causas, et civiles, et criminales ex antedictis ipse cognoscit, ac definit in primo gradu, mox alii a Rege delegati in gradibus appellationum.

LV. §. 34. Graviores Episcoporum, et Archiepiscoporum causae criminales supremo Romani Pontificis iudicio cognoscendae, ac terminandae, reservantur iuxta legem Tridentinam (1). Minores vero criminales, et civiles causas, praesertim pensionum, in quibus rei sunt Archiepiscopi vel Episcopi a Metropolitis exempti, iudex monarchiae in primo gradu cognoscit: si vero Metropolitanis Episcopi subsunt, Metropolitanus in primo, iudex ipse in secundo gradu secundum antedicta procedit.

LVI. §. 35. Postremo cautum est, ut iudex idem *nullas sibi sumat partes etiam per modum provisionis, vel alio quovis praetextu contra ordinationes, et mandata*, quae *propria* Papae *manu per speciale rescriptum signata, et subscripta erunt; nec eorum executionem*, quantum in semetipso erit, *audeat impedire*, vel retardare: sed qua par est observantia executioni omnino demandentur (2).

(1) Trid. in *cap. causae 5. sess. 24. de reform.*
(2) Hactenus Benedicti XIII. constitutio vim concordiae habens in Sicilia.

§. II.

De Nuntio Neapolis.

LVII. Praerogativas fere Legatorum *Nuntiis* (1) quoque impertitur Sedes Apostolica, quos dudum consuevit *quasi a latere Legatos* mittere ad Reges, magnosque Principes, Resquepublicas: puta ad Caesaream Imperatoris maiestatem, et Reges Galliae, Hispaniarum, Lusitaniae, Poloniaeque; ad Respublicas Venetiarum, Helvetiorumque: ad Electorem Coloniae, magnum Hetruriae ducem, ducemque Brabantiae Bruxellis in Germania inferiori. Fere inquam istas, sed non omnes, nec easdem omnino. Quantoquidem *Nuntii*, ex. gr. ex privilegio solent (2) mensibus tantum apostolicis beneficia conferre, quae alias non reservata, neque affecta sint (3): quum Legati Cardinales cunctis mensibus sive ordinariis, sive apostolicis, et cuncta fere beneficia etiam reservata, et affecta conferendi ius obtineant. Quanta igitur sit Nuntiorum potestas speciatim demandata, et an ea ordinariae simul adnexa, an non sit, ex tenore brevium pontificiorum dignoscatur id oportet.

LVIII. Hoc in regno Neapolitano Nuntius Apostolicus ad S. Sedis beneplacitum est Camerae Apostolicae collector (4) generalis ad exigendum spolia, decimas, et quasvis alias fructuum Ecclesiarum, beneficiorumque partes, aliorumque iurium rev. Camerae: ac transigendum super illis cum necessariis, et opportunis facultatibus. Idemque insuper delegatus est apostolicus ad certas causarum species, quae aut iura Camerae, aut necessarias collectoris facultates spectent, vel

(1) Olim *apocrisarios*, et *responsales* S. Sedis nuncupatos ostendunt acta conciliorum, aliaque veterum scripta: quippe qui apud Reges, Ducesque, ii ut amicitiam cum Papa foverent mutuam, deputati sine ulla iurisdictione ordinaria Oratores, mandata pontificia, et responsa hinc, et hinc ferre curabant. Ἀποκρισεις enim *responsum* latine sonat. Iussione Pelagii II. Papae *responsis ecclesiasticis* in urbe Constantinopolitana se inservisse, dum esset adhuc diaconus, scribit divus Gregorius M. *lib. 3. dialog. cap. 35.*

(2) Rota *dec. 90. num. 5. par. 17. rec.*, et alibi card. Petra *ad Constit. Apost. tom. 5. pag. 26. sub. num. 40.*

(3) Rigant. *in par. 1. Reg. IX. Cancell. §. 4. num. 30., et 33. tom. 2.*

(4) Collector generalis *ad exigendum spolia, et quascunque decimas, quartas, medietates, et quasvis alias partes fructuum Ecclesiarum quarumvis, et beneficiorum saecularium, et regularium tam citra, quam ultra Pharum, et super illis quascunque concordias, transactiones, et conventiones ineundum: cum facultatibus, exemptionibus, et emolumentis, honoribus, et oneribus consuetis, servata tamen forma const. Innoc. Papae XII. super exemptionibus Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum inferiorum regni e iure spolii, eiusque applicatione in beneficium Ecclesiarum cum facultatibus necessariis, et opportunis.* Hisce verbis datum die 21. Martii 1744. a Benedicto XIV. vidi breve pontificium amplissimo viro Mirensi Archiepiscopo D. Ludovico Gualterio Sedis Apostolicae Nuntio ad hoc regnum Neapolitanum.

principaliter, vel accessorie (1). Puta ob ius spolii in causis illicitae negotiationis contra clericos, quas Xystus V. thesaurario generali, aliisque pontificiae Sedis collectoribus specialim mandavit (2) ad finem transigendi; tum peculii regularium extra claustra degentium (3); fructuum obventorum ex beneficiis confidentia simoniaca obtentis (4), atque ob cameralem clausulam, seu formam obligationum rev. camerae adiectam contractibus clericorum pro iisdem cautius observandis et facilius exequendis, quae prorogat Nuntiaturae apostolicae forum (5), nec non pro compellendis beneficiariis pensionum ecclesiasticarum debitoribus, qui aut per sese, aut per procuratorem speciali mandato in cancellaria pontificia spondent in forma rev. Camerae solemniori soluturos easdem, priusquam bullas beneficiorum suorum exinde accipiant (6).

LIX. Delegatus praeterea est causarum criminalium contra exemptos ecclesiasticos quorumvis ordinum, sive saecularium, sive regularium huiusce regni sicarios, bannitos, grassatores, rebelles, homicidas, assassinos, eorumque fautores vigore alterius brevis, quod consuevit Nuntio simul dari (7). Insuper contra regulares extra claustra

(1) Clemens X. suis sub annulo piscatoris litteris die 26. Ian. 1671. datis ad Fr. Marcum Antonium Episcopum Fulginatensem suum hoc in regno Neapolis Nuntium, *spoliorumque, et iurium Camerae Apostolicae debitorum* collectorem generalem concessit omnimodam auctoritatem *cogendi, et compellendi omni appellatione postposita* omnes, et singulos in toto regno; ac civitate dioecesi, et comitatu Beneventi debitores *ad solutionem spoliorum, decimarum, rerum, iurium, et obventionum* eiusdem Camerae *per sententias, censuras ecclesiasticas, et poenas etiam pecuniarias arbitrio ipsius moderandas, et applicandas, ac per interdicti tam localis, quam personalis appositionem, fructuumque sequestrationem, et quaecunque alia iuris, et facti remedia opportuna . . . et si opus fuerit sententias, censuras, et poenas, et interdicta huiusmodi suspendendi . . absolvendi . . . necnon solventes quoslibet de eo, quod solverint quietandi, et liberandi . . . subcollectores, et alios quoscunque cogendi ad reddendum de exactis computum . . . nec non appellationes quascumque in causis spoliorum, et aliorum iurium Camerae a quibuscunque iudicibus ad te avocandi, ac per teipsum cognoscendi, decidendi, et terminandi . . . ceteraque faciendi, quae in praemissis, et circa ea necessaria fuerint.* Eiusmodi apostolicum breve, ut omnimodam exequutionem in toto regno haberet, prorex Petrus Antonius de Aragona cum Regii Collateralis Consilii placito iussit die 1. febr. 1671: declaravitque simul verba illa *Comitatu Beneventano* intelligi debere *de civitate Beneventi cum eius territorio, pertinentiis, et districtu tantum.*

(2) Xystus V. in *const. decens 100.*, *et const. Romanus.* Videsis Stephanum Quaranta in *sum. bullar.* ver. *spolia*, meumque *de beneficiis tract. 2. edit. cap. 18. num. 45.*

(3) Ex bulla Greg. XIII. incip. *officii nostri*, edita die 21. Ian. 1577.

(4) Ex bulla Pii IV. edita 17. Kal. Novem. 1564.

(5) Galles. *de oblig. cameral. quaest. 1. ad par. 4*, Genuens. *in prax. cur. archiep. Neap. cap. 117.* Videsis dicenda inferius *lib. 3. tit. 10. de prorogat. fori num. 12.*

(6) Vi regulae cancellariae XLV. *de consensu in resignationibus, et pensionibus praestando.*

(7) Quale datum etiam est praelaudato clarissimo D. Gualterio eadem die 21. Martii 1744. his verbis: *Ut per te, vel alios ecclesiasticos viros contra*

delinquentes; nedum ex antiquissima consuetudine, verum ex duobus etiam brevibus Clementis PP. VIII. (1), novissimoque alio Papae Clementis XII. (2), qui revocatis Benedicti XIII. adversantibus litteris, pontificio Neapolis Nuntio vetustam eiusmodi iurisdictionem in Regulares in integrum restituit. Ex longaeva item consuetudine ad iurisdictionem huius ipsius Nuntiaturae accessit cognitio causarum civilium contra Regulares omnes, nec non contra clericos saeculares ex litteris cambii, aut pacto incusandi in quolibet loco, et foro instrumenta obligationum (3). Insuper contra exemptos generatim (4).

LX. Regio placito, quod singuli petunt Nuntii Neapolim advenientes, multis clausulis aliquando expressis, et saepius tacitis limitantur facultates duobus iam dictis brevibus solitae iis demandari. In primis, quod eae in hoc solum citra pharum regno vim habeant, secus ultra pharum, seu apud Siculos. 2. Quod ad comitatum Beneventanum non egrediantur Beneventani territorium intra praescriptos fines. 3. Quod eas tantum exigant decimas, quae sint cum Regis adsensu, vel impositae, vel imponendae. 4. Quod in personas duntaxat

quascumque ecclesiasticas personas; omnesque alios ecclesiastici fori privilegio gaudentes, regni sicarios, bannitos, grassatores, rebelles, homicidas, assassinos, et eorum *receptatores, fautores, complices, et sequaces, et alios quoscunque facinora huiusmodi perpetrantes clericos etiam in sacris, et presbyteratus ordinibus constitutos saeculares, et quorumvis ordinum regulares, et exemptos, et Sedi Apostolicae immediate subiectos, cuiuscunque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, honoris, dignitatisque existentes, in quos iudices saeculares exercere iurisdictionem non possunt, procedere, et illos in carceribus mancipari facere, legitimisque indiciis praecedentibus quaestioni, et torturae, et pro delictorum ab eis perpetratorum qualitate condignis corporis afflictivis, etiam mutilationis membrorum, vel ultimi supplicii poenis, si afficiendi essent, afficere, sive Curiae saeculari puniendos tradere: dummodo a sententia in causa sanguinis per teipsum ferenda abstineas, et sententias a iudicibus competentibus contra eos etiam in contumaciam latas absque aliquo sententiarum, censurarum, vel poenarum, aut irregularitatis incursu, prout iuris fieri, exequi libere, et licite valeas auctoritate apostolica . .* Ipsissimis hisce verbis concepta fuere brevia posteriora ad Archiepisc. Naupactensem Lazarum Opitium Pallavicinum, et Archiep. Carthaginensem Iosephum Lucatellium Nuntios novissimos. Curia vero Capellani Maioris die 12. Iunii 1760., in sua pro regio placito relatione dixit in altero duorum brevium, *che si concede al mentovato Monsignor Arcivescovo di Cartagine la potestà, ed autorità di poter riconoscere e giudicare le cause criminali de' delitti, che si commettono in questo regno tanto da' cherici secolari etc., quanto dai religiosi dell' ordine de' Benedettini, come delle altre religioni etc. con poter procedere alla carcerazione, a tormenti, e alle pene corporali.* Tum votum exprimens in *fine* ait, *che S. M. può degnarsi di concedere ai brevi sudetti il regio Exequatur.* Dein die 16. Iunii 1760., Regalis Camera S. Clarae decrevit, *quod exequatur servata forma eiusdem relationis.* Cuiusmodi decretum denique comprobarunt pro Rege pupillo Domini Regentes regio diplomate dato die 25. Iunii eiusdem anni.

(1) Datis die 29. Iunii 1592., et 22. Augusti, 1601.

(2) Dato die 2. Decembris 1730., quod incipit *commissi nobis.*

(3) Ex infra dicendis *hoc tit. num. 76., et lib. 3. tit. 10. num. 12.*

(4) De quibus dicam inferius *hoc tit. num. 63., et lib. 3. tit. 13. num 8. ad 11.*

ecclesiasticas mandatam exerceant iurisdictionem (1). 5. Quod a decimis, spoliis, aliisque apostolicae Camerae iuribus beneficia de iurepatronatus regio, aut feudali Baronum, aliaque reservata (2) eximantur.

LXI. Ordinarium appellationum iudicem nunquam fuisse Neapolis Nuntium, nullaque ordinaria Legati apostolici potestate frui, eoque minus ampliori extraordinaria consuevisse, secus quam aliquos, qui paulo ante commemorati sunt, Nuntios, res iam est exploratissima. Quae sane res discrimen facit nedum generale inter Nuntios, et legatos, quum nulla sit iurisdictio adnexa Nuntii officio (3), sed speciale etiam inter Neapolitanum, qui revera non legatus est, ceterosque alibi Nuntios simul, et legatos (4).

LXII. Praecipuum Neapolitani Nuntii munus itaque versatur in colligendis decedentium beneficiariorum spoliis, et cognoscendis causis eamet frectantibus, dummodo in laicos nullum intentetur iudicium (5) Si quos tamen creditorum pecuniam suam recuperaturos agere super bonis decedentium Praelatorum spolio subiectis contigerit: non immerito dubitatur, an tribunali Nuntiaturae sit hodie facultas ea de re cognoscendi ac iudicandi. Quum enim successores Episcopi, ac Praelati nunc temporis potestatem habeant applicandi spolia decessorum cathedralibus, vel parochialibus intra dioecesim ecclesiis, et inquirendi bona spolio adfecta ex novis pontificiis constitutionibus Innocentii XII. (6), et Benedicti XIII. (7): fit, ut extincto Camerae apostolicae iure quod ad eiusmodi spolia, extinctum simul videatur in pontificio Collectore ius de eo inqui-

(1) Hasce quatuor limitationes habent expressas regii placiti litterae in forma regiae cancellariae die 28. aprilis 1744. datae super brevibus facultatum praelaudati Nuntii Gualterii *in registro communi X. fol. 154.*, et in actis curiae Capellani maioris.

(2) Ex antiqua regii placiti formula apud B. Chioccarell. *to. 3. archiv. tit. 41.*, quam exposui in *tract. de beneficiis cap. 18. de spolio num. 35.*, *et seqq.*

(3) Fr. Florens. ad *tit. de officio legati circa fin. to. 2.*

(4) *Nuntii* titulum nuncupatione impropria et nomine tenus Neapolitano attributum, eisque reapse non convenire, putarunt Cardinalis de Luca *disc. 23. miscell.* et Aloysius Riccius *par. 1. dec. 69.* Sed uterque, mea quidem sententia, perperam. Qui enim mandata et responsa ecclesiastica in Principis aula nunciat, procuratque, is revera *Nuncius* est, seu, ut loquebantur veteres, *Apocrisarius* et *Responsalis*, tam si absens, quam si praesens in aula adsit Princeps.

(5) Vacantium Ecclesiarum, beneficiorumque fructus quum maturatos, et inexactos usque ad diem obitus Praesulum, et beneficiariorum, tum vacantes usque ad diem possessionis cuiusque novi Praelati, vel Beneficiarii pro Camera apostolica Nuntius colligit, idemque summatim cognoscit an pars eorum sit in ecclesiae vacantis necessitates onera impendenda. Hinc regio rescripto die 1. Ian. 1793. ad Archiepiscopum Capuanum dato imperatum est, ut universitas Casalis Curtium Capuanae dioecesis Nuntium pontificium adiret, ab eoque postularet fructus illius parochialis Ecclesiae in eius fabricam, et necessitates impenderentur. Id quod pro aliis etiam locis Rex in praesentia temporum rescripsit.

(6) Innoc. XII. die 29. Ian. *1693.* in *const. inscrutabili.*

(7) Bened. XIII. die 12. Octobris 1726., in *const. Romanum decet.*

rendi : nam cessante collectionis fine, cessare simul putatur collectoris iurisdictio. Hac, ut opinor, ratione ductus Rex Carolus rescripsit anno 1749. ad Potentiae Episcopum Fr. Bonaventuram Fabotium, et doctrina, et moribus probatissimum, ipse ut controversiam inter patres Theatinos ven. Domus SS. Apostolorum Neapolis, aliosque praedefuncti Episcopi Potentini virtutibus ornatissimi Thomae Sersalii eiusdem ordinis creditores super illius spolio examinaret, ac prout iuris esset, decideret. E contrario contendunt iurium Nuntiaturae patroni iurisdictionem in spoliorum omnium causis adhuc integram ei esse ; propterea quod laudati Innocentii, et Benedicti bullis antiquas Nuntio, et collectori pontificio indultas a Paulo III., et Pio IV. facultates nedum non abrogari, sed immo firmari existiment ea verborum clausula : *illis alias in suo robore permansuris.* Addunt, si bona spolii defecerint, Praelatorum decedentium creditores posse pecuniam suam repetere in subsidium super fructibus viduarum Ecclesiarum tam quoad ii vixerint maturatis,et inexactis, quam pendentibus, qui ad Cameram apostolicam Iure novissimo pertinent, ad Ecclesiam vero, Praelatumque successorem iure antiquo (1) : non decere autem aiunt Cameram apostolicam iudicio Episcopi subesse. Quaestionem hanc dirimere non nostrum, sed summae Potestatis est. (*)

LXIII. Civiles etiam causas Episcoporum, aliorumque exemptorum, qui Sedis Apostolicae iudicio immediate subsint, cognosci, et iudicari a Nuntio auctoritate ei generatim a Paulo V. delegata ferunt. Sed huius Papae litterae ad Casertanum Episcopum speciatim datae (2) videntur

(1) De quo alias dictum in *tract. de benefic. cap. 18. num. 51., et ult.*

(*) Concordatorum lege an. 1818. art. XVII. nonnulla ad rem sancita fuerunt, quae heic attexenda duximus.

Et I. cautum, quod suppresso monte frumentario, sive regia procuratione spoliorum, et reddituum mensarum Episcopalium, abbatiarum, aliorumque beneficiorum,administrationes dioecesanae in qualibet dioecesi constituendae forent.

II. Constitutum hasce administrationes duobus canonicis constare, qui a Capitulo, sive metropolitano, sive cathedrali, tertio quoque anno per suffragiorum pluralitatem eligendi essent, ac renovandi, nec non regio procuratore ab augustissimo nostro Rege designando.

III. Decretum quod cuilibet administrationi praeesset Episcopus, aut Vicarius generalis : Sede vero vacante, Vicarius Capitularis.

IV. Demum statutum, quod fructus percepti ex beneficiis vacantibus, in favorem Ecclesiarum, hospitalium, seminariorum, aliosque pios usus erogari debeant, servata tamen dimidia parte reddituum mensarum Episcopalium vacantium pro futuro earumdem Episcopo.

(2) Paulus PP. V. ven. fratri Deodato Episcopo Casertano nostro, et Sedis Apostolicae in regno Neap. Nuntio: Ven. frater salutem. . .*Ut in munere tibi commisso utilius te erga personas gerere possis*, tibi *ultra facultates per nos tibi concessas*, *quascunque ecclesiasticas* (*non tamen beneficiales*), *ac profanas civiles, criminales, mixtas ad* forum ecclesiasticum *quomodolibet pertinentes causas inter* personas *tuae legationis*, *quae* Apostolicae Sedi *ex privilegio immediate* subiectae *sunt, ad te deferendas, motas, et movendas cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, adnexis, et connexis, etiam summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, terminisque substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco praefixo termino arbitrio tuo procedendi, et*

ad Nuntios successores extendi non posse. Hoc tamen ex rebus gestis indubium est, quod consuevit Romana Sedes, postulantibus creditoribus civilem in Episcopos iurisdictionem Nuntio quidem ex integro delegare (1) : in ceteros autem exemptos sine ulla delegatione solent iura sua creditores experiri in tribunali Nuntiaturae.

LXIV. Praeter Fisci, et pauperum advocatos, procuratores, et substitutos, actorum magistrum, et decem scribas tribunalis Nuntiaturae in singulis regni dioecesibus, ut Nuntius commissarium deputet unum ad subcolligenda spolia, et quaevis ad Cameram apostolicam pertinentia bona, cum facultate eligendi sibi actuarium: in hac autem metropoli, et dioecesi Neapolitana decem duntaxat commissarios, et subcollectores, quum antea usque ad septuaginta excrescerent, Paulus III. iussit (2). Ii omnes a locorum Ordinariis exemptionem habent (3), et ipsius Nuntiaturae forum sortiuntur in omnibus generatim causis : praeterquam in rebus, aut curam animarum, si quam exercuerint, aut servitium Ecclesiae, si canonicatum, aliudve beneficium possideant, attinentibus (4). Quamobrem eosdem nonnisi solutos a beneficiis parochiali-

in prima instantia audiendi, cognoscendi, et fine debito terminandi... tenore praesentium facultatem concedimus, et impertimur, non obstantibus... Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 18. februarii 1616.

(1) Memorialem V. I. D. Mariani Lombardi libellum in Episcopum Scyllaciensem a Benedicto XIII. ad S. Congr. Episcop., et Regular. remissum eadem Congregatio suis, quas vidi, litteris die 16. Septembris 1729. ad Nuntium Neapolitanum remisit, ut in causa prout iuris procederet, etiam facultatem ipsius S. Congregationis ei ob id eisdem litteris demandata. Eodem anno die 29. aprilis ex audientia Sanctissimi rescriptum est super Alexii Consentini contra Caietae Episcopum libello, ut Nuntius item Neapolitanus cognosceret. Ab istis alia minus abludunt exempla. Die 28. Nov. 1749. Benedictus XIV. ad postulationem D. Idelphonsi Clementis de Arostegui ei ab nostro Utriusque Siciliae Rege Carolo demandatam rescribens ad Apostolicum Nuntium tunc D. Gualterium litteris Cardinali Valentis Gonzagae secretarii Status indulsit facultatem procedendi contra D. Tiberium Carafa Praelatum domesticum Sedis Apostolicae, cunctosque generatim eadem qualitate praeditos ecclesiasticos.

(2) Id Paullus III. edixit instructionibus suis anno 1529. promulgatis. In loco intra dioecesim exempto nequit alius praeter unum in tota dioecesi deputatum subcollector subtrahi a iurisdictione Ordinarii ex iteratis sacrae Congregationis Concilii decretis. Cum enim Episcopus Bituntinus dubium exposuisset, an subcollectore pro locis Fasani, et Rutiliani nullius dioecesis deputati, et Bitunti commorantes, gauderent exemptione aliqua : sacra Congregatio die 4. Maii 1694. respondit non gaudere, et Episcopum posse in eos procedere. Tum die 14. Martii 1722. ad Episcopum Caputaquensem simili de re dubitantem rescripsit servandum fore decretum istud in Bituntina editum. Eorundem decretorum indubiam facit fidem Benedictus XIV. *lib. 3. de synodo dioecesana cap. 8. n. 7*, et Rigantius *in Reg. V. cancell. num. 209. to.* 1. Exinde liquet substitutos, officialesque subcollectorum nulla prorsus exemptione gaudere. Unum tantum notarium pro singulis subcollectoribus exemptum declaravit S. Congr. in *cit. Bituntina* ad *dub. 3.*

(3) Ex *constit.* 40. Greg. XIII., et *const. 47.* Urbani. VIII. *tom. 2. Bullarii.* Has constitutiones speciatim pro hoc regno latas observat Rigantius *in Reg. V. cancellariae n. 189. to. 1.*

(4) Quod decrevit Sac. Congr. Concil., probante Innoc. IX., die 27. februa-

bus, et animarum curis fore deligendos, et ipsi, nisi in dioecesi, ad quam deputantur, resederint, nulla fori exemptione gaudere statuit Paullus III. Monet praeterea sapientissimus Papa Benedictus XIV. (1), inter Apostolicae Sedis officiales, quos ab Inquisitoribus haereticae pravitatis exemit Ioannes XXII. (2), atque ab Ordinariis locorum Romam pro suis negotiis adeuntes Eugenius IV. (3), non recensendos quidem esse subcollectores spoliorum: proinde in hos ab illis posse iudicia in casibus permissis exerceri censuris, et privatione beneficiorum etiam sine cura.

LXV. Die 27. februarii 1677., sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad occurrendum controversiis, et querimoniis circa subcollectores spoliorum, aliosque commissarios Camerae apostolicae, praesertim regni Neapolitani... statuit, ac decrevit, *ut in posterum in singulis infrascriptis dioecesibus*, *videlicet* Aquilana, Acerrarum, Aliphana, Abellinensi, Asculana in Piceno, Asculana in Apulia, Atriensi, Bisaciarum, Bitettensi, Bituntina, Bellocastrensi, Bovensi, Carinolensi, Calvensi, Caiacensi, Casertana, Campaniensi, Capritana, Conversana, Cotronensi, Castrensi, Castellanetensi, Civitatis Ducalis, Camplensi, Cariatensi, Fundana, Frigentina, Guardiensi, Galiipolitana, Isclana, Insulana, Iuvenaciensi, Litterensi, Lavellensi, Laquedoniensi, Mottulensi, Massalubrensi, Marturanensi, Minerviensi, Monopolitana, Melphiensi, Marsicensi, Montis Marani, Montis Pelusii, Melphictensi, Murana, Nuscana, Nicoterensi, Nucerina, Ostunensi, Oritana, Ortonensi, Pennensi, Puteolana, Polignanensi, Ravellensi, Rubensi, Rossanensi, Rapollensi, Reatina, Surrentina, Suessana, S. Agathae, Satrianensi, Stabiensi, seu Castri Maris, Sarnensi, S. Severi, S. Angeli Lombardorum, Troiana, Theanensi, Thelesina, Trivicana, Tranensi, Ugentina, Umbriaticensi, Vicana, Vulturariensi, Vestana, Venusina, Valvensi, Vigiliensi, Venafrana: *et in singulis pariter infrascriptis locis exemptis, seu nullius*, *videlicet* Canusii, Cerignolae, Casalis novi, Cetrani, Centolae, Castri S. Laurentii, Castellanae, Carbonariae, Drosii, Fasani, Montis Virginis, Montis Casini, Marubii, Pitignani, Rutiliani, S. Stephani de nemore, SS. Trinitatis Cavensis, S. Angeli ad Fasanellam, S. Vincentii de Vulturno, Terlitii, *et aliis*, *in quibus fortasse hactenus subcollectores deputari solitum fuit, unicus subcollector.* 2., in *sequentibus vero*, *scilicet* Aprutina, Aversana, Arianensi, Amalphitana, Alexanensi, Aquilana, Bariensi, Boianensi, Bisinianensi, Cavensi, Capuana, Compsana, Catacensi, Hieraciensi, Hidruntina, Iserniensi, Larinensi, Liciensi, Marsorum, Nolana, Neritonensi, Neo-

rii 1677., in appendice ad Conc. Roman. Bened. XIII., *an. 1725. art. 7.*, et Bened. XIV. *lib. 4. de synod. dioec. cap. 8. n. 6.*

(1) *Cit. lib. 3. de syn. dioec. cap. 8. n. 8.*, ubi reprobatur Eimericus aliter sentiens *in decret. Inquis. par. 3. qu. 26*, et Gonzalez. *ad Reg. VIII. Cancell. gl. 51. n. 82.*

(2) Ioannes XXII. in *cap. cum Matthaeus 3. de haereticis* inter extr. comm.

(3) Eugen. IV. in *cap. divina 3. de privilegiis* ibidem.

castrensi, Oppidensi, Policastrensi, Potentina, Rhegiensi, Sorana, Sipontina, Sulmonensi, Squillaciensi, S. Severinae, S. Marci, Theatina, Termolarum, Triventina, Tarentina, Tricaricensi, et Tropeensi *duo tantum. 3, in sequentibus, nimirum* Acheruntina, et Materana *unicus*, in Anglonensi, Beneventana, Cosentina, Caputaquensi, Cassanensi, Miletensi, et Salernitana *non plures, quam tres; et in* Neapolitana *decem subcollectores, et non ultra respective deputentur, et exerceant. Ad evitandam autem confusionem remisit arbitrio Nuncii dividere, et assignare cuilibet subcollectori partem dioecesis, seu loca, intra quorum limites debeant in exercitio se continere.*

LXVI. 4. Declaravit, *nullum subcollectorem post renunciatum officium gaudere exemptione ab Ordinario, nisi laudabiliter exercuerit saltem per duodecim annos. Eos vero, qui in officio, aut alias ita deliquisse comperti fuerint, ut a Nuncio amoveantur, et alii eorum loco deputentur, nullatenus exemptione huiusmodi gaudere; et e contra illos, qui probe, ac fideliter se gesserint, velintque in officio continuare, confirmandos esse a Nuntio, nec alios eorum loco deputari posse.* 5. Praeterea censuit, *ut subcollectores terminato officio non gaudeant amplius exemptione, defuncto, vel alias deficiente Ordinario, in cuius tempore exercuerunt. Sicuti etiam declaravit illos, qui licet in subcollectores deputati fuerint, nunquam exercuerunt, minime gaudere, nec pariter illos, qui non resident in dioecesi, pro qua sunt deputati, et Ordinarium certiorare debere sacram Congregationem de dicta non residentia, eiusque provisionem expectare. Generaliter vero subcollectoribus exemptionem ab Ordinario in civilibus non suffragari, nisi adesset in dioecesi iudex a Nuntio deputatus, qui habeat tantummodo facultatem in caussis passivis, et nullo privilegio, aut exemptione gaudeat.*

LXXVII. 6. Quod vero attinet ad substitutos, et officiales subcollectorum declaravit, *substitutos non gaudere exemptione, illam concedendam esse uni tantum notario pro quolibet subcollectore in actu exercitii, et quoad commissarios super illicitis negotiationibus, aut ad alias causas particulares deputatos non gaudere exemptione, nisi in actu exercitii, et tam commissarios huiusmodi, quam subcollectores, quando procedunt contra denunciatos, vel alios inquisitos de illicitis negotiationibus, si ex processu informativo constet de eorum innocentia, non posse illos cogere ad expensas eiusdem processus, et decreti absolutorii.*

XLVIII. 7. Declaravit *Parochos in subcollectores, aut Commissarios ad quascunque causas particulares non esse deputandos, sicuti nec Poenitentiarium, nec Theologum. Quod si post deputationem de aliqua parochiali, aut poenitentiali, vel theologali praebendis fuerint fortasse provisi, tunc minime gaudere exemptione in concernentibus curam animarum, et respective ad implementum onerum ipsarum praebendarum; et eadem ratione non gaudere canonicos, et alios beneficiatos subcollectores in concernentibus servitium Ecclesiae, et ad implementum onerum ipsorum canonicatuum, et beneficiorum, nec lucrari distributiones quotidianas, si non inserviant. Insuper teneri*

ratione beneficiorum , quae obtinent , ad publicas processiones accedere , solvere cathedraticum et subsidium charitativum , et interesse synodo, ac visitationi , non tamen pluries , quam semel in anno.

LXIX. *Posse vero solummodo cogi ab Ordinario ad exequendam visitationem in iis , quae respiciunt cultum divinum , ipsumque Ordinarium posse procedere contra subcollectores accedentes sine eius licentia ad monasteria monialium, aut non servantes praeceptum communionis paschalis, et contra percutientes presbyterum, vel clericum posse procedere ad declaratoriam excommunicationis ex can.* si quis suadente , *et si quando repererit aliquem subcollectorem in publico concubinatu vivere , certiorare debere eandem sacram Congregationem , ac ipsum Nuntium , cuius partes erunt severe eos punire , ac privare officio. Posse tamen eundem Ordinarium carceribus mancipare, ad superiorum dispositionem retinendos , subcollectores deprehensos in fragranti crimine , quod meretur poenam corporalem , non tamen minorem relegatione , dummodo statim de carceratione Nuntium certioret. 8. Item administratores locorum piorum in subcollectores deputatos subesse Ordinario quoad redditionem rationum administrationis : nec posse subcollectores a casibus Episcopo reservatis absolvi absque illius licentia , et nullum inquisitum posse a Nuntio in subcollectorem deputari , nisi de eius absolutione constiterit.*

LXX. 9. Declaravit, *subcollectores teneri ostendere Ordinario suas commissiones , antequam illas exequantur ; commissarios vero particulares teneri , vel per litteras patentes , vel privatas sui superioris , aut alio modo certiorare Ordinarium de demandata iurisdictione* . . . . Tandem Innocentius XI. die 16. eiusdem mensis declaravit *praecitatam constitutionem Urbani VIII. esse intelligendam iuxta praedictam sacrae Congregationis sententiam, et praesens decretum , omniaque , et singula in eo contenta approbavit , et confirmavit . . . voluit tamen Sanctitas sua quod . . . derogatum, sive praeiudicatum minime censeatur reservationibus , et affectionibus beneficiorum eorundem collectorum, et subcollectorum , resultantibus ex regulis Cancellariae apostolicae* (1).

LXXI. Sine litteris proprii Episcopi vitam, et mores testantibus nullius esse momenti deputationes subcollectorum, sive a Thesaurario generali, sive a Nuntio factas, eosque Ordinariis locorum subiectos adhuc permanere , declaravit die 23. Maii 1725. in concilio Romano particularis Congregatio a Benedicto XIII. deputata (2).

LXXII. Quoadusque perdurabit destinatio , munusque subcollectoris et notarii , etiamsi actu non exerceat , locum obtinet exemptio (3), quae fere post dimissum cessat officium. Fere inquam : sacra enim Congre-

(1) Hocce decretum habet appendix ad concilium Romanum Benedicti XIII. *num. 7.*

(2) Decretum extat in appendice Concilii Romani, et penes Rigant. *in reg. V. Cancell. to. 1. num. 98.*

(3) Ex decr. S. Congr. in Sarnensi exemptionis 13. Novem. 1688 ; et Bituntina deputationis subcollectorum 4. Maii 1697, apud Rigant. *loc. cit. num. 191.*

gatio Concilii censuit eos, qui Camerae duodecim annos probe serviverint, sponte se abdicatos quidem exemptione frui: secus tamen expulsos, et non sine causa ab Nuntio amotos. At vero propter crimina durante officio admissa, eos post illud quoque dimissum, quoad vixerint, Nuntius punit (1).

LXXIII. Ad familiam quod attinet armatam, lex Concordatorum (2) Nuntio duodecim indulget cursores, privilegio exemptionis a foro laicali gaudentes quod ad personalem dumtaxat districtionem in omnibus causis civilibus, criminalibus et mixtis: dummodo non agatur de criminibus poena, vel capitis, vel triremium regia potestate coercendis. De cursoribus autem, quos possent binos in singulis dioecesibus commissarii apostolici sibi adscire ex memoratis Pauli III. instructionibus, nullum omnino verbum in Concordatis, neque in planta cursorum a Plenipotentiariis pontificiis, et regiis constituta die 2. Iunii 1741. Et iure quidem merito: nam S. Congregatio in saepedicta Bituntina respondit unum cuiusque subcollectoris notarium exemptione guadere, nulla vero cursores (3). Arma regiis pragmaticis, edictisque prohibita nequeunt cursores tam Nuntii apostolici, quam Episcoporum in suo etiam exequendo munere deferre: quod iamdiu apostolicum Nuntium admonuit Prorex, Mirandae Comes, vi litterarum a Philippo II. datarum die 12. Decembris 1587. (4) Iisque usum armorum non prohibitorum solummodo permittunt Concordata (5).

LXXIV. Peculiaribus insuper fundationum statutis adsensu apostolico firmatis hoc in regno Nuntius apostolicus mandatam habet iurisdictionem super nonnullis Ecclesiis, et locis ab Archiepiscopo Neapolitano exemptis, earumque capellanis, et servientibus. Nimirum in Ecclesia, et hospitale regio S. Iacobi Hispanorum, atque in monasteriis duobus monialium SS. Conceptionis, et B. M. Magdalenae eiusdem regii hospitalis aere fundatis. Simul in nosocomio, monte, Ecclesiaque S. M. de patientia Caesarea (6).

LXXV. Insuper hospitale, et Ecclesiam S. Angeli ad Nidum, ex lege fundationis exemptam ab Archiepiscopo Neapolitano Benedictus XIV. Nuntio apostolico speciatim subiecit hoc pacto, ut Nuntius ipse tam *hospitale* quam *oratorium, et Ecclesiam, eiusque sacristam, seu rectorem, aliosque tam clericos, seu presbyteros, quam laicos a iurisdictione Archiepiscopi tam ordinaria, quam delegata exemptos in iis, quae respiciunt* divinum cultum, morum, vitaeque honestatem, et administrationem Sacramentorum, ac doctrinae in exercitiis spiritualibus exponendae puritatem, et generaliter quod ad omnia spiritualia *visitare, corrigere, et punire, et in eos quoscunque iurisdictionis actus exercere* (7).

(1) Ex Greg. XIII. *constit. 25.* declaravit S. Congr. die 2. Ianuarii 1629.
(2) Concord. *cap. 3. de immunit. person. art. 5., et seqq.*
(3) Rigantius *loc. cit. num. 193.* — (4) Apud B. Chioccarell. *to. 3. archiv. tit. 4. prope finem.* — (5) *Cit. cap. 3. num. 6.*
(6) Ex traditis *lib. 3.* harum *Instit. tit. 13. num. 9, et seq.*
(7) Benedict. XIV. in *const. praeclarum 51. §. 20. to. 4.* Bull. sui, de qua inferius *lib. 3 tit. 13. num. 11.*

LXXVI. Praeterea usitato iure prorogationis, huiusce Nuntiaturae tribunal rite compellit realiter, et personaliter quoslibet ecclesiasticos ad solvendum aes alienum, quoties ii sese obligaverint, aut in *forma R. Camerae apostolicae* (1): aut pacto expresso, ut valeat sua ipsorum obligatio incusari *in quolibet loco*, *et foro*, aut litteris collybisticis vulgo *cambii*, quae hoc pactum tacite continent (2). Morem hunc inveteratum cogendi morosos ecclesiasticos debitores in hoc tribunali Nuntiaturae in tribus iam dictis obligationum generibus convellere multi, et saepe, at irrito semper conatu studuere. Nam et Romana Curia, et Regis nostri aula, posthabitis appellantium, et recurrentium querelis, talem consuetudinem rebus iudicatis valde confirmarunt, ut mutuae paciscentium fidei, contractuum religioni, et maiori creditorum litigantium commoditati, bono scilicet publico faverent. Quandoquidem Sebastianus Arboreti sacerdos Bitectensis ab eodem tribunale Nuntiaturae in ius vocatus ad solvendam pecuniam ex litteris *cambii* Iosepho Martuccio debitam, ad Regem nostrum recurrens, quum exposuisset nullam *formae cameralis* obligationem in illis contineri, suaque ob id iurisdictione tribunal ipsum abuti, vexando clericos regnicolas in causis ad Praesules dioecesanos, locorumque Ordinarios pertinentibus: Delegatus regalis iurisdictionis Marchio Nicolaus Fraggiannius ea de re consultus, censuit relatione sua ad Regem data die 21. Decembris 1761., satius esse ob utilitatem publicam prudenti dissimulatione permittere, ut in foro Nuntiaturae ex diuturna consuetudine cogantur ad solvendum aes alienum debitores clerici saeculares tam *ex obligatione in forma camerae apostolicae*, quam *ex litteris cambii*, pactoque fori prorogati ex clausula conventae incusationis in *quovis loco*, *et foro*. Idipsum regalis Camera S. Clarae quum censuisset die 2. Maii 1748. super Casinensis monachi recursu: Rex Carolus ad eam exinde rescripsit, ut Regulares omnes in causis etiam civilibus eidem foro pontificio Nuntiaturae parerent: quamvis pontificium breve facultatum Nuntii apostolici regio placito communitum, nullum habeat verbum de ipsius iurisdictione in civilibus Regularium causis. Cuiusmodi sententiam rex Ferdinandus, seu Domini pro eo pupillo regentes comprobarunt rescripto ad eumdem Marchionem regium Delegatum dato die 3. Ianuarii 1762, quatenus ad ipsius normam componeret casus deinceps emersuros (*).

(1) Quonam ritu obligationes camerales incusentur dictum est *lib. 3. tit. 20. num. 6.*

(2) Videsis dicta inferius *lib. 3. tit. 10. num. 12.*

(*) Quum in novissima Concordatorum lege an. 1818. art. XXXV. constitutum fuerit eiusdem Conventionis executionem duobus selectissimis viris committendam, quorum alter a Sanctitate Sua, alter a Maiestate regia eligendus esset, Eosque a respectivis Partibus contrahentibus necessariis, et opportunis facultatibus muniendos esse; idcirco apostolicae Sedis Nuntius apud Regem nostrum Commissarius pontificius fuit ad rem electus.

Praeterea regio rescripto sub die XXII. mens. augusti 1821, quo Episcoporum Commissio instituta fuit, expresse cautum, ut Apostolicae Sedis Nuntius ipsi praeesset, atque collatis consiliis in huiusce Regni dioecesibus plures re-

TIT. XXIII.

De Capellano maiori Regis neapolitani.

I. Sacros ministros quum tabernaculo Domini in castris, tum templo hierosolymitano inservientes habuerunt apud se hebraeorum Duces, et reges.

II. Eorum exemplo Constantinus M., christianique inde Imperatores, et Reges aulica oratoria, sacrosque ministros habere domi suae, militiaeque sueverunt.

III. Capella *regium Galliae oratorium, in quo parva S. Martini* capa *servatur, illiusque sacri custodes,* capellani *primum dicti sunt.*

IV. SS. Patres, et Pontifices privata, et aulica oratoria, sacrosque aulae ministros fovere quidem studuerunt.

V. Neapolitanae aulae oratorio, Cleroque palatino Praelatus variis olim nominibus, Capellanus maior nunc dicitur.

VI. Regiis capellanis Praelato aulico subiectis exemptionem ab Ordinariis locorum iura etiam canonica indulgent.

VII. Hoc in regno Longobardi Principes Abbatem, et Clerum palatinum nono saeculo habuere.

VIII. Inde oratorii, Clerique palatini exemptiones; et praerogativae videntur ante Innocentium III. usu invaluisse.

IX. Nortmanni Principes S. Petri capellam Longobardorum Salerni Principum coluerunt praebendisque ditarunt. Dein eiusdem capellae regius patronatus ex donatione Ferdinandi catholici, et Caroli V. ad Pignatellios Montiscalvi Duces Mormilium successores pertransiit.

X. Svevi, Andegavenses, Aragonii Reges Magistrum Capellanum aulicae Capellae, et Clero suo praetulerunt.

XI. In castro novo neapolitano Reges Andegavenses, in palatio

ceptitiae constituerentur Ecclesiae, earumque statuta iuxta articulos generales a Carolo Rosini, olim Puteolanae dioecesis Episcopo, Viro de re litteraria optime merito, expositos, ederentur: quos singulos vel confirmatos legimus in regio diplomate sub die VI. septembris an. 1824.

Denique regio rescripto sub die V. Octobris an. 1839. ipsi apostolico Nuntio, ut supremo concordati Executori Ecclesiarum Collegialitatis examen commissum fuit, quae olim in regno Neapolitano fidelium liberalitate ad divinum cultum promovendum erectae fuerunt iuxta canonum sanctiones, omnibus collegialibus iuribus, et praerogativis in integrum restituendos esse sancitum.

*

Austriaci , tum in aliis arcibus , et castris regia oratoria cum regiis capellanis fundarunt.

XII. Omnes regiis capellis , et oratoriis inservientes clericos Praelatus aulicus , seu Regis Capellanus maior sibi subiectos habuit ex vetustis privilegiis.

XIII. Xystus IV. , et successores Pontifices plenam in regios Capellanos , quasi episcopalem iurisdictionem Capellano maiori speciatim mandarunt.

XIV. Post Caroli V. obitum expirasse indultam a Leone X. iurisdictionem Capellano maiore dubitabant.

XV. Clemens VIII. eam , quandiu Philippus II. , Regesque successores moram heic traherent , concessit.

XVI. Proreges inde a S. Congregatione Episcoporum, et Regularium senis mensibus obtinuere litteras Capellano maiori consueta iura prorogantes , post decennium intermissas, et neglectas omnino.

XVII. S. Congregatio Concilii anno 1733. Archiepiscopo Thessalonicensi nunciavit querelas in eum de abusu facultatum Capellani maioris delatas.

XVIII. Is autem reposuit consuetudinem immemorabilem , et mendacia querelarum.

XIX. Benedictus XIV. ordinariam Capellani maioris iurisdictionem quum in Aula regia , tum in locis, et personis ei subiectis firmavit , et explicuit.

XX. Eidemque tempore belli facultates largitus est ampliores.

XXI. In aula regia , et castris , locisque regiis separatum Capellani maioris territorium consistit.

XXII. In regios vero Capellanos , milites , et familiares ordinaria ipsius iurisdictio personalis.

XXIII. Quae ad capellanos regiarum audientiarum , et tribunalis campaneae extenditur.

XXIV. Atque ad inservientes Ecclesiis regiae collationis , et possessores talium beneficiorum.

XXV. Regalis Capellae cantores , quamvis laici, forum Curiae Capellani maioris sortiuntur.

XXVI. Simul et professores omnes regiae Universitatis studiorum.

XXVII. Neapolitani regni fines non egreditur Capellani maioris iurisdictio , praeterquam in milites ubilibet etiam in Sicilia degentes.

XXVIII. Sicilia in exemptos iudicem monarchiae proprium habet , pro cura animarum aulae Panormitanae Cantorem , pro sacris in Aula coram Principe celebrandis, Abbatem S. Luciae nudo Capellani maioris titulo fruentem.

XXIX. Quaestiones de regio, vel feudali patronatu Curia Capellani maioris diiudicare iamdudum consuevit.

XXX. Nec non impedimenta in expediendo regio placito super litteris, et provisionibus Romanae Sedis, et Curiae.

XXXI. Ne placita eiusmodi concederentur, nisi post rem cognitam in Curia Capellani maioris, Philippus II. edixit, quae inde in codicem referre placita cum suis relationibus suevit.

XXXII. Idipsum imperans Philippus IV. insuper rescripsit partes interesse habentes audiri in eo expediendo debere.

XXXIII. Stylus inde invaluit supersedendi primum, dein clausulas iura Regis, moresque regni servantes adiiciendi relationibus Curiae, decretisque placitorum.

XXXIV. Mox impedimenta partium increbuere cum mutuis querelis.

XXXV. Rex Carolus plura edixit pro celerandis regii placiti expeditionibus, amovendisque impedimentis.

XXXVI. Confraternitatum regulae ante regium adsensum censuram Curiae Capellani maioris subeunt, ad eamque deferuntur quaestiones praecedendi.

XXXVII. Ad vacantes Ecclesias regii patronatus ternos viros proponit Capellanus maior, et oeconomum regium interea designat.

XXXIII. Praefecturam regiae studiorum Universitatis gerit, censuras librorum delegat, atque ad Regem defert.

XXXIV. Rebus ecclesiasticis consilio ipsius Rex plerumque prospicit.

XL. Alias etiam praerogativas is habuit.

I. Hebraeorum ducibus, regibusque (ut paganos sileam idolorum cultores) sacros adfuisse ministros, qui Regem exercituum D. O. M. sacrificiis, et precibus propitiarent assiduis, ex divinis litteris sat compertum est. Arca foederis Domini sub pellibus fuit in tentorio, eiusque tabernaculum saepe loca mutavit simul cum castris Israel (1): in quo sacerdotes holocaustum, et hostias offerebant pacificas. Cumque primus eorum Rex Saul in angustiis belli contra Philistaeos sacerdotali munere fungi ausus esset, ea stultitia adeo Dominum irritavit, ut regnum promeruerit a seipso ad Davidem transferri (2). David autem aedificatis sibi domibus in arce Sion civitate sua, constructo ibi tabernaculo Arcae Dei, illicitum esse edixit, ut illuc a quovis alio ea portaretur, nisi a Levitis: deinde aliquot Levitarum instituit, qui ministrarent, et recordarentur operum eius, et glorificarent Dominum (3). Salomon quo-

(1) Paralipom. 1. *cap. 17. vers. 2. et 5.*
(2) 1. Reg. *cap. 13. vers. 9. et seqq.*
(3) 1. Paralipom. *cap. 15. vers. 2. et cap. 16. vers. 1. et seqq.*

que apud se habuit sacerdotes Sadoc, Abiathar, et Zabul, ceterosque, postquam templum Domino regiae domui proximum is erexisset.

II. Ab huiusmodi exemplis regiarum Capellarum, Capellanorumque origo in regiis Principum christianorum aulis, et castris repetenda esse videtur. Quod Constantinus M. in palatio suo extruxerit Oratorium, itemque tabernaculum praese formam Ecclesiae ferens, secum circumferre ad praelia contra hostes consueverit, addictis utrobique sacerdotibus, et diaconis, qui sacra peragerent quotidie, Deoque litarent, testantur Eusebius (1), Sozomenus (2), et Socrates (3). Religionem hac in re paternam tenuere filii eius (4). Theodosii iunioris palatium a monasterio parum discrepasse ob quotidiana religiosi cultus officia tradit Socrates (5), eiusque Oratorium palatinum Cedrenus simul commemorat. Theophanes itidem illud Imperatoris Heraclii. Iustinianus divo Petro sacram domus suae Ecclesiam reliquiis Apostolorum ab Hormisda Pontifice ditari petiit. Mauritius suam divo Paullo dicavit. Alia quoque ab aliis, Constantinopolitanis Imperatoribus constructa sibi Oratoria longum esset enarrare.

III. Occidentalibus regionibus non aliter, quam orientalibus aulica Oratoria fuere vetustissima: simul et Clerus aulicus, et militaris. In Clodovaei M. aula saeculo V. oratorium fuisse, in eoque capam S. Martini servatam, Thomasinus adstruit ex variis coniecturis (6). Pelagius Papa post medietatem saeculi sexti fertur apud Thomasinum rescripsisse Centumcellensi Episcopo, ut praevio examine presbyterum, diaconum, et subdiaconum a militaribus eius urbis copiis ex Imperatorum concessione praesentandos ordinaret. Mox S. Gregorius M. idipsum Lunensi Episcopo rescripsit pro diaconis, ac presbyteris ad praesentationem Ducis militiae ordinandis (7). Idemque Syagrium Episcopum obsequio Brunechildis Reginae Sigiberto-Rege addictum enarrat (8). Gregorius Turonensis clericos Fredegundae Reginae sub Chilperico memorat (9). Guntramnus, et Childebertus II. Burgundiae Reges sexto saeculo declinante oratorium aulicum coluere (10). Tum Reges Italiae Longobardos oratorio simul et Clero aulico usos iam liquet. Luitprandus paternum regnum adeptus anno 712., qui suis in legibus *christianus, et catholicus Deo dilectae gentis Longobardorum Rex* dicitur (11), *intra suum*

(1) Euseb. *lib.* 4. *hist. cap.* 17., *et* 18. — (2) Sozomen. *lib.* 1. *cap.* 8.
(3) Socrat. *lib.* 1. *cap.* 18. — (4) Euseb. *lib* 4. *cap.* 52.
(5) Socrat. *cit. lib.* 1. *cap.* 22.
(6) Thomas. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 109. Addit Bignonius ad Episcopatum Inculismanum a Clodovaeo promotum Aphtonium suum ipsius Capellanum scribit *lib.* 1. *cap.* 25.
(7) Thomasinus. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 5. in his Pelagii, et Gregorii epistolis patronatus regii, laicique umbram vidit, quae ad regios capellanos exercitus spectare potius videntur.
(8) Idem *lib.* 9. *ep.* 120. — (9) Greg. Turonens. *lib.* 8. *hist. cap.* 29.
(10) Ex traditis a Gregorio Turonensi *hist. Franc. lib.* 8. *cap.* 44. *et lib.* 10. *cap.* 13. Mabillonius *de re diplomatica* exscribit placita Theodorici, et Childeberti Regum de palatino ipsorum oratorio sermonem habentia.
(11) Luitprandus ipse in *praefat. ad leges Longobard.* apud Murator. *to.* 4. *annal. Ital. ad an.* 712.

quoque palatium Ticini *oraculum Domini Salvatoris aedificavit, et quod nulli alii Reges habuerunt, sacerdotes, et clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent*, Paulus Diaconus tradit (1). *Oracula* tunc appellari domestica oratoria consuevisse hinc patet (2). Primus omnium Marculphus medio circiter saeculo VII. vocabulo Capellae usus est, anteactis temporibus ignoto (3), ut parvam S. Martini capam denotaret. Eodemque sensu *capella* pro capa ipsa usurpatur in monimento Theodorici Regis anno 680. apud Mabillonium (4). *Capellam ipsam* fuisse brevem tunicam S. Martini putant alii (5). Itaque parvam *capam* S. Martini Turonensis quum Galliae Reges in Oratorio servare suo, secumque ad militaria castra contra hostes religiosa cum fiducia circumferre consuevissent : inde et *capellani* profluxit vocabulum, quippe qui munus obiret vel custodiendi, ferendique capam sacram, vel Oratorio, ea ubi esset, inserviendi.

IV. Quoniam Reges Deo frequenter colendo vacantes totum fere orbem consueverunt ad ipsorum exempla componere : factum est, ut sanctorum Patrum hortationes, duce Chrysostomo (6), summique Pontifices plura indulgendo privilegia pietatem Regum, ac devotionem maximopere provocarent ad extruenda sibi in singulis ferme palatiis Oratoria, ubi una cum capellanis, clericisque aulicis divina officia concelebrarent. Hos autem oportuit Praelato simul aulico subiicere, qui res ecclesiasticas in aula, curamque spiritualem Regis, regiaeque familiae

(1) Paul. diacon. *lib. 6. de gestis Longobard. cap. 58. de Luitprando,* et Murator. *eod. to. 4. ad an. 744.*

(2) III. Reg. *cap. 6. vers. 16. e 17.*, dicitur quod Salomon *fecit interiorem domum oraculi in Sanctum Sanctorum. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus* oraculi, *vers. 19.* Oraculum, *in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam foederis Domini. Porro* oraculum *habebat viginti cubitos longitudinis, totidem latitudinis, totidem altitudinis.*

(3) Marculphus, *lib. 1. formul. cap. 38.* Francorum proceres iurasse *manu posita in palatio super* capellam *domini Martini.*

(4) Mabillon. *de re diplom. ad an. 670. et 710.* Theodoricus Rex anno 680. *sua manu in oratorio nostro super* capella domini Martini, *ubi reliqua Sacramenta percurrebant, haec deberent coniurare.* Id etiam tradit Monachus Sangallensis *lib. 1. de vita Caroli M.*

(5) Cangius in *glossario*, Hier. Bignonius in notis ad Marculphi formulas *lib. 1. cap. 38.* non vestem ullam, sed capsam, seu thecam, in qua S. Martini reliquiae condebantur, fuisse censet. Idem putat Peiratius *lib. 1. de orator. Reg. Gall. cap. 1., et 2.*

(6) Chrysost. in acta Apost. *hom.* 18. diviles generatim hortans ad extruendas in villis suis Ecclesias, et presbyteros inibi alendos, *oro, imo et legem pono*, ait, *ut nullus qui habet* villam *appareat carere* Ecclesia. *Ne dixeris mihi : prope est, in vicinia est, magnus est sumptus, non magnum commodum. Si quid habes insumendum in pauperes, illuc insume. Melius illuc, quam ibi. Educa magistrum, educa diaconum, et sacerdotalem ordinem. Venerabilis erit, et presbyter postea, et ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuae propter te, laudes et synaxes propter te, oblatio per singulos dies dominicos. Quale est matutinis, vespertinisque hymnis praesentem esse, et simul grandentem sacerdotem videro. An parum est in sanctis oblationibus nomen tuum referri, et quotidie pro ville preces ad Deum fieri ?*

moderaretur instar dioecesani Praesulis. Cumque ad eam rectius obeundam modo presbyteros, modo Episcopos ad libitum adscire Principes consuevissent: hos quidem a residentiae lege in suis dioecesibus eximere visa est utilitas publica. Synodus Francofordiensis anno 794, propterea *consensit*, Hildeboldum Coloniensem Archiepiscopum *in palatio* Caroli M. *esse debere propter utilitates ecclesiasticas* (1). Tum Synodus Carisiacensis anno 858. rogandum Regem Ludovicum censuit, ut in palatio virum ecclesiasticum sacris gerendis, et ecclesiastica negotia curandis praeficeret (2).

V. Huiusce Praelati varia fuit nomenclatio. *Cartophylax* a Graecis dictus est (3), et *Protapapa* aulae imperialis (4), idest primus presbyter. In Gallia sub primae stirpis regibus *Abbas palatini oratorii* (5): posterioribus deinde temporibus *Capellanus*, *Archicapellanus*, *Palatii Custos* (6). Eadem cum eisdem fere nominibus dignitas ad oratoria utriusque Siciliae palatina, et regia pertransiit. *Fulco* Comitis Rogerii *Capellanus*, idemque medicus, et *Capellanus* legitur inscriptus (7). Petrus Blesensis saeculo XII. *ad* Gualterium *Capellanum Regis Siciliae* Guilielmi II. epistolam X. dedit, ut pro suo ipse officio Regem dehortaretur, ne indignos ad episcopales Sedes promoveret. *Ovis tua est*, inquit, *et in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti. . . Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale* (8). Posteriori aevo discriminis gratia dictus est *Protocapellanus*, et *Magister regalis capellae* speciatim a Carolo I. Andegavensi anno 1262, Roberto anno 1212., Ladislao anno 1392., Ioanna II. anno 1423. (9). Eum tandem nuncupare *Capellanum maiorem* maluerunt

(1) Synod. Francofordiens. *can. 55.* Thomasinus *par. 2. lib. 3. cap. 36.* commonstrat fusius, quod inter causas canonicas Episcopum excusantes a residentia dioecesana Patres accensuissent *Principis iussionem*, curamque sacrorum in aula. — (2) Syn. Carisiacens. *can. 7.*

(3) Theod. Balsam. *ad can. 18. Nicaen.*, *et can. 7. Trullan.*, Baron. *ad an. 691. num. 31.*, *et seq.*

(4) Codinus *lib. de offic. eccl.*, *et aulae Constantinop.*

(5) *Rusticus* S. Desiderii Cadurcensis Episcopi germanus munere *abbatis* in palatino oratorio functus narratur in vita eiusdem S. Desiderii. Bertharius item Carnutensium Episcopus, tum S. Sulpitius Biturícensis, Clotario II rege, abbates regii oratorii fuere. Ut enim auctor vitae S. Sulpitii scribit, Clotarius ab Episcopo petiit, ut *pro salute sua*, *ac exercitus sui licentia daretur*, *ut vir beatus in suis castris* abbatis *officio potiretur*. Eadem nomenclatio viguit in palatina Capella S. Petri ad Curtim Principum Salerni Longobardorum *saec.* IX., de qua paullo inferius *num. 7.*

(6) Adelard. Archiep. Parisiens. Carolo M. imperante in *lib. de Ordine Palatii*, Hincmarus *ep. 13. cap. 19.*, et Bollandus in *vita S. Angilberti.*

(7) In duabus Comitis Rogerii chartis, altera donationis divo Brunoni, apud Tasson. *de antefato*, altera pro coenobio Liparitano anno 1094. penes Pirrhum *in notit. eccl. Pactens.*

(8) Petr. Blesensis *ep.* 10. Idemque *ep.* 66. ad eumdem Gualterium rescribens, *scitis* ait, *quod dominus meus Rex Siciliae per annum discipulus meus fuit*, *qui et a vobis versificatoriae*, *atque litteratoriae artis primitias habuerat*, *per industriam, et sollicitudinem meam beneficium scientiae plenioris obtinuit.* — (9) B. Chioccharel. *to. 2. archivii.*

Bonifacius VIII. litteris, quas dedit die 22. Iulii 1294., et Bonifacius XI. alteris die 21. Novembris 1303. datis, regnante Carolo II. Andegavensi. Eodem titulo Alphonsus I. Aragonensis, saeculo XV., plures ad id muneris viros promovit. Eoque ipso usus est Leo X., dum plurimas largiri censuit facultates Caroli V. Imperatoris, tanquam regis Neapolitani Capellano Maiori die 20. Novembris 1519: tum Paullus III. die 26. Septembris 1537: subsequuti exinde ad nostra usque tempora Pontifices, et Reges innumeris fere litteris non alio, nisi Capellani maioris nomine Praelatum Clero palatino vocitarunt.

VI. Cum suus aulicis Capellanis, et clericis Praelatus esset, qui velut Episcopus curam animarum Regis, regiaeque familiae gereret (1): fieri non potuit, quin ipsi exemptionem a dioecesanis Episcopis sortirentur privilegio primum speciali, deinde communi iuris beneficio. Apostolico eiusmodi exemptionis privilegio gaudere Capellam divionensem ducis Burgundia, eiusque Canonicos, et Capellanos quod duntaxat ad ea, quae eandem Capellam spectarent; secus alia ad parochiales Ecclesias iisdem capellanis ab Episcopo dioecesano collatas pertinentia, rescripsit ad Episcopum Lingoniensem Innocentius III. (2). Sunt, qui putant hac decretali, quod ea sit in Corpore Iuris Canonici clausa, vim legis generalis inditam privilegiariae Capellae Divinionensis exemptioni, eamque cunctis cum aliis Regum Capellis communicatam (3): eo vel maxime quod Tridentina Synodus (4), quod ad Capellanos regios istam Innocentii III. constitutionem fore servandam decrevit.

VII. In hoc regno Neapolitano palatina Principum Longobardorum oratoria cum Canonicis, et Abbatibus quum Beneventi, tum Salerni constitisse, compertum habeo ex capitulare Radelchisi Principis Beneventi cum Siconulpho Salerni Principe anno 851. (5). Quo inter alia pacta divisionis Principatus Beneventani cautum *art. IV., ut singulae Ecclesiae suum primatum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei: exceptis* Canonicis, Abbatibusque ad palatium *pertinentibus :nam* Abbatum *res, quae* ad palatium *pertinent, in cuius divisione res ipsae venerint, ille eos habeat,*

(1) *Omnes Principes terrae, et ceteros homines Episcopis obedire, B. Petrus praecipiebat*, inquit textus falso inscriptus Clementi III. in *cap. omnes 4. de maior., et obed.* Isthaec enim verba cum habeat apocrypha *ep.* 1. sancti Clementis I. ad Iacobum fratrem Domini, et in prima collectione Decretalium *Clemens* sit sine ullo numero inscriptus: minus adversabitur vetustissimae Praelatorum aulicorum dignitati, et iurisdictioni istiusmodi auctoritas, qua pro Episcopis ea in re pugnat Fagnanus in *cap. cum capella 16. de privileg. num. 6.*

(2) Innocent. III. *in cap. cum capella 16. de privilegiis.*

(3) Thomasin. *to. 1. lib. 2. cap. 112. num. 6.*

(4) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 11. quoniam privilegia.*

(5) Exscriptum est ex mss. codice Membraneo 352. bibliothecae Monasterii Cassinensis, in *tom. 3. hist. Longobard.* Camilli Peregrini novis nuper edito notis praeclari scientia viri Francisci Mariae Pratilli *pag. 414. et seqq.* edit. Neap. 1751. Acta S. Desiderii Episcopi Cadurcensis apud Comtium in *annal. Franc. ad an.* 617. ferunt Rusticum S. Desiderii fratrem, ac praecessorem fuisse *Abbatem* regii oratorii.

in cuius fuerint parte : et *art. VI.*, *et VII.*, ut omnes clerici sint sub potestate Episcoporum suorum, *exceptis clericis*, *qui in palatio serviunt. Similiter fiat de clericis singulorum abbatum*, *exceptis illis clericis*, *qui in rebus* abbatum ad palatium *pertinentium morantur; qui clerici in illius parte sint*, *in cuius sorte ipsae res venerunt.* Hisce verbis palam fit eo abhinc aevo viguisse Cleri palatini exemptionem ab ordinaria Episcoporum iurisdictione, subiectionemque abbati palatino, quem nunc dicimus Capellanum maiorem. Liquet ex diplomate comitis Rogerii pro Ecclesia Catanensi anno 1092. S. Gerlandum primum Ecclesiae Agrigentinae in Sicilia Episcopum post Saracenos expulsos officium Capellani maioris obivisse in aula Rogerii Siciliae, et Calabriae comitis (1). Ex alio diplomate, quod Gaufridus Rogerii filius pro Catanensi etiam Ecclesia dedit anno 1120., Petrum magistrum Capellanum Gaufridi inibi subscripsisse (2). Ex tabulariis etiam Siculis liquet, quod Ioannem de Nusco, S. Guilielmi socium, abbatem monasterii S. Ioannis de erementis Rogerius Rex anno 1148. delegerit sibi confessarium, et Capellanum cum praerogativa praecedendi omnibus regni Praelatis in palatina Ecclesia (3). Gualterium Guilielmi II. Capellanum Maiorem paulo ante memoravimus, eumque Regis consiliarium, et cancellarium, postremoque Archiepiscopum Panormitanum fuisse historia Sicula tradit.

VIII. Consuetudo itaque opinione hominum antiquior, quam ante Innocentium III. actis longe saeculis introduxit, vel expressa, tacitave Episcoporum consensio, vel Principum, et Regum oratoria sibi fundantium voluntas, cui adversari pericolosum, et nefas, prima fuit causa, et origo exemptionum, et praerogativarum oratorii, Clerique palatini in utriusque Siciliae regno. Tanta vero vis est consuetudini, ut valeat novo etiam decretalium iure clericorum, Ecclesiarumque ab Episcopis dioecesanis exemptionem, aliaque simul iura episcopalia praescribere (4).

IX. Normannis Principibus regni sors quum Salernitanam quoque Longobardorum *Capellam S. Petri quae erat in palatio*, obtulisset : eam Guilielmus Rex Rogerii filius emblematibus, seu musivis picturis exornavit, multisque ditavit praebendis clericorum inibi servientium (5). Subsequuti deinceps Reges quum Svevi, tum Andegavenses ipsius cleri-

(1) Pir. in notitia Eccl. Agrigentinae.

(2) Idem in notit. Eccl. Catanens. de Ansgrerio Episcopo.

(3) Idem in notit. Abbatiae S. Ioannis de eremitis. Ab ipso autem Ioanne de Nusco in vita, quam scripsit S. Guilielmi, a Bollando relatam die 25. Iunii, fertur diploma Regis Rogerii S. Guilielmo pro coenobii Montisvirginis fundatione *datum Panormi per manum magistri Thomae* Capellani Regis, *octavo Kalendas Septembris indict. XV. Incarnat. Dominicae anno MCXXXVIII.* Pirrus insuper in chronologia Regum Siciliae commemorat Robertum de urbe Rogerii Regis Capellanum, et magnum Siciliae Cancellarium.

(4) Innoc. III. in *cap. cum auditis*, et *cap. cum olim de praescript.*

(5) Id memoriae tradidit Romualdus Guarna Archiepiscopus Salernitanus, synchronus auctor *Chronici*, a P. Antonio Caracciolo Teatino primum editi, deinde inter scriptores Italos a Muratorio.

corum , subditorumque libertatem , et privilegia ab adversis Archiepiscopi Salernitani conatibus protexerunt (1), eamque pluribus in titulum abbatibus conferre vi regii patronatus consuevere (2). Ab Austriacis tandem Regibus Ferdinando Catholico , et Carolo V. ad Troianum Mormilem eximio genere ortum , eiusque heredes , et successores per regiam donationem (3) devoluto eiusdem Capellae S. Petri ad Curtim patronatu , quem istorum postrema Laura Mormilis secum transtulit in clarissimam Pignatellorum familiam e Marchionibus primum Pogliettae, post e Montiscalvi Ducibus descendentium; exinde Abbates a Mormilibus olim , et Pignatellis nunc patronis praesentati non modo ipsi cum omnibus suae regiae Capellae capellanis, et clericis primaeva fruuntur exemptione, sed in eos etiam sibi subditos ordinariam exercent in primo gradu iurisdictionem , Curiamque habent abbatialem intra Salerni fines , ubi ius dicit Vicarius suo ipsorum nutu amovibilis , a qua ad regiam Capellani maioris Curiam appellatur in secundo gradu iudicantem.

X. Svevos etiam Reges Magistro Capellano, tum Aragonios, et Andegavenses in aula usos constat Gregorius Mustaccio Capellanus maior Friderici II. Imperatoris , ac Siciliae Regis circa annum 1206. in Siciliae tabulariis dicitur , cui Rex oppidum S. Luciae de Milacio donavit (4). Gualterius de Palena Episcopus Troiae, mox Catanae, tandem Panormitanus , regni Siciliae Cancellarius sub Henrico IV. , et Friderico eius filio , cui Papa Innocentius III. tutelam Friderici pupilli administrandam concredidit, nonnullis videtur magistrum Regiae ipsorum capellae simul egisse. Tum liquet huius regni vassallos iuramenta fidelitatis eidem Friderico II. praestitisse coram magno aulae Capellano, et duobus Magistris Iustitiariis (5). Caroli I. Andegavensis protocapellanus, et regni Cancellarius Ioannes Masnelius fertur (6). Fr. Matthaeus Reginae Sanciae confessarius , consiliarius , regiaeque capellae magister, dein Episcopus Telesinus (7). Ioanna I. confessarios, et regalis capellae magistros habuit Fr. Matthaeum de Aquaputida , tum Fr. Ioannem a Gallinario , et Fr. Andream de Valle ordinis Fratrum Minorum , cui

(1) B. Chioccarellus *tom. 6. archiv. num. 34; et seqq.* regias habet litteras a Roberto Rege die 28. Nov. 1321. datas , aliasque succedentium temporum a Proregibus, et Collaterale Consilio, Curiaque item Capellani maioris expeditas , quibus vetitum , ne abbas regiae Capellae S. Petri ad Curtim turbaretur in possessione sua, praesertim causas iudicandi ecclesiasticas clericorum, vassallorumque eiusdem Regiae Capellae.

(2) Regiarum collationum litteras videsis apud *cit.* Chioccarell. *ibidem.*

(3) Liquet ex diplomate Ferdinandi dato die 2. Octobris 1505, alioque Caroli V. die 1. Martii 1529. apud Chioccar. *loc. cit.*

(4) Siciliae sacrae *to. 2.* in notitia Capellaniae maioris S. Luciae de Milacio.

(5) Id ex actis antiquis enarrat Freccia *lib. de subfeudis* loquens de officio Magni Cancellarii.

(6) In regiis tabulariis , et apud Pirrum in *chronologia* Regum Siciliae , tum in Panormitanae Ecclesiae , et Capellae regiae S. Petri *notitia.*

(7) Fertur a Wadingo *ad an.* 1343 , ex privilegio , quod Regina Ioanna I. dedit die 9. Febr. 1347. eidem Telesino Antistiti per manum Rogerii Archiepiscopi Bariensis logothetae , et protonotarii.

plane *tanquam Magistro ipsius Capellae capellanos, et clericos in omnibus, quae ad huiusmodi magisterium spectare noscuntur*, suis Regina litteris patentibus subiecit (1). Ladislaus rex Ubertino Pactensi, et Liparensi Episcopo, ac magistro *Capellae* (2) suae Fr. Franciscum de Arpino, uti Vicarium, et locumtenentem substituit (3). Alphonsus I. Aragonius Fr. Dominicum de Xarah, seu de Tarquis, et *Maiorem Capellanum* suum, *et magistrum regalis Capellae* nuncupare maluit, eiusque iurisdictioni omnes alios Regis Capellanos *tam actu servientes, quam non servientes actu* subiicere cum potestate causas eorum cognoscendi, et iustitiam ministrandi, *sicut semper extitit consuetum* (4), Ceteros alii subsecuti Principes cum solitis praerogativis instituerunt.

XI. Regiam Neapoli sedem quum posuisset Carolus I. Andegavensis, in castro novo sibi ad incolendum extructo aedem divo Sebastiano sacram fundavit, adsignatis Clero aulico stipendiis : cui Carolus II. item Andegavensis pontificias a quocunque alio residendi onere dispensationes, quoad Regi famularentur, valituras, duxit impetrare. Regali tandem Capella in palatio novo, Carolo II. Austriaco imperante, Petri Antonii ab Aragona Proregis studio erecta basilica, in ac exinde capellani, clericique aulici D. O. M. cultum, Regibusque nostris famulatum exhibent religiosum. In Capella vero castri novi, quemadmodum et in aliis aliarum omnium arcium, castrorumque regii parochi, seu capellani curam habentes animarum parochialia Sacramenta stationariis militibus administrant.

XII. Universi regiis addicti Capellis, et Ecclesiis quum capellani, clericique, tum scholares, et cantores actu inservientes non alium consueverunt habere Praelatum, et ordinarium iudicem in causis omnibus qua civilibus, qua criminalibus, et mixtis, nisi Capellanum Maiorem. Hocce privilegium moribus introductum antiquissimis, et Reges, et Pontifices comprobarunt. Rex Alphonsus I. die 19. Iunii 1445. praedictum Dominicum de Tarquis regiae Capellae suae Magistrum creavit cum expressa facultate cognoscendi, definiendique causas omnes regiorum omnium capellanorum servata forma soliti (5). Plurimos item capellanos tam regali capellae actu inservientes, quam regiis tantum litteris designatos a Ioanna II., Alphonso I., Ferdinando I., ceteris eo inter alia pacto, ut regio Capellano maiori, praeterea nemini Praelatorum et iudicum parerent : pluresque regias litteras, quibus vetitum, ne causas eorundem ad Capellani maioris forum pertinentes auderent Episcopi cognoscere, recenset Chioccarellus (6).

XIII. Ex pontificibus primum Xystus IV. Ferdinando I. Regi catho-

(1) Ex litteris Neapoli datis die 6. Ian. 1344, apud Chioccarell., et Wading.
(2) Ex litteris a Ladislao Caietae datis die 18. Iunii 1392., apud Chioccar. *to.* 2. — (3) Ex litteris Caietae datis 18. Iunii 1397.
(4) Ex Alphonsi I. litteris 2. Iunii 1445. apud Chioccarel. *to.* 2.
(5) B. Chioccarell. *to.* 2. *archiv. n.* 18 Reg. Reverter. *dec.* 495. tradit morem iudicandi causas Cleri palatini, et arcium in Curia Capellani maioris, tum in Collat. Consilio ad relationem Consultoris.
(6) Chioccar. *loc. cit. n.* 21, *et* 22.

lico, et Elisabethae coniugi, eorumque filiae Ioannae, tum Innocentius VIII; Alexander VI; et Iulius II. (1) eisdem ob eorum praclara merita indulsere, ut ipsorum Capellanus maior omnes, et singulas controversias, lites, et quaestiones tam de beneficiis ecclesiasticis, quam profanas, et alias quascunque inter capellanos, et cantores Capellae regalis actu servientes, eorum numero nullatenus definito, extra romanam Curiam motas, et movendas audiret, diffiniretque, omni locorum Ordinariis adempta iurisdictione: istique ipsi tanquam exempti nonnisi Capellano maiori, aut Legatis, et subdelegatis Apostolicae Sedis dumtaxat respònderent in ius vocati, eos ipse absolveret a censuris, et irregularitatibus, et cuilibet Episcopo dimitteret promovendos ad ordines; addita facultate ministrandi per se, vel alios omnia Sacramenta, et Regibus ipsis, et regiis familiaribus, Curiasque Regum pro tempore sequentibus: atque in eorum omnium Curiis, ubicunque Reges residerent *continue*, vel *ad tempus*, Rector idem nuncupatus inter Missarum solemnia coram Rege indulgentiam ducentorum dierum praesentibus largiretur omnibus: atque in *palatiis*, ac *locis* ubi Reges moram pro tempore trahere contigisset, etiam in absentia Regum, Missae, et alia divina officia celebrarentur iuxta tenores indultorum iisdem *Regibus concessorum*. Has deinde facultates omnes Leo X. die 2. novembris 1519. concessit Carolo V. (2); eiusque *Capellis*, *et familiis*, *ac illarum personis*, et auxit quum privilegio celebrandi Missas una post meridiem hora, et ministrandi personis in regio xenodochio, seu hospitali existentibus Sacramenta, tum amplioribus indulgentiis.

XIV. Carolo V. e vivis sublato indultum Leonis X. cessasse tanquam personale contendebant Romani, locorumque Ordinarii, eiusque usum ampliore interpretatione continuatum vitio dabant. Sed cardinalis Granuela Prorex reclamationi legatorum Pii V. ad Philippum II. ea de re reposuit ius antiquissimis moribus introductum, praescriptamque iamdudum Capellano maiori episcopalem iurisdictionem (3).

XV. Clementi VIII. datis ad Philippum II. litteris in forma brevis die 10. Ian. 1603. (4) placuit, ut animarum in palatio commorantium curam gereret, iisque per alios quoque Sacramenta ministraret Capellanus maior, divina item officia coram Prorege in quavis Ecclesia celebraret, Clerique palatini causas iudicarent in primo gradu. *Si* vero *contingat* (ait) *Maiestatem tuam, et pro tempore existentes Hispaniarum, et utriusque Siciliae catholicos Reges tuos successores ad praedictum Neapolitanum regnum personaliter accedere, ibique residere, aut commorari: Capellanus Maior tibi Regi, tuisque Successoribus*

(1) Enarrantur haec quatuor Pontificum indulta in alio subsequenti Leonis X. motu proprio in forma Brevis dato die 2. Novem. 1519, qui incipit *alias*, apud Chioccarell. *loc. cit. num. 19.*

(2) Hic Imperator an. 1534. inter alia huic regno privilegia indulsit Capellanum maiorem esse alternatim eligendum ex regnicolis, et exteris.

(3) Eas habet Chioccarell. *cit. to. 2. archiv.* et laudat. Pignatellus *to. 6, consult. 80;* una cum nonnullis declarationibus S. Congr. Episc. et Regul.

(4) Chioccarell. *ibidem.*

actu inserviens, etiamsi forte Capellanus ipse pro regno Neapolitano constitutus existeret, omnibus privilegiis, facultatibus, ei praerogativis per nos, aut Romanos Pontifices Praedecessores nostros Capellano maiori capellae regiae in Hispaniarum regno existenti, etiam domum, et familiam regiam sequentes concernentibus, uti, frui, gaudere, illaque exercere etiam in praedicto Neapolitano regno, quamdiu ibidem Reges moram trahent, iuxta privilegiorum eorundem formam... possit. Huiusmodi litterae admodum derogantes consuetis Praelati Aulae Neapolitanae facultatibus amplioribus (praesertim ad ecclesiasticos ordines promovendi clericos palatinos, eosque ab Ordinariis locorum eximendi) ne vim haberent, intercessit continuo auctoritas Proregis, et Collateralis Consilii (1).

XVI. Quum vero dux Suessae, regius apud Clementem VIII. orator postulasset brevis revocationem, ad duos illud menses suspendi vix obtinuit in primis. Tum S. Congregatio Episcoporum, et Regularium mandante Summo Pontifice per annos decem singulis semestribus, ut consuetas Capellanus maior exerceret facultates, indulsit. Multis interea, inter quos Regens de Ponte mss. ostendere connisis non personae tantum Caroli V., eiusque Capellano, sed regali, etiam Capellae privilegium a Leone X. largitum, ideoque non temporariam, sed perpetuam, irrevocabilemque inditam ei fuisse durationem (2); lapsoque decennio abrogatas per contrariam desuetudinem esse Clementinas limitationes: factum est, ut palatinus Praesul deinceps, intermissis omnino Romanae Curiae prorogationibus, instituta Leonis X., et immemorabilis consuetudinis non intermitteret, regioque tutus praesidio adversos parvipenderet Episcoporum conatus.

XVII. S. Congregatio Concilii, seu Cardinalis Origus eiusdem Congregationis Praefectus litteris ad Archiepiscopum Thessalonicensem Coelestinum Galianum Capellanum maiorem datis die 23. novembris 1733. ita scripsit: *Relatum est S. Congregationi Concilii immodicum, effusumque esse numerum eorum, qui amplitudine tua annuente addicuntur servitio Ecclesiarum, quae iurispatronatus regii esse dicuntur in ista civitate; eos autem, quasi per hoc effectos subditos Regio Capellano maiori, ad omnes ordines deinde abs te promoveri; altaria itidem a te consecrari, Confirmationis Sacramentum in memoratis Ecclesiis indiscriminatim quibuscunque ministrari, ibique pontificalia a te exerceri, quotiescunque tibi libuerit, sine assensu Eminentissimi Archiepiscopi, nullaque ab eo petita licentia. Sed quum id per se repugnet canonicis sanctionibus, existimandum non vide-*

(1) Nuntio enim pontificio placitum regium expostulanti reposuerunt, ipse ut Regem, cui erat Breve Clementis Papae inscriptum, adiret. Cumque vir egregius Gabriel Sanchez de Luna, Alphonsi Marchionis Grottulensium, regio aerario Praefecti ex Aragoniis proceribus Ferdinandum Regem catholicum secutis oriundus, post illud sibi notificatum, officii Capellaniae maioris, quod ipse tunc obibat, resignationem fecisset impotens deminutas ferendi praerogativas: Comes Beneventi Prorex consulto Collaterale Consilio non admittendam censuit, sed servandam fore consuetudinem.

(2) Ex regula Iuris in *cap. per exemptionem. 9. de privilegiis.*

tur , ecclesiastica doctrina , ac eruditione tam praeclare instructum virum id facere, quod minime liceat. Itaque Sacra Congregatio amplitudinem tuam hac de re censuit audiendam, ut accuratius reddatur instructa : tibique fausta omnia a Domino precamur.

XXVIII. Archiepiscopus autem prudentissimus Romano Praelato ea de re conscio significavit paratum sese ad respondendum, ut patefaceret intempestivum , nulloque iure suffultum eiusmodi recursum : at sibi nefas esse talibus litteris absque placito regio acceptis inscio Prorege , et Collaterale Consilio respondere, easque ipsis procul dubio contempturis censuit non denunciare. Nam liquere satis ex pontificiis indultis, et immemorabili consuetudine , ait , praerogativas , et facultates Capellani maioris maximo studio a regiis ministris propugnatas continenter, exortasque de iis dudum quaestiones Apostolicam Sedem consuevisse per Nuntios pontificios cum Regibus ipsis, praesertim Philippo II., et III., aut cum Proregibus discutere, atque componere; quum aulicus quisque Praelatus earum sit merus administer, et custos. Quod vero ad suam agendi rationem ipse quum sacrum aulae ministerium maiore, quam decessores moderatione tractaret, futurum inde sperabat , ut Patres Eminentissimi cognita rerum veritate , et falsam praeoccupatis animis evellerent opinionem , et delatorem increparent mendacii , silentiumque importunis querelis imponerent. His Romanae Curiae ita nunciatis , nil aliud hac de re actum hinc , et inde fuit : suaque idem Archiepiscopus munia Capellani maioris exercere , ut mos erat , non intermisit.

XIX. Optimus tandem maximus Papa Benedictus XIV. votis Caroli Regis nostri annuens pro concordia inter sacros ministros retinenda , omnes disputationum, iurgiorumque causas eliminatas maluit (1). Indulsit enim in primis regali Capellae palatii Neapolitani omnia Ecclesiae publicae iura, praeterquam asyli, et Capellis quoque castrorum omnibus totius regni sacra olea, regiisque triremibus, et navibus Extremae Unctionis oleum. 2. Ordinariam Capellano maiori iurisdictionem (exceptis tantum causis haeresis, ceterisque summo Pontifici speciatim reservatis) super omnes capellanos, clericos, et scholares, quos Rex ipse , eiusque Successores in perpetuum, vel Proreges, vel Capellanus maior delegerit pro servitio tam Capellae aulicae, quam hospitalium, militum, et classiariorum, castrorum, seu arcium, exercituum, triremium, et navium, eo pacto, ut omnes capellani , clerici , et scholares quum regalis Capellae , tum castrorum urbis Neapolitanae , eiusque adiacentium , connumeratis etiam honorariis , centum numerum non excedant : nisi quis alius speciali Regis duntaxat rescripto addatur , in singulis autem totius regni castris , et arcibus duos , vel ad summum tres ; in exercitibus vero , triremibus , aliisque lignis maritimis Regi actu inservientibus , itemque in hospitalibus militum , et classiariorum eos tantum , qui et actu inserviunt , et ab Rege stipendia percipiunt. 3. Ut Capellanus ipse maior , si quando Episcopus non erit , mitram , baculum ,

(1) Bened. XIV. in *const. convenit,* data pridie nonas Iulii 1741, super iurisdictione , et facultatibus Capellani maioris regni Neapolitani.

aliaque pontificalia insignia adhibere, populumque benedicere cum indulgentia possit cum nonnullis limitationibus. 4. Divina quoque officia, et sacrificia vel privatim, vel solemniter cum regiis capellanis, et clericis coram Rege, Reginaque, aut Prorege celebrare in quibuslibet Ecclesiis, et Evangelii concionatorem accersire. 5. Scholares, clericosque decem Capellae regalis, et quatuor Ecclesiae parochialis S. Sebastiani in castronovo sitae ad primam Tonsuram, omnesque Ordines promovere, si Episcopus ipse sit: sin minus, vel si ordinationes habere nolit, ad quemlibet Episcopum, qui titularis non sit, ordinandos dimittere: eosque ab excommunicatione ob violentas manus in alios clericos iniectas, et ab irregularitate ob divina sacrificia inde celebrata absolvere, ac dispensare. 6. Curam animarum Regum, regiorumque familiarium ubilibet regiis impensis viventium, et omnium, qui vel in palatio Regis, et viridario, et darsena, seu interiori portus loco, castrisve clausis Neapolitanae urbis, et locorum adiacentium commorantur, tanquam rector, et proprius eorum parochus, iisve per alios etiam Sacramenta parochialia ministrare, matrimoniis per eosdem celebrandis solemniter interesse: diei festi observationem ex urgenti causa relaxare, et omnimodam in eos iurisdictionem *ordinariam* perinde exercere, atque in suis dioecesibus Episcopi faciunt: exceptis tantum, is nisi erit Episcopus, episcopalis ordinis functionibus, quas in aulica tantum Capella, et parochiali Ecclesia Castri novi, aut coram Rege, vel Prorege ubilibet, dum Capellanus maior sit episcopali dignitate auctus, eum obire posse cautum est. 7. Solemnem regiis triremibus, et navibus, et vexillis benedictionem impertiri. 8. Ut militares capellani militibus in statione, vel arce non clausa manentibus post ostensas locorum Ordinariis, vel parochis patentes Capellani maioris litteras possint parochialia munera obire, et Sacramenta conferre, quoties parochi locorum ad id vocati adesse recusent: matrimonia vero militum coram ipsis locorum parochis cum interventu eorundem capellanorum celebrentur. Sed militibus tam Regis propriis, quam auxiliaribus, dum in expeditione contra hostes sint, ubique locorum capellani omnia parochialia Sacramenta ministrent, eosque absolvant a quibuslibet reservatis criminibus haeresis quoque, et apostasiae, et cibos esurialibus diebus vetitos permittant, praeterquam carnes in hebdomada sancta, cunctisque totius anni diebus Veneris, et Sabbati.

XX. His deinde facultatibus Capellani maioris, et capellanorum militarium pro tempore belli, et vigentis tantum expeditionis in hostes idemmet optimus Pontifex posterioribus litteris motu proprio datis (1) alias addidit ampliores, scilicet commutandi, relaxandi, et dispensandi quod ad vota, iuramenta, censuras, et irregularitates: plenarias peccatorum indulgentias festis diebus, et in articulo mortis largiendi, celebrandi Missas bis etiam uno die in casu necessitatis, una, et ante auroram, et post meridiem hora, in quovis loco etiam extra Ecclesiam, et super ara sine reliquiis, sub dio quoque, et sub terra, benedicendi paramenta, reconciliandi Ecclesias, et oratoria quomodolibet

(1) Bened. XIV. in motu proprio 4. Idus Novembr. 1641., incip. *cum alias*.

polluta. Demum rescripto Secretariae memorialium die 5. Ian. 1754; Sanctissimus benigne annuit pro gratia iuxta petita, ut scilicet iisdem regalis Capellae Neapolitanae privilegiis potirentur Capellae simul regiae Porticensis, et Carlamaliopolis, seu Casertae: Capellanusque maior ad ordines item promoveret, atque admitteret sex capellanos, et quatuor clericos unicuique illarum inservientes, atque binos clericos Ecclesiarum parochialium castri quum Ovi, tum S. Erami.

XXI. Capellanus itaque maior *aulae totius regiae unicus Episcopus est, quocunque in loco Rex versetur, ab eo Sacramenta petere solet*, inquam cum Petro Galandio (1). Ex dictis quippe intelligitur territorium ei separatum esse in regio palatio, et darsena, et omnibus totius Regni castris clausis, et hospitalibus militum, sedemque episcopalem in regiae aulae Capella, et parochiali Ecclesia Castrinovi constitutam (2): quum isthaec loca cum personis inibi degentibus sint omnino exempta ab Archiepiscopi Neapolitani, totiusque regni Episcoporum iurisdictione (3).

XXII. Personalem quoque sine locali iurisdictionem habet ordinariam in capellanos militum, et arcium, licet non clausarum, triremium, et navium, aliosque omnes ecclesiasticos, qui Regi extra palatium, et aulam ubicunque commoranti inserviunt (4); qua quidem fit, ut omnes omnimodam a locorum Ordinariis exemptionem obtineant (5). Quemadmodum et in cunctos milites, eorumque asseclas in actu expeditionis (6): quos propterea possint capellani militum curati in quocumque loco, patentibus Capellani maioris litteris nemini ostensis, absolvere, atque ad cetera parochialia Sacramenta suscipiendum admittere. Stationariorum vero tam intra, quam extra loca stationum valent confessiones tantum excipere. Quum enim sacramentalis iurisdictio sit voluntaria, eam ipsi ubique in alieno etiam territorio in subditos suos exercent (7): alia tamen nonnisi requisito, et renuente parocho loci, patentibus eidem antea exhibitis (8). Secus est de aliis a Capellano maiore approbatis con-

(1) Quem laudat Benedictus XIV. in epistola ad Cardinalem delle Lanze Carolum Victorium Amedeum regis Sardiniae Capellanum maiorem, inter impressas *to. 2.* Bullarii sui *const. 36.* Ubi diserte asseritur eidem Capellano maiori territorium esse proprium una cum subditis, in quos suam is exercet ordinariam iurisdictionem.

(2) Ex §. 14. supradictae bullae *convenit.*

(3) Iuxta regulam Fagnani in *cap. cum. dilectus de relig. domibus n. 23. to. 3.* — (4) *Ex art. 2. cit.* bullae *convenit.*

(5) Amplior itaque est Capellani maioris iurisdictio quum localis, tum personalis seu mixta, quam Episcoporum universalis, et ordinaria: haec enim territorio cohaeret, et finibus dioecesis circumscribitur, *arg. l. fin. C. ubi, et apud quem.* Cave tamen existimes non ordinariam esse Praesulis aulici personalem iurisdictionem: quippe quae sine territorio consistere possit. Nam Ordinarius probe dicitur, qui vel iure suo, vel Principis beneficio iurisdictionem exercet universam sive in adsignato territorio, sive in quoddam personarum genus, ex traditis a Fagnano in *cap. post cessionem 7. de probat. num. 12.*

(6) *Ex art. II., et seqq.* eiusdem bullae.

(7) Arg. *l. 1. D. de off. Procons.* et Fagnanus in *cap. ne pro dilatione de poenitentiis num. 29.*, et *30.* — (8) *Ex art. 10.* saepedictae bullae.

fessariis sine animarum cura, quibus nonnisi in locis Praesuli palatino subiectis ius est sacramentales absolutiones impertiendi subditis regiae iurisdictionis, praeterquam aulicis Regem sequentibus: quemadmodum et confessarii simplices ab Episcopis sine cura destinati nequeunt extra illius dioecesim absolvere (1).

XXIII. Praedictis Praelati aulici subditis adduntur capellani regiarum Audentiarium, et Tribunalis Campaneae, quos consueta eius pagella institutos in causis omnibus forum sortiri Curiae Capellani maioris, quae solet iudicem in partibus delegare ad vitandum expensas, et incommoda itineris, rescripsit rex Carolus D. N. ad eandem Curiam die 24. Augusti 1743. (2).

XXIV. Itidem rectores Ecclesiarum, possessoresque beneficiorum regiae collationis, iisdemque Ecclesiis inservientes capellani, et clerici ex immemorabili consuetudine. Causas quoque omnes subditorum Archipresbyteri Altimurani, Prioris divi Nicolai Bariensis, Abbatis quum Altavillae, tum praedictae Salernitanae Ecclesiae S. Petri ad Curtim in gradu appellationis iudicare consuevit (3). Quae enim iura, et privilegia in eorundem causis ob iuspatronatus regium ab immemorabili tempore procreavit consuetudo, ea ut integra essent Capellano maiori (citra pontificiam approbationem, vel derogationem), cautum est praelaudata Benedicti XIV. constitutione (4).

XXV. Mos quoque iamdudum invaluit, ut cantorum, ministrorumque regalis Capellae, licet laicorum causas ad Curiam Capellani maioris regiis saepe rescriptis remitterentur (5).

XXVI. Antecessores demum, omnesque professores regiae Universitatis studiorum Neapolis una cum servientibus, quos *bidellos* vocant, Capellano maiori, omnino subduntur, praeterea nemini. Insuper in scholares, et quoslibet intra eorundem studiorum, scholarumque

(1) Fagnanus in *cit. cap. ne pro dilatione num. 27.* In regiis tamen Capellis nedum regiae aulae, et Castrinovi, sed aliis etiam ad separatum Capellani maioris territorium pertinentibus, an Confessarii ab eodem instituti, vel cum cura, vel sine cura animarum excipiant valide confessiones non subditorum regiae iurisdictionis eo confluentium, non immerito dubitatum. Alii enim id non licere senserunt, propterea quod ordinaria Capellani maioris iurisdictio in locis ei subiectis mixta esse videatur ex locali simul, et personali, ideoque ad personas aulae, regioque famulatui, et militiae addictas limitata, quam ultra personas, res, loca, et casus expressos extendere vetat iam dicta constitutio benedictina *art. 15.* Nullius porro momenti absolutio profertur, in quos sacerdos, nec ordinariam, nec delegatam habeat iurisdictionem, ex Trid. *sess. 14. cap. 7. de Sacram. Poenit.*

(2) In causa D. Octavii Monti Teatinae Audientiae capellani cum D. Francisco Maria Mattheo. Eodemque die 24. Aug. 1743 ad Archiepiscopum Thessalonicensem Capellanum maiorem rescriptum est, ad Missam iisdem Tribunalibus celebrandam non admitti, nisi quem ex nominatis idoneis post auditas per Secretariam Status rerum ecclesiasticarum qualitates ipsorum Rex delegerit, et Capellano maiori remiserit, consuetam ab eo pagellam accepturum.

(3) B. Chioccarell. *tom. 2. archivii num. 44. ad 48; to. 6; et to. 7. tit. 1., 2; et 3.* — (4) *Art. 15; et ult.*

(5) Liquet ex relatis per Capellanum maiorem Proregi die 26. Ian. 16. apud Chioccarell. *dict. to. 2.*, et actis eiusdem Curiae.

septa delinquentes animadvertit cum voto regii sui Consultoris : si tamen vel civili , vel naturali morte coercendi sint , causae in regio olim Collaterali Consilio , nunc in regali Camera S. Clarae referri debent (1). Ut Regulares, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent , alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur , sanxit Tridentina Synodus (2). Iidem propterea , ubi a regularis disciplinae statutis defecerint , Superioribus puniendi suis , secus, quam in rebus ad studia pertinentibus , videntur Fagnano (3) non sine dubitatione adversantis sententiae. Haec iure morum definienda quaestio est , quod sane ius nec probandum Papa , neque derogandum censuit (4).

XXVII. Huius regni Neapolitani fines non egreditur ordinaria Capellani maioris iurisdictio , praeterquam in milites Regis nostri , militaresque capellanos in arcibus quoque Siciliae ultra pharum , aliove quovis loco, vel stationem, vel moram habentes. Nam ei speciatim facultas est destinandi capellanos , et confessarios *pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus tam in regno* utriusque Siciliae, *quam extra, ubicunque ad iter faciendum, vel morandum esse contigerit* (5).

XXVIII. De causis autem omnibus omnium Siciliae exemptorum ab Ordinariis locorum , inter quos ecclesiastici quoque palatini connumerantur , ecclesiasticus monarchiae iudex a Rege delectus , tanquam ordinarius cognoscit , ac iudicat abhinc anno 1560. immemorabili consuetudine, quam Benedictus XIII. confirmavit (6). Curamque animarum regiae aulae Panormitanae Cantor palatinae illius capellae exercet, sibi eodem anno 1580. ab regio visitatore Francisco de Puteo (7) addictam. Eiusque simul decreto Abbas S. Luciae de Milacio, cui Fridericus Imperator dignitatem Capellani maioris in perpetuum adnexuit initiis VIII. saeculi, compulsus est ad residendum in praedicta S. Luciae Ecclesia. Factum inde est, ut eo in regno Abbati S. Luciae remanserit Capellani maioris honor sine iurisdictione , et onus coram Principe in Capella palatina divinis rebus vacandi : ex quo Dux de Infantado Prorex rescripsit anno 1655. , eum ipsum sacris , publicisque functionibus co-

(1) Ex Pragm. I. *de regimine studiorum tit. 1 ;* lata die 4. Ianuarii 1680 ; a Marchione de los Velez Prorege. Quae iuri quidem communi consona est, lis enim , qui aliquas exerceant professiones , nefas esse illorum iudicum , quibus earum est cura , iurisdictionem , praeceptaque declinare , dixit Anastasius Imperator in *l. per iniquum ult. C. de iurisd. omn. iudic.* Et Fridericus Imperator praefecto studiorum , eorumque universitatis Rectori ordinariam in causis scholarium , doct rumque iurisdictionem adiudicat , *Auth. habita C. ne filius pro patre.* — (3) *Sess. 25. de reform. cap. 4.*

(2) Fagn. *in cap. quoniam 21. de privilegiis num. 6 , et seqq.*

(4) Bened. XIV. *in art. ult.* bullae *convenit.*

(5) *Ex art. 10. saepit.* bullae ec.

(6) Bulla *concordiae* circa usum iurisdictionis ecclesiasticae in tribunali apostolicae legationis , seu Monarchiae Siciliae *art. 1.*, de qua in superiori titulo dictum *num. 24.*

(7) De quo Ioseph Carafa quum splendore generis , tum doctrina insignis , Triventinus primum , nunc Miletensis Episcopus , in absolutissimo tractatu *de capella Regis utriusque Siciliae cap. 3. num. 7. in fine.*

ram Prorege in quavis perinde Ecclesia, ac regali Capella adfuturum, eamque ob rem consuetis praerogativis fruiturum omnibus. Hinc Sabaudiae Dux Victorius Amedeus quum Siciliae potiretur anno 1714., sacra Capellani maioris munia coram eo obivit Franciscus Barbara, tunc S. Luciae Abbas (1).

XXIX. Quaestiones praeterea de patronatu regio, vel feudali Baronum super Ecclesiis, et beneficiis ecclesiasticis consuevisse in Curia Capellani maioris discuti, et definiri, ex rebus gestis liquet (2). Antonius David Regiae Camerae Praeses, et Capellani maioris Consultor anno 1586. in regio Collaterale Consilio retulit, audito Fisci patrono, discutiendam causam Octavii Farnesii Altimuranae civitatis domini, qui ad sese pertinere ius conferendi archipresbyteralem illius civitatis dignitatem contendebat (3). Sanfelicius praeterea fert decisionem Collateralis Consilii editam anno 1645. in causa Comitis Galassi Nuceriae domini ad se vindicantis ius praesentandi ad Dignitates, et Canonicatus illius cathedralis Ecclesiae in Apulia de iurepatronatus (4). Regens Reverterius tradit plures ab seipso causas uti Consultore Capellani maioris relatas in Collaterale Consilio, audito regio Fisco, praesertim de iurepatronatus Baronum super beneficiis Gryptaeminardae, et Mileti (5). Tum processu temporum et Reges, et Collaterale Consilium, et Delegatus regalis iurisdictionis controversias regiorum, et feudalium patronatuum maluerunt ad Curiam Capellani maioris remittere decidendas, audito regalis patrimonii Fisco, tam in possessorio, quam petitorio (6). Id quod usu nunc viget. Quandoquidem Regalis Camera S. Clarae die 21. Iulii 1749. definivit, procedendum, audito regio Fisco, in Curia Capellani maioris in causa iurium funebrium lecti, equi, aliorumque inter Archiepiscopum Hydruntinum, et Marchionem Granafei Baronem Starneziae, quae soluta iuxta solitum non erant in obitu trium, qui praecesserant Baronum. Cumque Marchio Matthaeus de Ferrante Fisci tunc patronus, postea eiusdem Camerae Locumtenens praeclarissimus, contendisset iudicium illud ad Regiam Cameram Summariae ratione feudi trahere, Carolus Rex noster die 1. Novembris 1749. rescripsit ad eandem Capellani maioris Curiam, ut ea ipsa iudicium eiusmodi prosequeretur (7).

XXX. Praecipuum aliud Regiae Curiae Capellani maioris (eiusdem scilicet, Praelati aulici una cum laico ipsius Consultore) munus est hoc in regno Neapolitano dispicere omnes Curiae Romanae scripturas, Sedisque Apostolicae litteras, earumque tenorem ad Regem in scriptis referre cum voto, sitne iis regium *exequatur* concedendum, an denegandum (8) Regium eiusmodi placitum consueverat olim concedere

(1) Idem *cit. cap. 3. num. 10.* — (2) Videsis infra *lib. 3. tit. 7. n. 22.*
(3) In tradit Sanfelic. *in praxi iudiciaria sect. 24. num. 24.*
(4) Idem ibidem *num. 19.* — (5) Reverter. *dec. 347.*
(6) Ex traditis a Reg. de Petra, eiusdem Curiae Consultore, *super Ritu 295. num. 220.*, Revertorio *dec. 495.*, ibique de Marinis, Capic. latr. *consult. 153. num. 26.*, *et 48.*
(7) Videsis *lib. 3. tit. 7. num. 29. in fine.*
(8) Quo iure nitatur usus regii placiti, explicitum superius est *tit. 5. n. 16.*

Capellanus ipse maior sine rescripto Regis, aut Proregis aut Collateralis Consilii. Quum enim liqueat ex monumentis archivii regalis iurisdictionis Comitem de Ripacursa Proregem die 30. Iunii 1508. Archiepiscopo Nazareth, Capellano tunc maiori speciatim rescripsisse, ne licentiam is concederet notificandi possessoribus beneficiorum hoc in regno citationem Curiae Romanae, sed post summariam informationem de personis citandis, et tempore possessionis beneficiorum faceret ipsi Proregi relationem in scriptis, ad finem providendi (1), pronum est inde arguere mandatam antea generalem Capellano maiori dumtaxat facultatem eas indulgendi licentias.

XXXI. Philippus II. autem die 17. Iulii 1569. Proregi Alcalensium Duci rescripsit, regium placitum super litteris, et provisionibus Romanae Sedis, et Curiae sine mora concedendum esse; re tamen cognita prius per Capellanum maiorem cum uno ex Regentibus Collateralis Consilii Mos inde coepit sequenti anno 1570. adhuc vigens redigendi in codicem, vulgo registrum regia placita quum concessa, tum suspensa, vel denegata romanis provisionibus, et scripturis quibuslibet: quum nullum de antiquioribus placitis monumentum supersit in eiusdem Curiae codicibus.

XXXII. Philippus IV. die 24. Decembris 1664. Matriti rescriptum dedit ad Comitem de Castrillo Proregem, quod promulgatum est Pragmatica 14. *de officio Segretarii, seu a libellis, et his quae regio Cancellario incumbunt*, die 30. Aprilis 1665., inter alia statuens *cap.* 20., ut regium *exequatur* super Curiae Romanae litteris Collaterale Consilium, nisi praecesserit relatio Capellani maioris, ne concederet ad vitanda incommoda, et praeiudicia regalis iurisdictionis. Et rursus *cap.* 67. ibidem sanxit, ne Secretarius regni regium *exequatur* sine relatione Capellani maioris, eiusque Consultoris unquam expediret. Dein Prorex idem de Castrillo iussu Regis catholici die 23. Novembris 1665. Ioanni de Cespedes Capellano maiori rescripsit, partes interesse habentes in relationibus de placito regio conficiendis audiri debere.

XXXIII. Quoties aliquid ex Regni moribus, legibusve obstaret regio placito, decernere primum suevit Curia Capellani maioris, *quod supersedeatur in expeditione regii exequatur, et certior fiat summus Pontifex.* Cuiusmodi votum non Capellanus maior ob reverentiam S. Sedis, sed Consultor solum subscribebat (2). Et saepius censuit placitum indulgeri debere cum aliqua conditione, seu clausula praeservante iura laicae Potestatis. Videlicet quod pontificia natalium legitimatio executionem habeat quod ad ordines, et honores ecclesiasticos tantum. Quod mandatum executivum contra clericos non extendatur ad laicos rerum clericalium possessores. Quod brachium regium mandatis Curiae Romanae contra laicos in causis fori ecclesiastici expeditis non concedatur sine causae cognitione (3). Quod notariis apostolicis a Romana

(1) B. Chioccarell. *tom. 4. arch. reg. iurisd.*

(2) Priscum eiusmodi morem testatus est Actuarius eiusdem Curiae die 9. Decembris 1665., apud Chioccarell. *loc. cit.*

(3) Id Collaterale Consilium decrevit die 23. Martii 1623., ex traditis ab

Curia creatis detur placitum cum limitatione exercendi officium suum inter personas ecclesiasticas, et pro rebus ecclesiasticis tantum (1). Ceteras regiis item placitis adiectas limitationes ex antedictis (2), et infra dicendis, ubi res postulaverit, nosse licebit, et ex quotidianis eiusdem regiae Curiae relationibus.

XXXIV. Multa inde libertate aggressi sunt placitum regium quibuslibet Romanae Sedis, et Curiae litteris quum gratiae, tum iustitiae impedire in Curia Capellani maioris, et regio Collaterale Consilio, qui aliquod sibi per eas inferri praeiudicium contenderent, aut ipsas huius Regni legibus, moribusve adversari. Et vicissim qui easdem impetrassent, religionem spretae Potestatis pontificiae, sacrarumque rerum ad laicae Potestatis iudicium delatarum plerumque iniiciebant, conquerentes cognitionem de regio placito extraordinariam plus aequo extendi. Querelae hinc mutuae, et frequentissimae de alterutrius Potestatis abusu.

XXXV. Tandem Rex noster Carolus pietatis, et religionis gratia obsecuturus voluntati Pontificis optimi Benedicti XIV. spopondit opportune provisurum sese, ut hoc in Regno celerem, ac liberam executionem haberent Bullae, Brevia, et expeditiones Curiae Romanae, eiusque tribunalium, et ministrorum (3). Mox rescriptum consulto dedit die 15. Decembris 1741. ad Archiepiscopum Thessalonicensem Capellanum maiorem pro reformandis abusibus impedimentorum regii placiti, inanibusque dilationibus, quae iustitiam, et iura partium laederent, amovendis citra praeiudicium legitimi usus eiusdem placiti, quo integra servantur iura Regis, et subditorum. In primis Curiae Capellani maioris mandavit supplices S. R. M. inscriptos libellos ab ipsis regium placitum postulantibus directe accipere, consuetamque relationem in paginis eorundem posticis conscribere, omisso penitus eo tum Collateralis Consilii, tum Regalis Camerae decreto: *Rev. Capellanus maior videat, et in scriptis referat:* quoties non agatur de bullis episcopatuum exequendis. 2, iussit, ut suas ipsa Curia relationes expediat celerrime, tum Regalis Camerae actuariis tradat curaturis, ut in hac fiat decretum *exequatur*, simul et delaturis ad quatuor Secretarios Status catalogos omnium id genus decretorum, antequam ea petentibus dentur: eisque pro mercede laboris indulsit consuetos quatuor in singula carolenos exigere. 3. Si quas vero scripturas momentosas in Camera partes ante, vel post relationem Curiae praesentaverint: eas possit ad hanc illa remittere considerandas in relatione futura, vel novam super eisdem relationem ab hac exquirere. 4. Ut singula impedimenta, et libellos postulantium *audiri* in expediendis pro regio placito relationibus, vel istud denegari, Curia ipsa quum ante, tum post

Aegyptio in *addit. ad* Capic. Iatr. *dec. 83. num. 3.* Quo spectat Alexander III. in *cap. de cetero 5. de re iudicata, et cap. si quando 5. de rescriptis.* Contrariam vero opinionem tenent Regens de Marinis *lib. 2. cap. 112.*, Sanfelic. *dec. 293.*, Merlin. *quaest. forens. contr. 2. cap. 98.*

(1) Nunc vero nullum omnino placitum regium indulgetur litteris pontificiis notarios apostolicos creantibus. — (2) *Tit. 22. num. 60.*

(3) *Art. 2.* concordiae secretae.

acceptas Romanae Curiae scripturas non admittat, nisi et exponantur speciatim probabiles causae impedimentorum, et fiat simul depositum carolenorum viginti (adauctum rescripto eiusdem Regis posteriore ad regni ducatos quinque) ultra carolenos quinque pro solitis iuribus Curiae antiqua taxa indictos. Hac nimirum lege, ut quoties acciderit ipsos impedientes audiri, tam Curia petito placito, vel consentiens, vel adversans in relatione sua, quam Camera suo illud concedente, vel negante decreto declarent, cuinam collitigantium victori debeat depositum illud liberari: praetereaque ubi calumnia impedimenti pateat, multam aliam suo irrogent arbitrio succumbentibus. Notarios tantum pauperes ab isto depositi onere eximendos reliquit eiusdem Curiae arbitrio, ne suis ipsi ob onopiam iuribus fraudentur. 5. Relationes placito vel adversas, vel ambiguas Curia non a tergo libellorum conscribat, sed seiunctis in foliis exaratas, obsignatasque ad Secretarium Camerae transmittat, quae providebit quod iustum censuerit, vel anceps iudicium Regis oraculo remittet, vel eas partibus interesse habentibus arbitratu suo patefaciet, discutiendas inde maturius. 6. Non decernendum amplius in Camera, quod ad eam quisque recurrens *audiatur tempore relationis faciendae*, amplam adeptus iam libertatem sua deferendi iura sine medio ad Curiam Capellani maioris. Post relationem vero, quod quisque *audiatur tempore interpositionis regii exequatur:* id rescribere tunc solum liceat, ubi sua in senatu Camerae discutienda iura probabilia speciatim exponant recurrentes, novumque depositum duorum primitus, nunc quinque ducatorum faciant calumnias cohibiturum. Si quis autem postulaverit in Curia, vel Camera, ut certior fiat de suspectis Curiae Romanae scripturis, deliberandi gratia post eas visas, an velit iure impedimentum regio placito obiicere: illas tunc sine deposito nunciandas ei fore, solutis duobus duntaxat carolenis nuncianti actuario vel Curiae, vel Camerae, non impedito interim cursu expeditionis placiti. 7. Beneficium reclamationis adversus decretum *exequatur* non esse indulgendum, nisi dum reclamans nullimode auditus in Curia, vel Camera sit, vel auditus nova produxerit documenta illati sibi gravaminis. Si quando autem Camera aliis ex causis, peculiaribus censuerit reclamantem denuo audire: eas antea referre ad Regem debeat oraculum ipsius acceptura. 8. Ut moras dirumperet multum, et saepe obversantes decretis Camerae placitum indulgentibus ex necessitate discutiendi relationes Curiae in aula auditis partibus condicto die, tum ex advocatorum licentia scribendi, typisque vulgandi volumina prolixiora: remisit prudenti Camerae arbitrio ritum eiusmodi solemnem adhibere, ubi opus putaverit in causis gravioribus, in aliis omittere. Advocatos autem hoc praemonendos voluit, ut scribentes in causis placiti, ne ad aliena excurrant, eorumque scripta priusquam praelo dentur, a commissario causae, aut alio Camerae deputato ministro revideantur. In Romana vicissim Curia, ut causarum patroni ex pari Papae providentia calamum cohibeant in tractandis iuribus Regis, regiorumque magistratuum, Rex idem Cardinali Aquaevivae suo ad Sedem Apostolicam Legato curam demandavit. 9. Tandem ut Archiepiscopi, Episcopique regium placitum petituri super bullis pontificiae collationis Ecclesiarum cathedralium libellos exhi-

beant Secretario Status rerum ecclesiasticarum ad Curiam Capellani maioris remittendos pro relatione, quae inde ad Cameram deferatur. Haec vero statim ac decretum regii *exequatur* expediverit, sine alio intervallo iubeat patentes litteras expediri, sistendas in eadem Secretaria Status pro legitimo earum cursu, quoties nullum intercesserit impedimentum.

XXXVI. Piarum Confraternitatum regulas, et statuta, quotiescunque super iis petatur regius adsensus, consuevit Rex ad censuram, et reformationem eiusdem Curiae Capellani maioris remittere, suumque inde placitum, nonnisi cum clausulis, et conditionibus ab ipsa Curia relatis concedere: quum in regio adsensus diplomate, quod solemni stylo regiae Cancellariae exaratum in membrana manu Regis subscribitur, plane inferuntur singillatim una cum regulis ipsis censurae, ac reformationes Curiae. Collegia quaecunque, et sodalitia, nisi pubblica Principis auctoritas accesserit, esse tanquam illicita ubilibet dissolvenda, Romanae leges imperant (1) *religionis causa coire* cives non *prohibentur*, *dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum*, *quo illicita collegia arcentur*, Marcianus docet (2). Ab hac iuris communis sententia non dissonant municipales leges, et mores (3). In hoc enim Regno quum permultae laicorum piae Confraternitates regulas quum temporalia, tum spiritualia disponentes sola Episcoporum auctoritate sibi statuissent, et saepe Religionis causa congregarentur: eas Potestas regia, et regalis iuridictionis Delegatus arcendas, et supprimendas fore, quoad regium adsensum rite obtinuissent, saepe rescripsit, nullamque inde ipsis praerogativam antiquitatis suffragaturam inter alia sodalitia Regis adsensu probata in publicis praesertim processionibus. Quaestiones propterea laicarum eiusmodi Confraternitatum de praecedendi iure in publicis supplicationum processionibus ad Curiam ipsam Capellani maioris definiendae remittuntur, quae solet prioribus in tempore adsensus regii locum potiorem addicere. Quamobrem solet Capellanus idem maior per sese, aut per aliquem ex regiis Capellanis ab ipso substitutum una cum Neapolitani populi tribuno adesse prope ianuam maiorem cathedralis Ecclesiae Neapolitanae, dum omnes urbis Confraternitates inde ad publicas supplicationes in festivitatibus Corporis Domini, et S. Ianuarii procedunt a Cancellario ipsius Curiae singulatim ordine vocatae (4).

XXXVII. Quoties agitur de promovendis Episcopis ad Ecclesias cathedrales regiae nominationis, vel praesentandis ad vacantia beneficia regii patronatus, vel conferendis beneficiis regiae collationis, Capellanus quoque maior praevio Regis iussu ternos idoneos viros consuevit proponere, ex quibus unum Rex deligit (5) Oeconomum praeterea regium ad colligendos fructus vacantium Ecclesiarum cathedralium re-

(1) *L. 1, et seqq. D. de collegiis, et corporibus illicitis.*
(2) Marcian. in eadem *l.* 1. §. 1.
(3) De quibus dicam plenius *lib. 2. tit. 8. num. 24. ad 34.*
(4) Videsis dicta inferius *lib. 3. tit. 4. num. 29.*
(5) Morem hunc parasse videtur epistola Petri Blesensis ad Gualterium Regis Guilielmi II. Capellanum maiorem superius recitata *nam. 3.*

giae nominationis (1) designat unum scilicet ex Capellanis aulicis gradatim, ut singuli ex aequo fruantur stato huiusce muneris stipendio, sicuti Rex Carolus imperavit.

XXXVIII. Praefectus etiam Universitati studiorum quum sit Capellanus maior (2): foro suo subiectos habet cunctos eiusdem professores quum ecclesiasticos, tum laicos in omnibus causis civilibus, criminalibus, et mixtis (3). Qui ad vacantes cathedras contendunt, eos edicto vocat generatim, suum ei daturos nomen intra condictos dies; mox locum cuique proprium praelectionibus rite agendis designat; dein textum explicandum singulis eorum ter aperit fortuito, ut unum ex eo caput, quod quisque maluerit, sibi deligat exponendum crastino die; tum solemnibus candidatorum praelectionibus audiendis praesidet inter suffragatores, colligendisque postremo die suffragiis, et renunciandis ex maiori votorum numero electis novis professoribus. Intereaque destinat qui deficientium professorum suppleat vices. Ceteri extra academiam magistri prohibentur liberales artes, scientiasque in scholis privatis docere sine ipsius permissu, eiusque arbitrio aliter agentes puniuntur. Studentes autem inter laureatos iurisprudentiae, vel theologiae, vel medicinae doctores adscribendi nomen suum profiteri quotannis debent in libro matricularum in eius Curia servato, ut inde testimonium accipiant de impleto quinquennali, vel triennali studiorum cursu, quod oportet in collegio doctorum proferre ad lauream rite capessendam (4). Ut primum usus typographiae huc appulit, ne regiis, Reique publicae iuribus unquam detraheretur, Proreges quum vetassent librorum editionem sine regio adsensu, hunc dare, nonnisi explorata prius sententia Capellani maioris consueverunt (5). Mos inde invaluit, vigetque, ut supplices libelli petentium licentiam libros imprimendi ab Rege ad Capellanum maiorem remittantur, qui eos alicui ex regiis professoribus revidendos committit, dein acceptas revisorum censuras, relationesque ad calcem eorundem libellorum exaratas ad Regem defert.

(1) Eos reservari successoribus Praelatis ex vetusto Regni more, iam dixi in *tract. de Beneficiis cap 18. num. 62., et 87.*

(2) Praefecturam, summamque huiusce nostri gymnasii administrationem *magno Cancellario* mandatam primitus ferunt monumenta. Apud B. Chioccarellum *lib. de Episcopis Neap.* exscriptae Roberti Regis litterae ad Matthaeum Filomarinum, sigilli regii custodem, Neapolitanum deinde Archiepiscopum, datae anno 1311., haec habent. *Quia nunc* Cancellarium *Regni nostri, ad quem ipsius* Studii *cura, regimen, et ordinatio pertinet, non habemus:* de tua circumspectione, ac fide *confisi, eiusdem* Studii *gubernationem, dispositionem, et curam, prout ad dictum* Cancellarium *pertinere noscitur, tibi praesentium tenore committimus, usque ad nostrae beneplacitum Maiestatis.*

(3) Ex antedictis *num. 26.*, et regia Pragm. *de regimine studiorum*, quam die 22. November 1616. Oxunae Dux edixit.

(4) Nam regia Pragmatica die 31. Novembris 1629. *de regimine studiorum* statuit, ne cuivis liceret gradum Doctoris consequi, nisi praecesserit Capellani maioris adprobatio. Praefecto collegia utriusque iuris, tum philosophiae, ac medicinae magno regni Cancellario subiecerat Ioanna II., ut liquet ex diplomate apud Tapiam *lib. 1. iuris regni de officio magni Cancellarii.*

(5) Videsis dicta superius *tit. 2. n. 11.*, et B. Chioccarell. *to. 17. archivii.*

XXXIX. In rebus ecclesiasticis expediendis, quae ad regium oraculum quotidianis recursibus deferuntur in dies, Reges nostri plerumque exquirere, et sequi consilium Capellani maioris ob exploratam, et coniecturalem in eis prudentiam, et fidem consueverunt.

XL. Regium praesidium ad arcendas violentias ex possessionibus rerum qua profanarum, qua ecclesiasticarum contra clericos privatam vim inferentes possessoribus quum laicis, tum ecclesiasticis vigore *capitulorum regni* (1), olim in Curia Capellani maioris decretum olim fuisse imperantibus Austriacis tradit Chioccarellus (2). Ceteras levioris momenti praerogativas missas habeo (*).

TIT. XXIV.

De Praelatis inferioribus.

I. Ex triplici horum genere primarii Praelati nullius dioecesis territorium separatum habentes, locorum Ordinarii revera sunt.

II. Eorumque multi hoc in Regno quasi episcopalem iurisdictionem tranquille administrant, plures alii eam sibi contra Episcopos adversantes coguntur adhuc vindicare.

III. Secundae classis Praelati supparem habent iurisdictionem in Clerum, et gentem alicuius Ecclesiae, aut loci exempti sine territorio separato.

IV. Eam privilegium apostolicum, vel possessio immemorabilis, aut centenaria superaddit exemptioni passivae.

V. Ad tertiam classem rediguntur Praesules intra episcopales dioeceses exempti sine iurisdictione.

VI. Primorum iurisdictio episcopalem fere coaequat, excepta solum potestate ordinis.

VII. Ii propterea omnes fori ecclesiastici causas etiam beneficiarias in primo gradu iudicant.

VIII. Praebendas, et beneficia libera conferunt, nominatosque ad beneficia iurispatronatus instituunt: exceptis animarum curis, quae ab Episcopo viciniore conferuntur, id nisi Ordinario loci nullius, ut Abbati Cassinensi, datum speciale privilegio sit.

IX. Crimina quoque subditorum solemni iudicio inquirunt, et coercent iure suo: in causis vero matrimoniorum, nonnisi ex apostolica delegatione procedunt.

X. Pariter monitoria excommunicationis auctoritate apostolica in locis nullius publicantur.

(1) De huiusmodi *capitulorum* usu, et iure videsis dicta inferius *lib. 3. tit. 6. num.* 18.

(2) Chioccarell. *to. 13. archivii.*

(*) Conventione novissima an. 1818., art. XXVI. sancitum: Curia Capellani maiorus, eiusque iurisdictio iis continebitur limitibus, qui in Constitutione fel rec. Benedicti XIV., cuius initium *Convenit*, et sequenti eiusdem Pontificis *Motu proprio* super eadem re praescribuntur.

XI. De asylo confugarum Episcopus vicinior in separato nullius territorio, dioecesanus in aliis locis exemptis iudicat.

XII. Subditos ad profitenda bona in libro census, eiusque taxam solvendam cogunt.

XIII. Actorum magistrum, binosque cursores Curiae suae famulantes retinent a laico foro exemptos.

XIV. Ecclesias, personasque sibi subiectas visitant, et loca pia in spiritualibus tantum: salvo Episcopis vicinioribus iure delegato visitandi, nisi expressum obstet privilegium.

XV. Apostolorum limina debent singulis trienniis nunc visitare instar Episcoporum.

XVI. Id servantes possunt indulgentiam plenariam in mortis articulo subditis largiri.

XVII. Praedicatores, et Confessarios in locis territorii separati destinant.

XVIII. Episcopali ordine expertes Abbates tantum regulares, qui episcopali benedictione inaugurati sint, primam tonsuram, ordinesque minores subditis solum regularibus conferunt. Saeculares initiandos tam ipsi, quam alii Praelati nullius Episcopis dioecesanis relinquunt.

XIX. Ex apostolico privilegio post Tridentinum nonnulli Abbates clericalem tonsuram, minoresque ordines conferunt, aut dimissorias ad ordines dandi ius habent.

XX. Pariter Sacramentum chrismatis ministrant.

XXI. Hoc privilegio expertes possunt cuilibet Episcopo permittere in suo separato territorio pontificalia exercere, chrisma etiam conficere, ac ministrare.

XXII. Pontificalem benedictionem populo post Missarum solemnia, et horas canonicas sine privilegio non impertiunt.

XXIII. Nec ornamentis pontificalibus absque indulto utuntur.

XXIV. Quasi episcopalis dignitas Praelatorum nullius videtur priscos Chorepiscopos referre.

XXV. Abbates regulares per electionem claustralem, ceteri plerumque a Romano Pontifice creantur.

XXVI. Immunitatem a vectigali farinae habent Praelati, etiam non Episcopi ex lege Concordatorum.

I. Omnium, qui Episcopis inferiores sunt, Praelatorum triplex est genus (1). In primo, quod reliquis praestat, versantur habentes ordinariam, et quasi episcopalem in Clerum, et populum iurisdictionem cum territorio separato, scilicet ab episcopale dioecesi prorsus avulso. Hi quidem sunt nomine, et re *Ordinarii locorum*, *et Prae-*

(1) Ildephonsus Clemens de Arostegui in academia Complutensi publicus sacrorum canonum Professor, tum Rotae Romanae Auditor, nunc Regis Hispani ad nostrum utriusque Siciliae Regem orator, divini, et humani iuris consultissimus in eximio tractatu Compluti edito an. 1734. de *concordia pastorali super iure dioecesano inter Episcopos et Praelatos inferiores part. 1. cap. 4.* Card. de Luca *de iurisd. disc. gen.* Card. Petra *ad const. 4. Calixti III. sect. 1. to. 5.*, Bened. XIV. *lib. 2. de Synod. dioeces. cap. 10. num. 2., et seq.*

lati nullius dioecesis, quum neque *in* dioecesi, nec *de* dioecesi aliqua esse putentur (1) : at non *dioecesani*. Dioecesim porro quum habeant Episcopi duntaxat secundum canones eo ex tempore, quo synodus Nicaena divisiones parochiarum, dioecesum, provinciarumque episcopalium, moribus iampridem introductas, Iure scripto constituit : ideo *dioecesani* titulus Episcoporum proprius est, absurdus abbatum (2). Veruntamen *Ordinarii locorum* notio patet latius : hoc enim nomine quum Episcopos, tum *Praelatos nullius* passim nuncupant recentioris disciplinae canones (3). Quocirca Tridentina synodus illos ab his distinguens, si quid utrisque demandare voluit, *Ordinarios locorum* nominavit generatim: dum vero cum inferioribus hisce Praelatis noluit facultates Sedis Apostolicae delegatas communicare, speciali *Episcoporum* verbo saepe usa in decretis est.

II. Hoc in regno ad primariam Praelatorum nullius classem procul dubio pertinent Archipresbyter Petiliae, vulgo Altimuranus, Praepositus Canusiae, et Abbates Regulares Casinensis (4), Montis Virginis, SS. Trinitatis Cavensis, S. Stephani de nemore, S. Spiritus Morroni, simul et S. Clementis ad Piscariam. Prior item monasterii Ordinis Praedicatorum terrae Balneariae (5). Ad eos proxime accedunt Abbates Commendatarii, saecularesque S. Angeli ad Fasanellam, Bansi, Cadossae, Caiani, Capistrani, Carbonae, Casollae Valentianae, Castellanae, Castri Abbatis, Cerignolae, Ciani, S. Clementis in Vomano, Controni, Corropoli, Drusii, Farae S. Martini, Farsae, Joppoli, Lectipaleni, Lucoli, S. Lupi, S. Marci in Lamis, S. M. Ambrosianae, S. M. Angelorum Centulae, S. M. de Casanova, S. M. de Ferraria, S. M. de Succursu, Marubii, Mater Domini, Melicucchae, S. Petri ad Curtim, Archipresbyter S. Petri regalis valli, seu ad Scaphatum, Abbas S. Salvi, S. Sophiae, Tremeti, et si qui sunt alii (6). Tamen horum non paucis finitimi contendunt Episcopi, et separationem terri-

(1) Rota *dec. 324. num. 1. par. 1. rec.*

(2) Abbates nomine dioecesani venire scribit Fagnanus *in cap. accedentibus n. 29. de excess. Praelat.* post Abb. *in Clem. dioecesanis de vit., et honest. cler.*

(3) *Toto tit.* decretalium *de offic., et pot. iudicis ordinarii, cap. ordinarii locorum 3. eodem tit. in VI.* Trid. *sess. 7. de reform. cap. 3., 5., 6., 8., 14., et 15., sess. 21. cap. 8., sess. 23. cap. 8., sess. 24. de reform. matr. cap. 1., et seqq. sess. 24. de ref. cap. 20., et sess. 25. cap. 10., et seqq.*

(4) Huius iurisdictio quasi episcopalis, praeter temporalem, late patet per totam S. Germani civitatem, et octo supra viginti oppida, ab Urbano VIII. enumerata in litteris ad Brevis formam datis die 30. Maii 1639. pro Monasterio Casinensi, quas habet insertas Benedicti XIII. constitutio *quod inscrutabilis 13., to. 4. contin. Bullarii Romani.*

(5) Universum Balneariae territorium a finitimis dioecesibus Rheginensi, et Miletensi omnino seiunctum haberi, subiectumque ordinariae iurisdictioni Prioris Dominicanorum, decrevit Benedictus XIII. in *const. contentiones 48.*, edita idibus Septemb. 1728., *dicto to. 4.* Nunc ex rebus nuper indicatis in regia Curia Capellani maioris et Regali Camera S. Clarae Prior Balneariae instituitur ad Regis nostri praesentationem.

(6) Videsis decretum S. Congr. Conc. relatum superius *tit. 22. num. 65.*

torii, et iura Ordinarii praecipua, adeo ut saepe, ac multum de iurisdictione disputaverint, certentque in dies. Pacis studio dum de Concordato memoria nostra deliberando disserebatur, regiis ministris arridebat sententia pontificiorum scripto prolata, ut salvis quinque primodictis Abbatum regularium iurisdictionibus vere nullius maxime omnium conspicuis, cuncta ceterorum loca nullius angustiora, licet a Cardinalibus, Capitulis Basilicarum Urbis Romae, equitibus Ierosolymitanis, et quovis Ordine Regularium, vel Equitum obtenta, supprimerentur, et vicinioribus unirentur episcopatibus. Res tamen ad maturius remissa iudicium remansit infecta.

III. Alterum Praelatorum genus eos complectitur, quibus est sine territorio separato iurisdictio in Clerum, et populum, seu gentem alicuius Ecclesiae, aut loci exempti quidem ab Episcopo, sed intra dioecesim episcopalem siti, ab eaque circumdati. Locus enim exemptus, licet *de* dioecesi non sit, esse tamen *in* dioecesi Doctoribus videtur (1). Non repugnat sane, ut in alieno territorio aliquis personalem, quae territorio non cohaeret, iurisdictionem habeat in personas sibi subditas ubilibet degentes (2). Hinc facile intelligitur, cur simplex Ecclesiae aut loci, eiusque clericorum, et personarum exemptio eam, illumve non separet a dioecesi (3). Huius quoque secundae classis Praelati *nullius*, sed minus propria nuncupatione dicuntur ob iurisdictionem, quam obtinent quasi episcopalem, ordinariamque (4) super Ecclesias, earumque personis a dioecesano perinde exemptis, ac si extra illius dioecesim existerent (5). Cuiusmodi sunt: Prior regiae Basilicae S. Nicolai Bariensis (6), Protopapa regiae item Ecclesiae S. M. de Catholica civitatis Rhegii (7), ceteri id genus. Minus inquam propria hisce Praelatis secundae classis, quam primodictis est nomenclatio *nullius dioecesis*. Nam ubi Tridentina synodus in iis, quae curam animarum, Sacramenta, clausuram monialium, immunitatem ecclesiasticam, cetera similiter excepta spectant pontificiam Sedis Apostolicae auctoritatem Episcopis dioecesanis delegat cum expressa clausula, ut ipsi ea uti valeant in locis quoque exemptis, *etiamsi sint nullius:* loca Praelatis sine territorio separato subiecta solum comprehendi, quae in dioecesi qui-

(1) Arg. *cap. cum Episcopus 7. de offic. Ordin. in VI:* gl. in clem. *frequens de excess. Praelat.* ver. *primi anni*, Fagnanus *in cap. cum contingat de foro compet. num. 32.*

(2) Card. de Luca *de iurisd. disc.* 20. *num. 19. ad* 24., et Card. Petra *ad const. 2. Eugenii III., num. II., et* 12. *to.* 1.

(3) Rota *dec.* 334. *part.* 13. *rec. num. 20.*

(4) Erasmus Cnokier *de iurisd. Ordinar. in exempt. par. 4. qu. 67. num. 3.* ibique Verhorst. *in addit.*

(5) Felin. *in cap. grave de offic. Ordin.* Regens de Ponte *in tr. ms. de visitatione hospitalium, et speciatim Incurabilium Neapolis num.* 28.

(6) Ex monumentis apud B. Chioccarell. *to. 7. archiv. to.* 1.

(7) Eum ab Archiepiscopo Rheginensi exemptum cum omnimoda iurisdictione in presbyteros, capellanos, et clericos eiusdem Ecclesiae S. M. Catholicae ad regiam collationem pertinentis, declaravit Didacus Vincentius de Vidania Capellanus Maior die 27. Maii 1726., uti constat ex eiusdem Curiae actis.

dem sunt, ne inanis omnino, et elusoria fiat eiusmodi delegatio; secus alia in separato territorio extra dioecesim sita, concors est Doctorum sententia (1). Reservatas vero causas Romana Curia solet Praelatis primi, non secundi, minusque tertii generis delegare.

IV. Duobus tantum titulis potest Praelatus inferior adquirere iurisdictionem intra Episcopi dioecesim, vel scilicet ex privilegio Sedis Apostolicae, vel ex possessione immemorabili, aut centenaria legitime probata (2). Alterutro deficiente, quivis exemptus, vel Sedi Apostolicae immediate subiectus iure non praesumitur activam in aliqua alienae dioecesis parte iurisdictionem habere: a *passiva* enim exemptione nequaquam arguitur iurisdictio, quam forenses *activam* vocant exemptionem, a sacris canonibus longe dissentaneam (3).

V. Ad tertium, postremumque genus pertinent, qui certo personarum generi praesunt, degentium intra alicuius monasterii, vel Conventus, vel Ecclesiae septa cum passiva exemptione ab Episcopi iurisdictione, praerogativa *nullius dioecesis* expertes. Quales sunt Superiores Regularium, et quidam saecularium Ecclesiarum rectores una cum clericis, administrisque suis Sedi Apostolicae immediate subiectis (4). Cum vero privilegia Regularium, de quibus inferius hoc eodem libro dicam, procul dubio realia, vel mixta sint, non personalia (5), fit, ut quodvis monasterium ad saecularis commendae, vel perpetuae statum conversum non amittat primaeva exemptionum iura, quae in saecularis commendatarii persona perinde manent, atque in superiore vigebant regulari (6).

VI. Quoniam primae classis Praelati suo in territorio separato non aliter ordinarii sunt, quam ante separationem erant Episcopi: tota fere episcopali iurisdictione (praeterquam ordinis, et characteris episcopalis) potiuntur (7), nedum in eiusdem territorii vere separati personas,

(1) Card. de Luca *de iurisdict. disc.* 10. *in fine.*

(2) Doctores non desunt opinantes possessionem quadragenariam cum titulo colorato sufficere ad praescribendam contra Episcopum iurisdictionem ecclesiasticam. Eos tamen solidissimis rationibus refellit iuris consultissimus Prosper Lambertinus, edito ea de re tractatu, antequam divi Petri solium ascendisset, cuius auctoritatem, vel privatam secuta est, probavitque particularis Congregatio a Clem. XI. deputata, tum Clemens ipse XI. die 3. Ian. 1721. Eamque idemmet Benedictus XIV. innovavit §. 3. decretalis suae, quam protulit die 14. Martii 1743. in causa iurisdictionis super oppido Putiniani controversiae inter Episcopum Conversani, et militarem ordinem S. Ioannis Hierosolymitani, *to.* 1. Bullarii sui *const. 76.*

(3) Ex *cit. decretali* Bened. XIV. pro Episcopo Conversani §. 10.

(4) Ildephons. Clemens de Arostegui *loc. cit.*, aliique superius laudati.

(5) Innoc. in *cap. dilectus num.* 4. *de capell. monachor.* Piton. *eccles. discept.* 160. *num.* 59. *to.* 4.

(6) Tamburrin. *de iure abbatum disp.* 15. *quaest.* 11. *to.* 1: Fagnanus *in cap. in Ecclesiis de capell. monachor. n.* 16., *et* 18. Card. Petra *ad const. Eunii III. num. 9. to.* 1.

(7) Card. de Luca *de iurisd. disc. 74. num. 4.*, *et* Rota apud Card. Petra *to. 2. ad const. 6. Alex. III. sect.* 1. *num. 9.*, *et* 10., ubi de monasterio, et Ecclesia monialium in dioecesi Marsicana, aliisque Ecclesiis in dioecesi Capuana exemptis, subiectisque Abbati Casinensi.

et loca, sed in alias etiam capellas extra illud in aliena dioecesi existentes, sed exemptionis virtute sibi subiectas, tanquam territorii sui membra, partesque integrantes (1). Quo tamen apertiora pateant singula eorundem Praelatorum iura, bipartito iuvat ea inquirere. Alia enim a potestate *iurisdictionis* promanant, alia sacramentalem quodammodo spectant potestatem *ordinis*.

VII. Ad *iurisdictionem* quod attinet, ut *causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur*: at vero *causae matrimoniales, et criminales non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, et iurisdictioni relinquantur* decrevit synodus Tridentina (2). Hoc itaque iure causas omnes civiles, in quibus sunt controversiae beneficiorum, iudicant procul dubio inferiores Praelati, Ordinariorum nomine comprehensi.

VIII. Ad beneficiarias quidem causas referenda videtur institutio praebendae pro Canonico theologo, sacram Scripturam explicaturo, quam omnibus locorum Ordinariis demandavit eadem oecumenica synodus (3). Simul collationes quum liberae beneficiorum sine cura in territorio nullius existentium, tum institutiones, aut pacificae, aut litigiosae beneficiorum de iurepatronatus vi nominationum, et praesentationum, quas patroni faciunt coram loci Ordinario (4). Verum alternatione mensium, quam Episcopis vere residentibus indulget Regula IX. Cancellariae *de reservatione mensium*, nequaquam fruuntur inferiores Praelati cum separato etiam territorio (5). Quibus tamen est cura animarum adnexa eas Ecclesias sive parochias, beneficiave in territorio nullius separato Episcopus vicinior, in exempto intra dioecesim, dioecesanus praevio concursu coram synodalibus examinatoribus habendo confert, et simul oeconomus, quoad vacaverint, deputat: non Praelatus inferior (6): hic, nisi privilegium celebrandae synodi, in eaque examinatores deligendi ab Apostolica Sede habuerit, vel synodum alias legitimam congregare consueverint (7). Eo sane privilegio cum primis potitur Abbas Casinensis, trium Pontificum litteris, quas paullo superius recensui, confirmato, ex quibus manifeste patet eun-

(1) Rota *dec. 99. num. 4. par. 14. rec.*,

(2) *Sess. 24 de reform. cap. causae omnes 20.*

(3) *Sess. 5. de reform. cap. eadem. 1.*

(4) Qua de re iam dixi in tract. *de beneficiis cap. 8. de ordinariis collatoribus*, et alio *de iurepatronatus cap. 22. de institutionibus.*

(5) Piton. *discept. eccles. 95. num. 24.* Rigant. *in Reg. 9. Cancell. par. 2. §. 1. num. 18. to. 2.* Videsis quae dixi in tract. *de benefic. cap. 5. num. 44.*

(6) Aberrat quippe Ioseph de Prosperis in *tract. de territorio separato qu. 5.*, ubi studet inferiorum amplificare iura in beneficiis curatis, et synodis.

(7) Multas quidem synodos a Casinensi, Nonantulano, Farfensi, S. Salvatoris maioris, ceteris Abbatibus habitas tradit Benedictus XIV. *lib. 2. de synodo dioeces. cap. 10. num. 5.* et 7., ubi commemorat personale privilegium die 14. Ian. 1741. concessisse Cardinali Silvio de Valentibus, uti commendatario archimandritae S. Salvatoris Messanensis, celebrandae synodi aliquo in loco iurisdictionis suae extra Messanae urbem.

dem celebrare synodos consuevisse, examinatores deligere, concursum ad curas animarum instituere, concurrentes examinare, atque approbare, oeconomosque interea curatos deputare. Alii id quoque genus in regno, quos sciverim, non item (1).

IX. De criminibus autem, et matrimoniis cognitio quum sit Praelatis inferioribus decreto Tridentino generatim adempta, solisque relicta Episcopis: videntur ea simul expertes, qui separato nullius dioecesis praesunt territorio. Sunt nihilominus, qui (2) hosce primarios Praelatos negant eiusmodi limitatione comprehensos: propterea quod eosdem expresse non memoraverit synodus ipsa, quemadmodum consuevit in aliis decretis, ubi eos afficere voluit, nominare, nec ordinariam, quae ad coërcendos criminosos extenditur, plenamque ipsorum iurisdictionem, perspicuis, ut sane opus erat verbis limitavit. Quidquid hinc, et hinc dixerint interpretes, haec usu invaluit sententia, quam S. Congregatio Concilii comprobavit (3), ut de criminibus etiam iure suo publicam habeant cognitionem isti vere nullius Praelati, instar Episcoporum. Eadem enim Tridentina synodus (4) Ecclesiarum Praelatis, et loci Ordinario generatim demandavit correctionem, punitionemque delinquentium clericorum. De matrimoniis autem, et coniugali foedere, nonnisi praevia Romanae Curiae delegatione, quae ad eosdem singulis in causis dare solet, quemadmodum data nuper est ad Abbatem Casinensem a S. Congregatione Concilii (5). Pontificias idcirco dispensationes omnes super matrimoniis contrahendis in locis eidem Casinensi Abbati subiectis iure speciatim delegato exequitur idemmet abbas, eiusque ge-

(1) S. Congr. *in Miletensi* mense Decembris 1568., declaravit abbatem SS. Trinitatis non posse separatim synodum celebrare, nisi constet abbatiam nullius esse dioecesis, et proprium habere territorium, atque alias legitime synodum celebrasse, Bened. XIV. *loc. cit. num. 5.*

(2) Inter hos Fagnanus in *cap. accedentibus* 12. *de excessibus Praelator. num. 29., et seqq.* Barbosa ad *cit. Trid. cap. causae omnes*, *et* Ioseph de Prosperis *de territorio separato qu. 5. num. 36.*

(3) Card. Petra *to. 5. ad Callixti III. const. 4. sect. 2. num. 49.*

(4) *Sess. 6. de reform. cap. ecclesiarum Praelati 3.*

(5) Sacra haec quidem Congregatio die 17. Maii 1749. nullitatis matrimonii causam inter Zachariam Mansum, et Laurentiam Ricciardelliam civitatis S. Germani speciatim delegavit Casinensi Abbati, eius loci ordinario. Ad eiusque litteras delegantes, ut ceteras sileam, regium exequatur accessit die 11. Augusti eiusdem anni, quod in registro Curiae Capellani maioris prostat. Datariam Romanam ad Praelatos vere nullius dioecesis cum territorio separato dispensationes apostolicas super impedimentis matrimoniorum, quemadmodum et ceteras id genus litteras, dare consuevisse testantur Corradus *in prax. dispens. lib. 2. cap. 4. num. 59., et seqq.* Rosa *de execut. liter. apost. par. 1. cap. 3. num. 34.*, Fagnan. *in cap. accedentibus de excess. Praelat. num. 30., et seqq.* Et speciatim abbati Casinensi, eiusve Vicario generali, praeterea nemini, in locis eidem subiectis quascumque Romanae Curiae, et Sedis Apostolicae litteras dirigi, et inscribi debere iussit die 30. Maii 1619. Urbanus VIII. litteris in forma Brevis, quas ex integro insertas confirmavit Benedictus XIII. sua *const. quod inscrutabilis*, edita die 9. Augusti 1725., *to. 4. continuat. Bullar. Roman., et in appendice Conc. Rom.*

neralis Vicarius (1) : id quod aliis aliorum eiusmodi Abbatum Vicariis minime indulgetur.

X. Monitoria excommunicationis ad res subtractas, perditasque revelandum, ut a nemine prorsus concedantur, praeterquam ab Episcopo, quum decreverit Tridentinum (2), ea dare nequeunt inferiores Praelati etiam nullius, quibus caeteroqui ius est subditos censuris ecclesiasticis coercendi. Ab Sede Apostolica proinde debent isti eorum subditi postulare monitoria in forma, ut aiunt, *significavit*, non ab Episcopis viciniorib us (3).

XI. Iudicium de confugis asylo ecclesiastico ob excepta facinora indignis reservatum solis Episcopis est a Gregorio XIV. (4), Benedicto XIII. (5), et novissimo Concordato an. 1741. (6). His plane cautum, ut pro locis intra dioecesim exemptis ad Episcopum dioecesanum, in aliis territoriis vere separatis ad Episcopum viciniorem recurri eam ob rem debeat, rite declaraturum, reos qui ad loca exempta confugerint, vel *gaudere*, vel *non gaudere beneficio immunitatis ecclesiasticae;* nisi cui ex inferioribus Praelatis speciatim Sedes Apostolica indulserit auctoritatem iudicandi de locali immunitate (7). Propera tamen confugarum extractio de Ecclesia, ii ut, quoadusque erit immunitatis quaestio definita, intra carceres iudicis saecularis nomine Ecclesiae detineantur, cuiusque inferioris Praelati permissu probe fit (8). Quemadmodum et arma confugis immunitate fruentibus adimuntur a quovis ecclesiastico loci superiore, implorato etiam, ubi opus erit, brachio saeculari; aut facultas adimendi ea permittitur laico magistratui eam petenti, praemissa protestatione, id ne vergat in poenam sanguinis (9). Idem iuris quod ad licentiam perquirendi res contra banna in locis immunibus, praeterquam in claustris, vel conservatoriis monialium, abditas servatur (10).

XII. Ecclesiasticos subditos aeque ad revelanda bona, ut in libro census communis, quem vulgus *catastum* appellat, describantur, cogunt inferiores etiam Praelati, quum locorum Ordinarii sunt (11): atque ad persolvendam laicis exactoribus quotam libro census sibi taxatam, concedentes brachium ecclesiasticum quod ad executionem tantummodo realem (12).

XIII. Armata familia, officialibus executoribusque opus quum ha-

(1) Ex litteris Urbani VIII., et Benedicti XIII. paullo ante laudatis.
(2) *Sess. 25. de reform. cap. quamvis excommunicationis 3.*
(3) Barbosa *in cit. cap. 3. sess. 25. Conc. Trid.* Fagnan. *in cit. cap. accedentibus num.* 47. Gallemart in *decl. ad cit. cap. 3. sess. 24. n. 4.*, *et* 5.
(4) In bulla *cum alias*, edita 9. Kal. Iunii 1591.
(5) In bulla *ex quo*, lata 6. idus Iunii 1725.
(6) *Cap. 2. de imm. local. art. 8.*
(7) Eam a S. Congr. Immunitatis olim Abbati Casinensi ad decennium indultam, tradit Riccius *in synopsi* ver. *abbas*, *et* ver. *extractio.* At eadem S. Congr. die 28. Febr. 1673. quemdam eiusdemmet Abbatis sententia extractum, non vigente indulto, fore ad Ecclesiam restituendum respondit.
(8) Ex Concordatis *cit. cap. 2. art. 1.* — (9) Ibidem *d. cap. 2. art. 24.*
(10) *Loc. cit. art. 25.* — (11) Ex Concord. *cap. 1. art. 1.*
(12) Ibidem *cap. 1. art. 9.*

beant qui iuri dicundo praesunt : lex Concordatorum (1) nedum Episcopis, sed ceteris locorum Ordinariis quasi episcopali iurisdictione praeditis indulsit laicum unum actorum magistrum, et cursores, eorumque personas, donec in famulatu Curiae ecclesiasticae permanserint, exemptas ab laicali foro in causis civilibus, criminalibus, et mixtis citra poenam capitis, vel triremium voluit. In tabula inde cursorum singulis regni dioecesibus adsignatorum, data die 2. Iunii 1741. a Plenipotentiariis Papae, Regisque nostri, cautum expresse, ut Abbas Casinensis tres, binos alii nullius dioecesis abbates Montisvirginis, SSmae. Trinitatis Cavensis, S. Stephani de nemore, S. Spiritus Morroni, et S. Clementis ad Piscariam haberent : ceteris vero exiguis regni Ecclesiis, abbatibus, Praelatisque item nullius dioecesis Tribunal mixtum singulos, binosve cursores adsignaret, quoad proposita earum suppressio non fiet. Quemadmodum reapse binos ab eodem Tribunali obtinuere Archipresbyter S. Petri regalis valli, et Abbas commendatarius S. M. Angelorum terrae Centulae, aliique deinceps.

XIV. Visitandi Ecclesias, personasque ius quidem est Praelatis inferioribus (2) locorum Ordinariis, eas etiam, quas ipsi in aliena dioecesi habeant ad territorium separatum accessiones (3). Omnes tamen Ecclesiae saeculares nullius quoque dioecesis, ut ab Episcopo viciniore, vel ab eo, quem Praelatus semel in provinciali synodo delegerit, tanquam Sedis Apostolicae delegato visitentur, iussit Tridentina synodus (4). Itaque vera separatio territorii nequit ex Tridentino decreto episcopalem visitationem arcere (5) : sed expressum tantummodo Sedis Apostolicae privilegium post comitia Tridentina largitum, quod Praelato loci omnino exempti omnimodam iurisdictionem ordinariam, et delegatam *privative quoad alios ordinarios, et dioecesanos* demandaverit (6). Loca etiam pia, quae ab laicis administrantur, omnes eorum Ordinarii, non aliter quam Episcopi, visitant quod ad spiritualia tantum : deputatosque simul ecclesiasticos ad gratis videndas administratorum rationes destinant (7).

XV. Ut Apostolorum limina singulis trienniis, qui intra Italiam, Insulasque adiacentes Siciliae, Sardiniae, Corsicae sint, vel quinquenniis, qui reliquas incolant regiones remotiores : visitent, aut personaliter, aut per specialem procuratorem, et Ecclesiae statum, ecclesiasticamque disciplinam Cleri, populique sui Romano Pontifici, seu

(1) Concord. *cap. 3. de imm. person. num. 5., 9., et 10.*

(2) Trid. *sess. 7. de reform. cap. locorum Ordinarii 8.*

(3) Card. de Luca *de iurisd. disc. 74. n. 4.*, et Card. Petra *to. 2. ad const. 6. Alex. III. num. 9.*, et 10., ubi a Rota pluries decisum traditur Abbatem Casinensem potiri iure visitandi Ecclesiam, monasteriumque monialium in dioecesi Marsicana, alias item Ecclesias intra fines Capuanos ab illis dioecesanis exemptas.

(4) *Sess. 21. de reform. cap. 8.*, et clarius *sess. 24. de reform. cap. 9.*

(5) Ubi recte sentiunt Barbosa *ad cit. cap. 9. sess. 24.*, Fagnanus *in cap. grave num. 19. de off. ord.* alibique, et interpetrata non semel est S. Congr. Conc. apud Card. Petr. *to. 5. ad const. 4. Calixti III. num. 142.*, contra Crispin. *de visitat. pastoral. par. 1. §. 13. n. 39.* Gratian. *discept. 212. n. 30.*, et alios.—(6) Card. Petra *loc. cit.* — (7) Ex Concord. *cap. 5. art. 1., et 2.*

S. Congregationi Concilii referant Abbates, Praelatique territorium separatum habentes alias sint ab ingressu Ecclesiae interdicti, atque ab officio spirituali, et temporali, et fructuum perceptione ipso facto suspensi, sanxit Benedictus XIV. (1). Hic ad eos primus omnium Xystinam de Episcopis sacra limina visitaturis constitutionem extendit, iussitque, ut iidem ipsi, antequam ineant Abbatiae possessionem, iurent vel in manibus primi Cardinalium diaconi in Urbe, vel Nuntii, Legative apostolici extra Urbem, se limina Apostolorum visitaturos, aliaque gesturos iuxta formulam iuramenti eadem sanctione praescriptam.

XVI. Qui hisce Papae iussionibus obtemperaverint, eos posse benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus sibi subditis in mortis articulo per alios etiam impertiri, constituit idemmet Benedictus XIV. (2)

XVII. Praedicationis munus Episcoporum esse praecipuum dixere Patres Tridentini (3): tamen commune cum Praelatis vere nullius est, qui propterea concionatores deputare ad separati territorii loca, eosque cum benedictione ad praedicandum mittere, ut moris est, valent (4). Confessarios quoque approbandi ius est istiusmodi Praelatis, utpote ordinariae ipsorum, et quasi episcopali iurisdictioni adnexum (5). Hactenus de mera *iurisdictionis* quasi episcopalis potestate: altera *ordinem* attingens mox enucleanda superest.

XVIII. *Ordinis* episcopalis potestate carere omnino inferiores Praelatos, non est qui neget. Quod tamen ad nonnullas functiones ab eodem ordine promanantes, quae valeant non Episcopis delegari, conditio primariae classis Praelatorum cum territorio separato, quam reliquorum, est potior. Enim vero primam tonsuram, ordinesque minores conferunt quidem Abbates solum regulares cum territorio separato suis duntaxat subditis regularibus (6): dummodo ipsi, et in sacerdotali ordine sint, et solemnem ab Episcopo benedictionem susceperint (7), quam debent intra annum ab electionis die accipere (8). Saeculares tamen sibi subditos relinquunt dioecesanis Episcopis ordinandos iidem abbates regulares, aliique simul Praelati vere nullius dioecesis: quippe qui neque litteras dimissorias pro clericorum saecularium ordinatione ad Episcopos dare, neque ab Episcopis vicissim eas accipere valeant, ut subditos alienos clericali tonsura, et minoribus ordinibus initiatos faciant, nisi ab Apostolica Sede post concilium Tridentinum obtinuerint

(1) In const. *quod sancta Sardicensis* 7., die 23. Nov. 1740., *to. 1. Bullarii.*

(2) Const. *pia mater* 54. die 5. Aprilis 1747., *to. 2.* eiusdem Bullarii.

(3) *Sess. 24. de reform. cap. praedicationis 4.*

(4) Ex consonis Rotae decisionibus, et S. Cong. Conc. decretis apud Pignatell. *to. 2. consult. 26. num. 27.*

(5) Barbosa *ad Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. num. 19.*, et Rota *in Teatina iurisd. 14. Martii 1708. §. ponderabant coram Card. Scotto.*

(6) Trid. *sess. 23. reform. cap. abbatibus 10.*, quo derogatum est decretali Alexandr. IV. in *cap. abbates 3. de privil. in VI.*

(7) Alex. III. in *cap. statuimus 1. de supplenda neglig. Praelat.*

(8) Ex Benedicti XIII. const. *commissi nobis §. quo vero ad abbates*, impressa *in appendice Concilii Romani.*

*

privilegium expressum, et clarum (1). Quandoquidem indulsit commendatario Abbati S. Mariae Farfensis, et S. Salvatoris maioris Urbanus VIII., et Primicerio S. Marci Venetiarum Alexander VIII. (2) privilegium conferendi tonsuram, ordinesque minores. Sed concedendi dimissorias facultatem adeptus est Abbas Casinensis a Xysto V., et Cavensis a Paulo V. (3). Itaque id aliis, qui simile privilegium non ostenderint, non licet. Idem dicendum de dispensatione super interstitiis, quam impertiri poterunt inter ordines tantum minores Praelati ordinandi potestate praediti; secus inter ordines maiores. In his enim perinde Praelatis nullius, ac superioribus Regularium dispensandi ius non esse, id nisi usu ipsi praescripserint, commonent DD. (4).

XIX. Sacramentum Chrismatis (5) quoque ministrandi potestatem largiti sunt Abbati Casinensi Xystus V., Urbanus VIII; Innocentius XI; et Benedictus XIII. (6): tum Abbati Montis Virginis Clemens XII. anno 1732. (7).

XX. Alii, quibus nec confirmandi, nec ordinandi privilegium expressum Papa concesserit, sacra olea a quolibet Episcopo consecrata accipiunt, et quem ipsi maluerint, Episcopum adsciscunt, dioecesano, vel viciniore etiam posthabito, ad exercenda in suo ipsorum territorio separato nullius dioecesis pontificalia, et Sacramentum Chrismatis populo ministrandum, et Chrisma simul conficiendum (8). Finitimae enim dioecesis Episcopus, aut vicinior in separato ab ea territorio sine illius Praelati consensu ius non habet Chrisma in eo ministrandi, vel conficiendi (9).

XXI. Benedictionem quoque pontificalem super populum post Missarum solemnia, et vespertinas, matutinasque laudes iidem, nonnisi ex privilegio, largiuntur in Ecclesiis exemptis, quae sibi pleno sint iure subiectae: secus alibi, aut per vias, ubi id etiam ipsum non erit indulto clare concessum (10). Quod Abbati Montis Virginis Urbanus

(1) Rota coram Seraphino *dec. 985.* S. Cong. Concilii iussu Clementis VIII. quae improbavit praecedentem anni 1572. declarationem Abbatibus faventem, et Fagnan. *in cap. aqua de consecrat. Eccles. num. 8. ad 19.*

(2) Benedictus XIV. *lib. 2. de synodo dioeces. cap. 10. n. 10.*

(3) Uti Fagnan. tradit in *cap. significasti de officio Archidiaconi n. 25.*

(4) P. Gaudentius de Ianua *de visit. cap. 5. dubit. 12. n. 17. circa fin. tom. 1.*

(5) In *seq. lib 2. tit. 5. num. 29.*, *et seq.* edisseram fusius, an extraordinario, et delegato iure istud Sacramentum presbyteri sine episcopali charactere conferre possint.

(6) In supra cit. bulla *quod inscrutabilis*, lata die 9. Augusti 1727. *tom. 4. continuat. Bullarii Romani.*

(7) Uti testatur P. Gaudentius de Ianua *loc. cit. n. 21.*

(8) Card. Petra *tom. 3. ad const. 5. Innocentii IV. n. 29.*, *et 30; et* P. Gaudentius *loc. cit. n. 19.*

(9) Fagnan. *in cap. cum venisset 1. §. per frontis n. 7. de sacra unctione,* et Nicolius *in floscul. ver. nullius n. 8.*

(10) Alexander IV. *in cap. Abbates 3. de privileg. in VI.*, et Benedictus XIV. *in const. exemptis 48.* edita 19. Martii 1748. *tom. 2. Bullarii*, ubi ritus impertiendae pontificalis benedictionis praescribitur.

VIII. tribuit (1). In Missis tamen privatis, ii, ne trinam impertirentur benedictionem, inhibuit Alexander VII. (2).

XXII. Ornamentis pontificalibus, scilicet mitra, baculo pastorali, Cruce, annulo, et sandaliis, Abbates, Praelatosque non omnibus omnes consuevit Apostolica Sedes insignire: quos, ubi erunt ab Episcopis exempti, mitra quidem phrygiana, aureisque filis acu subtexta, sed sine gemmis, laminisque aureis, aut argenteis, uti posse in provincialibus, dioecesanisque synodis; non exemptos alba tantummodo mitra: in aliisque locis utrosque servare, ubi ea uti velint, fines indulti debere, constituit Clemens IV. (3) Ceterum festis tantum diebus pontificalium usus eisdem licet ad expressum indulti tenorem, cum limitationibus a S. Congregatione Rituum probante Alexandro VII. indicatis die 27. Septembris 1659. (4).

In primis scilicet haec ait, *super altari*, in quo sacra erunt facturi, *septimum* nequaquam apponant *candelabrum* 2. *Cathedram*, seu *sedem fixam*, et permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodo pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili sede, seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, seu basilico opere exornato. 3. *Baldachinum* adhibere supra sedem poterunt non pretiosum, aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia, et opere inferius. Ad ipsam autem per duos tantum gradus in presbyterii superficie stratos ascendatur. 4. Non *abacum* alium praeter *parvam mensam*, et in cornu epistolae parare faciant, in qua *duo candelabra* cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eandem parieti haerens baculus pastoralis aptetur. 5. *Dies* vero, quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint *de praecepto festivi*, vel alii, in quibus ipsos pontificaliter celebrare *festivitatis ratio*, exigat, nempe *patroni loci*, *fundatoris* ordinis, *tituli*, *et dedicationis Ecclesiae*. Abstineant autem ab huiusmodi pontificalium usu in officiis, et missis defunctorum quocunque die etiam festivo, et de praecepto 6. Ad Ecclesiam accedentes licet pontificaliter divina peracturi, et iisdem absolutis ab altare recessuri a solis Canonicis, vel monachis (ut mos est Episcoporum), *ne associari* se sinant. Praeter *duos* Sacrificii *ministros*, diaconum nempe Evangelii, et subdiaconum epistolae, *duo alii* tantum diaconi cum dalmaticis, et *unicus presbyter* cum pluviale eis adsistant. *Duo* insuper *capellani*, qui de mitra, et baculo, ac totidem acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici vel monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tuni-

(1) Urb. VIII. in *const. Ecclesiae* apud Card. Petra *tom. 3. fol. 149.*

(2) Laudatus a Bened. XIV. *in modo dicta const. 48.*

(3) *In cap. ut apostolicae 6. de privileg. in VI.*, quod innovavit Benedictus XIV. *in const. causarum* 40. §. *si autem*, edita die 16. Novembris 1747. *tom. 2. Bullarii sui.*

(4) Apud Monacell. *tom. 2. tit. 13. form. 4. n. 34.* Murator. *dissert. 71.*

cellis induti divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus, seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis situi congruo accommodatis, moxque illinc removendis consideant. *Mitram* pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub mitra *pileolum* nigri tantum coloris induant. *Baculum* pastoralem albo velo appenso deferant: ab iisque, et aliis *pontificalibus*, etiam de Ordinariorum licentia *extra Ecclesias* sibi subiectas prorsus abstineant, et neque in *processionibus*, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel parochiam ducuntur, insignis praedictis utantur, vel penes se praeferri faciant. 9. Regulares *rochettum* non deferant, nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat. 10. *Invitati* ad Ecclesiam *exemptam*, nec in illa pontificalibus uti valeant, nec ii, qui *non* fuerint Abbates *perpetui*, vel *benedicti* in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto. 11. *Sacras vestes ex altare* non sumant, nisi pontificaliter divinis vacaturi. 12. *Indulgentias* impartiri, vel publicare non audeant absque expresso S. Sedis indulto. *Pontificales benedictiones* cum trina Crucis productione in *Missis tantum pontificalibus*, nec non *vesperis*, et *matutinis* pontificaliter itidem celebrandis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno iure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes, benedicere non praesumant. 14. *Praesente Episcopo* sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent. 15. Si *Episcopus* aderit, ipsius *sedes* in cornu Evangelii *uno* saltem *gradu eminentior abbatiali* est erigenda, haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu epistolae collocetur. A latere Episcopi Canonici cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel monachi monasterii, et abbatialis Ecclesiae consideant. Confessionem cum celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat. Episcopus praeterea trino ductu, et immediate Canonici cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici, vel monachi abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur. 16. Abstineant tamen *Episcopi*, ubi consuetudo contraria non viget, a *frequenti* huiusmodi *accessu* ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis. 17. In *ordinationibus* Canonicorum, clericorum, monachorum, nec non in *vestitionibus* monialium, et emissione *professionis* earundem etiam pleno sibi iure subiectarum, in *benedictionibus sacrae supellectilis*, ceterisque actibus (Missarum, vesperarum, et matutinorum solemnibus ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno iure subiectis mitram, baculum, et quaevis alia *pontificalia* insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione adhibeant. 18. *Ecclesiasticam supellectilem* pro servitio duntaxat suarum Ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant. 19. Reliqua *pontificalia extra loca* ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio Ecclesiae alienae, aut in

subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta *campanarum benedictiones*, *calicum*, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, necnon *minorum ordinum* collationes. 20. *Concionatoribus*, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, *benedictionem* elargiri non praesumant: sed Episcopis, quibus ius huiusmodi privative competit, omnino dimittant. 21. In *Missis privatis* quoad indumenta, coeremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur *Cruce pectorali*, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi, et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altare adhibeant.

Tum petente Abbate Casinensi eadem S. Congregatio die 20. Iunii 1660. rite declaravit ad §. 5., peculiare privilegium adhibendi pontificalia sine baldacchino extra festos dies *in exequiis virorum nobilium* ex Alexandri II. indulto suffragari tantum Cavensi monasterio, nec ad alia monasteria extendi. Ad 6. censuit *associationem Abbatis* ad Ecclesiam pontificalia peracturi instar Episcoporum permittendam esse non extra, sed *intra septa* monasterii. Ad 7. censuit indulgendos fore quatuor alios ministros cotta indutos, praeter expressos in decreto. Ad 8. quoad *mitram* servandam esse dispositionem *cap. ut apostolicae de privil. in VI;* quoad *baculum* vero servandum esse decretum. Ad §. 17. censuit indulgendum, ut *mitra* tantum utantur in actu ordinationum, et benedictionum cum sacro oleo. Ad §. 19, quod ad benedictionem sacrae supellectilis pro aliena Ecclesia mandavit exhiberi indultum authenticum ex archivio apostolico, ac interim abstineri. In reliquis servandum esse decretum. Quae omnia Pontifex idem approbavit.

XXIII. Ex hucusque dictis videtur quasi episcopalis Abbatum, Praelatorumque dignitas referre speciem veterum Chorepiscoporum, quos a quarto usque ad undecimum saeculum habuit Ecclesia quum graeca, tum latina, ita dictos, quia in vicis, oppidisque residerent. (1). Sicuti enim tradit S. Leo M. (2), quamvis Chorepiscopis consecrationem sine pontificatus apice habentibus plurima ministeriorum dispensatio cum Episcopis esset communis, quaedam tamen ecclesiasticis regulis prohibebantur eis: praesertim presbyterorum, diaconorumque ordinatio, virginum, altariumque benedictio, et consecratio, baptizatorum confirmatio, chrismatis confectio, publica poenitentium reconciliatio, formatarumque missio epistolarum. Cum vero iidem ipsi episcopalia saepe iura invaderent, praescriptosque fines transilirent: de Gallia primum Leone III., et Carolo M. consentientibus sunt in saeculi octavi exitu eliminati (3): dein saeculo XI. electi undique pontificia Damasi II. auctoritate (4). *Nam non amplius, quam duos ordines inter discipulos*

(1) χωρος enim graece apud latinos vicum, agrum, pagumve sonat.
(2) S. Leo *in can. quamvis 4. dist. 67*, et S. Isidorus *lib. 2. de eccles. offic. cap. 6.*
(3) Fleury *part. 1. Instit. cap. 18. n. 5., et to. 10.* Capitular. *pag. 379.*
(4) *In can. Chorepiscopi 5. dist. 68 ex ep. 4.* Damasi ad Episcopos Africae.

Domini esse cognovimus , aiebat Damasus , *idest duodecim Apostolorum, et septuaginta discipulorum, unde iste tertius processerit, funditus ignoramus , et quod ratione caret , extirpari necesse est.*

XXIV. Dignitates huiusmodi Abbatum, Praelatorumque (exceptis Regularibus per suffragia eligi solitis) adpellantur *consistoriales*, ubi earum redditus valorem annuum ducentorum florenorum auri excedant,vel in antiquissimo Camerae Apostolicae libro beneficiorum consistorialium descriptae , taxataeque sint : quippe quas Papa per schedulam in consistorio Cardinalium datam confert (1). Promotione autem cuiusque ipsorum in Consistorio pronunciata,vacant in Curia ipso facto beneficia, quae iidem ante obtinebant , nisi uno , eodemque promotionis tempore Papa retentionem indulserit (2). Qua in re par Episcoporum conditio , et Abbatum est , quemadmodum in aliis quoque nonnullis.

XXV. Realem porro immunitatem a vectigali praesertim frumenti , farinaeque largitur lex Concordatorum (3) omnibus locorum Ordinariis, etiam non Episcopis , tam si resederint , quam si suis abfuerint Ecclesiis pro numero tamen , indigentiaque famulorum , quos ipsimet alere consuescant , atque in residentiae loco relinquant praesentes : simul pro modo eleemosynae panis , quae ut pauperibus subditis suppeditetur , curent iidem ipsi absentes Praelati. Factum inde, ut in taxa consensu Nuntii apostolici , et unius ex Praesidentibus regiae Camerae Summariae die 1. Decembris 1742. constituta de farinae, panisque immunitate, quae sit singulis Episcopis , Ordinariisque regni concedenda : Abbas, et Ordinarius Casinensis eam sibi pro modiis 178., Cavensis pro 100., Archipresbyter Aquaevivae pro 39., et Archipresbyter Casae maximae pro 42., obtinuerint adsignatam: ceteri autem Abbates, Praelatique, qui locorum Ordinarii sunt quum saeculares, tum regulares, specialem pariter taxam expectare debeant.

TIT. XXV.

De Iudicibus ordinariis et delegatis synodalibus , et conservatoribus.

I. Suo iure iudices ordinarii , alieno beneficio delegati iurisdictionem , arbitri notionem solam habent.

II. Episcopi , Praelatique inferiores , tum Metropolitae , Primates, et Patriarchae, eorumque Vicarii ordinaria iurisdictione potiuntur.

III. Suam aliis potest Ordinarius delegare iurisdictionem , delegatus non item , nisi a Papa datus sit non requirente industriam personae.

(1) *Ex Reg. 2. Cancellariae* , ibique Rigant *§. 2. to. 2.*
(2) Rigant. *in Reg. 1. Canc. §. 7. num.* 8. *189.* , *et 199. to. 1.*
(3) Concord. *cap. 1. de imm. reali art. 15.*

IV. Pontificiae delegationes nonnisi Dignitatibus, Personatibus, et Canonicis cathedralium, vel iurisperitis in synodo, vel ab Episcopo cum consensu Capituli designatis mandantur.

V. Pluribus in solidum, quam singulis mandata sua Pontifex plerumque delegat.

VI. Delegatus quum nequeat fines mandati transilire, partibus debet initio delegationem nunciare, dein rite procedere.

VII. Ab inferioribus delegatus suam nequit sententiam exequi, secus delegatus a Papa, vel Principe. Uterque suum semel expletum, vel extinctum officium non resumit, at coeptum rite iudicium prosequitur post delegantis obitum.

VIII. Suspectos recusare delegatos post litem contestatam, nonnisi ex novis causis licet, arbitrorum sententia discutiendis.

IX. A delegato ad delegantem recte appellatur.

X. Conservatores privilegia regularium, aliorumque exemptorum ab iniuriis, et violentiis tuentur, nullam aliam in eorum causis iurisdictionem habentes.

XI. Conservatoris officium non aliis, praeter quam Episcopis, Abbatibus, Dignitatibus, vel Personatibus ad quinquennium delegatur, in perpetuum pro universitate studiorum, locis regularium, et hospitalibus.

XII. Regulares, nonnullaeque studiorum Universitates arbitrium habent eligendi sibi conservatorem, nonnisi ex iudicibus synodalibus, ubi adsint.

I. More maiorum iudices vel *suo iure,* vel *alieno beneficio* potestatem habere iudicandi tradit Iulianus Iureconsultus (1), unde praecipuum inter *ordinarios,et delegatos* iudices oritur discrimen. *Ordinarii* sane dicuntur, qui in magistratuum (2), iudicumque ordinem adleguntur, statim ac dignitatem, vel officium, cui adnexa irrevocabili conditione sit iurisdictio, adepti sint: itemque *nativi*, quia personam in iure dicundo legitimam iidem ipso facto sine cuiuspiam mandato adsumunt. *Delegatis* vero seu *dativis* extra ordinem legitimorum magistratuum sine dignitatis concessione ad iudicandum adsumptis ipsimet Ordinarii mandant iurisdictionem plerumque limitatam ad unam, pluresve caussas; quandoque generalem ad universas vice magistratus definiendas (3) cum mixto imperio, quod iurisdictioni cohaeret: quia iurisdictio, quae privato etiam mandatur, sine modica coercitione nulla est (4). Si qui enim

(1) Iulian. in *l. more maiorum 5. D. de iurisdict.*

(2) Magistratus quidem sunt nomine, et re omnes ordinarii iudices, quos ex Diocletiani constitutione ad ius dicendum obstringi, ut ipsi ne darent, (ut olim moris erat) iudices, praeterquam in causis levioribus, ubi gravioribus detinerentur negotiis, patet ex *l. 2., et ult, C. de pedaneis iudicibus.*

(3) *L. 1., et 4. D. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio.*

(4) *Dict. l. 1. in fine, et l. 5. D. eod. tit.*

habeant mandatam sibi solummodo notionem, nudamque iudicandi facultatem, sententiaeque prolationem sine ullo imperio, et coercitione, et sine potestate exequendi sententiam, non pro tribunali sedentes, sed de plano disceptantes, suumque ferentes iudicium: eos maluit *datos* iudices, aut *arbitros*, quam delegatos appellare Ius Civile (1). Exinde Innocentius III. (2), cum eoque canonum interpretes scite distinguunt ab executore delegato iudicem cognitorem, auditoremque iurisdictione expertem.

II. Secundum canones ordinarii causarum ecclesiasticarum iudices quum sint in primo gradu Episcopi in suis quique dioecesibus, suppariesque Praelati inferiores, tum in secundo Metropolitani, atque in superioribus Primates, et Patriarchae; in supremo tandem Romanus Pontifex, tanquam Ordinarius Ordinariorum omnes generatim causas ad suum cuiusque dignitatis officium pertinentes cum iurisdictione, mixtoque imperio cognoscunt iure suo, quotiescunque velint per sese (3). Quoniam vero gravioribus reipublicae, curaeque animarum negotiis detenti tantam privatarum litium molem non sustinere valent, suas aliis consueverunt iurisdictionis vices demandare. Eosque ordinarios fere iudices creant, dum iis stata committunt officia magistratus pleno iure, vel singulatim, vel una cum collegis exequenda in ecclesiastico foro. Hinc perpetua urbis Romae tribunalia, Curiaeque Metropolitarum, Episcoporum, Abbatum, eorumque Vicarii generales, de quibus in *sequenti titulo* ordinaria fungi iurisdictione putantur, quam in libro III. edisseram.

III. Heic nonnulla tamen delibare de iudicibus delegatis operae pretium est, ut potiora, quae eorum, et delegantium personas, simul officium, usum potestatis, durationemque spectant, iura praenoscantur. Quilibet sane Ordinarius iurisdictionem suam sive contentiosam, sive voluntariam potest aliis delegare: quum facere per seipsum, quod quisque per alios facit, videatur (4). At vero delegatus alteri auctoritatem delegandi non habet, praeterquam delegatus a Papa (5), vel Principe (6). Delegatus ideo apostolicus renitentem compellit subdelegatum suscipere subdelegationem (7), quam semel incoeptam nequibit amplius revocare (8). Et si cui personaliter, et seipsum exequi negotium Papa mandaverit, eum subdelegare adhuc posse Innocentius III. rescripsit (9): dummodo partes consenserint, exceptis tantum causis, ubi fidem, industriamque personae Papa delegans eligat (10).

(1) *L. 1. et seqq. C. de pedaneis iudicibus.*
(2) Innoc. III. in *cap. super 27. §. 1. de officio, et pot. iud. deleg.*
(3) Ex toto Decretalium *tit. de officio iudicis ordinarii.*
(4) *Cap. qui facit 72. de reg. iur. in VI.*
(5) *Cap. cum te consulente 18., et cap. super 27. de off., et pot. iud. deleg.*
(6) *L. a iudice 5. C. de iudiciis.* — (7) *Cap. pastoralis 28. de off. delegati.*
(8) *Cap. venerabili 37. eodem tit.* — (9) *In cit. cap. super 27. eod. tit.*
(10) Quod placuit Gregorio IX. in *cap. quoniam fin. §. is autem, et §. ceterum eod. tit.* Hinc Episcopi solent Vicariis suis speciatim demandare facultatem exequendi litteras apostolicas ad ipsos Episcopos nedum datas, sed etiam dandas, et iurisdictionem ab Sede Apostolica, vel decretis Tridentinis delega-

IV. Nonnisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, aut cathedralium Canonicis caussas ab Sede Apostolica, eiusque Legatis delegari posse, Bonifacius VIII. statuit (1). Quum autem minus idonei inter eos ab isto munere sint arcendi: cautum est concilio Tridentino (2), ut unaquaeque dioecesis quatuor saltem, pluresve habeat viros, modo dictis ornatos qualitatibus, iurisque peritos, in dioecesana, vel provinciali synodo deligendos, reservato Episcopis iure subrogandi cum Capituli cathedralis consilio alium in alicuius mortem obeuntis locum, quoadusque nova synodus celebrabitur, quibus tantum, locorumque Ordinariis, praeterea nemini caussas quum Apostolica Sedes, tuum Legati, vel Nuntii eiusdem delegent iudicandas; alioquin subreptitiae, irritaeque censeantur non illis, sed aliis mandatae commissiones. Hi vulgo *iudices* appellantur *synodales*. Nimia quidem synodorum raritas fecit, ut S. Congregatio Concilii Tridentini interpres dubitantibus ea de re Episcopis responderit consultissime subrogationem non unius, vel alterius, sed omnium eiusmodi iudicum ab Episcopis esse cum Capituli consilio faciendam. Tam providam legem frustrata est saepissime non minus negligentia Episcoporum in eis eligendis, eorumque nominibus Romano Pontifici, quod iussit etiam Tridentinum, significandis, quam abusus protonotariorum non participantium. Istis tanquam in ecclesiastica dignitate constitutis, licet immerentibus, ineptisque plerumque ad ius dicendum, quia inconsulto ipsi creantur; caussarum iudicia ab Romana Curia delegari consuevisse, abhorrens optimus Papa Benedictus XIV. (3), antedictas Bonifacii VIII., Patrumque Tridentinorum constitutiones innovavit, quatenus Episcoporum singuli idoneos, probosque iudices vel in synodo, vel extra cum consilio Capituli eligant omnino quatuor pluresque pro dioecesis amplitudine, eorumque nomina summo Pontifici, eiusque supplicum libellorum Secretario renuncient, vigilaturo, aliis ne inde in posterum causae committantur. Idemque docet (4) non adeo necessarium Episcopo esse Capituli consilium in subrogandis iudicibus, perinde ac synodi in eisdem eligendis, ut illud sequi omnino debeat: sed sufficit ipsum exquirere.

V. Duobus potius, tribusve, quam uni caussas delegare solet Curia Romana, iisque in solidum cum clausula, quod *si omnes interesse, nequiverint, vel noluerint, unus, vel duo procedere valeant* (5).

tam, vel specialibus rescriptis delegandam, nisi electa episcopalis personae industria erit, Fagnan. *in cap. quoniam de offic. deleg.* Rosa *de execut. litter. apost. par. 2. cap. 5.*

(1) In *cap. statutum* 11. *de rescriptis in VI.*

(2) Trid. *sess. 25. de reform. cap. 10.*

(3) Bened. XIV. in ep. encyclica die 26. Augusti 1741., seu *cons. quamvis paternae 28. to.* 1. Bullarii eius, regio placito munita die 6. Nov. 1741.

(4) Bened. XIV. *lib. 4. de Synod. dioeces. cap. 5. num. 5.*

(5) *Cap. prudentiam 21., cap. super 23., et cap. licet 30. de off. deleg.* Eiusmodi morem Ius civile praeivit in *l. proponebatur 76. D. de iudiciis.* Eo casu apostolicas delegationis litteras solet uni ex pluribus delegatis, quem maluerit, pars exhibere, tum, si ille abnuerit, vel eiurabitur ab adversa parte, aliis quoque sigillatim.

Hac si omissa clausula, iudicium pluribus sit simpliciter, quod rarius sit commissum: ita omnes debent una procedere, ut unius sententia nil valeat (1), nisi unus alteri suas coniudici vices mandaverit (2). Aliis hoc quippe casu delegatus a Pontifice nequit, nisi collegis subdelegare (3): nam ubi defecerit unus, alteri, aliisve simul delegatis munus superest obeundum (4), praeterquam in casu mortis (5).

VI. Officium delegati iudicis est ad formam litteris delegationis praescriptam servato iuris ordine munus exequi diligenter, mandataeque fines iurisdictionis, nullo egredi pacto: quum ita prorsus irritum habeatur, quidquid vel praeter, vel contra tenorem accepti mandati, iurisque ordinem agere tentaverit (6), ut nec partium etiam consensu ad alias, quam a delegante designatas res, personasque mandata possit iurisdictio prorogari (7). Primum itaque delegatus partes coram se in ius vocaturus suis eas litteris faciet certiores nedum de integro acceptae delegationis tenore; eo enim tacito parere citati non coguntur (8): sed etiam de loco audientiae suae intra spatium viginti milliarium, quod unius legitimae diei est iter, designando, quum longius distantes trahi ad delegati iudicium nequeant (9). Deinde iurisdictionem sibi mandatam partibus rite auditis exercebit, omnia, quae ad causam spectent, cognoscens (10): contumacem aeque puniet, ac iudicato non parentem licet Praelatum, locique Ordinarium coercet poena, vel legibus indicta, vel arbitraria (11), etiamsi id non expressum litteris delegationis fuerit; legitimas discutiet exceptiones (12), omnesque causae adnexos quum incidentes, tum emergentes articulos. Nam una cum iurisdictione cetera omnia, sine quibus explicari ea non potest, intelliguntur esse commissa (13) usque ad sententiae diffinitivae prolationem, aut executionem.

VII. Expirat sane iurisdictio iudicis ab ordinario, aliove inferiori magistratu delegati, statim ac sententiam is pronunciaverit (14). Secus a summo Pontifice, supremoque Principe delegati, quippe qui potest, id si eo requirente iudex ordinarius noluerit, vel nequiverit sententiam suam executioni demandare, sibique ea in re resistente coerce-

(1) *Cap. causam 16. de offic. deleg.*
(2) *Cap. quamvis 7. eod. tit.* — (3) *Cap. coram 34. eod. tit.*
(4) *Cap. licet 30. eod. tit.* — (5) *Cap. uno 40. eod. tit.*
(6) *Cap. ex parte tua 13.*, *can. prudentiam 21. eod tit. et cap. cum dilecta 22. de rescriptis.* — (7) *Cap. P. et G. 40. de offic. deleg.*
(8) *Cap. cum in iureperitus 31. eod. tit.*, *et gl. in can. si Episcopus 3. qu. 2*
(9) Ex Bonif. VIII. textu in *cap. statutum de rescriptis in VI*: tametsi antea Innocentio III. placuerat, ut partes duorum dierum iter, seu quadraginta milliarium suscipere non adigerentur ad se coram delegato sistendum.
(10) *Cap. praeterea 5. de off. deleg.*
(11) *Cap. de causis 4.*, *cap. si quando 8.*, *et cap. sane eod. tit. cap. quia 2. eod. tit. in VI.*
(12) *Cap. ex parte tua 13. eod.* — (13) *Cap. suspicionis 39. eodem.*
(14) *L. a divo Pio D. de re iudicata.*, *et l. iubere D. de iurisd. omn. iudic. et gl. in cap. si quis 4. de for. compet.*

re (1), nedum intra quadrimestre, quod reo ad solvendum debitum lex indulget, sed usque ad integrum annum (2). At semel hic suo functus officio, vel executa sententia, vel executione ordinario remissa, omni destituitur auctoritate (3), quam semel dimissam partibus, vel consentientibus nequit amplius resumere (4). Praeterito quoque tempore ad definiendum constituto, illud nisi communi partium consensu prorogetur, cessat delegatio (5) Quemadmodum et si unus ex pluribus simpliciter delegatis mortem obiverit (6), antequam collegis vices suas demandaret (7), nisi aliter delegans mandasset. Delegatio tamen facta non personae, sed dignitati (puta Episcopo, vel Vicario generali, primaeve dignitati alicuius Ecclesiae, et quoties expressis locorum, non personarum nominibus ea prodiverit) transit ad Successorem (8). Delegantis etiam morte, ea si re integra, hoc est ante incoeptum a delegato iudicium contigerit, extinguitur delegatio (9): secus est, si post coeptum citatione saltem negotium, eoque magis post litem contestatam, quae iurisdictionem citantis procul dubio perpetuam efficit, mors illius sequatur (10).

VIII. Recusare suspectos partium alterutra delegatos, quos altera sibi, pars habuerit cognatos, affines, familiares, advocatos, collegas (11), profecto potest initio litis: post litem vero contestatam, nonnisi ex novis, quae prodiverint, suspicionum causis (12). Hae tamen in utroque casu, an vigeant, militentque, iudicio arbitrorum, qui auditis partibus, ea de re cognoscant, definietur (13). Eorum deinde censura fiet, ut suspecti mandata iurisdictione abdicentur, non suspecti eam deinceps exerceant (14).

IX. Ad delegantem, eiusve Successorem a delegati sententia appellare licet (15). Et quamvis Supremi Principis, a quo appellare nefas, imaginem referat delegatus ab eo: nihilominus ad eum ipsum ab eius delegato appellationem leges indulgent (16). Quum vero delegatus pontificius totam in alium suam transtulerit iurisdictionem, non ad eum, sed ad delegantem provocabitur Pontificem. Si quid autem sibi iurisdictionis subdelegans reservaverit, ad ipsum tunc poterit appellari (17).

X. Reliquum est, ut pauca de *conservatoribus* iudicibus inter Sedis Apostolicae delegatos utique censis delibentur. Eorum munus est, quod

(1) *Cap. significasti 7. de off. delegati.* — (2) *Cap. quaerenti 26. eod. tit.*
(3) *Cap. in litteris 9. eodem.* — (4) *Cap. significantibus 38. eodem.*
(5) *Cap. de causis 4.*, *et cap. consuluit 24. eodem tit.*
(6) *Cap. uno delegatorum 42. de offic. deleg.*
(7) *Cap. licet undique 30. eodem.* — (8) *Cap. quoniam 14. eod.*
(9) Dicto *cap. licet undique 30. eodem.*
(10) *Cap. relatum 19.*, *et cap. gratum 29. eodem.*
(11) *Cap. 17*, *25.*, *35.*, *et 36. eodem.* — (12) *Cap. 25. eodem.*
(13) *Cap. suspicionis 39. eod. tit.*
(14) *Cap. secundo requiris 41. §. tertio de appellat.*
(15) *L. quod dicitur 1. D. quis, a quo appelletur.*
(17) Constantin. *in l. eos. etiam 16. C. de appellat.*
(16) *Cap. super 27. §. porro de off. deleg.*

ipso nomine significatur, tueri a manifestis iniuriis, et violentiis (1) privilegia, bona, et iura exemptorum: puta regularium, vel Capitulorum Ecclesiarum, vel universitatum, collegiorumve, Sedi Apostolicae immediate subiectorum. Eis autem non licet praescriptos *conservatoriis* litteris fines mandatae conservationis egredi, aut transilire ad iudiciariam causarum cognitionem (2), alias per annum ab officio suspenduntur; nec ullum habere tribunal erectum, nec impedire, quominus in causis criminalibus, et mixtis Episcopus, aliusve Superior loci ordinarius in eos, quibus Conservator datus ab Apostolica Sede sit, procedat: neque eorum debitores ad iudicium coram se in causis civilibus trahere, quamvis possit in eosdem creditoribus postulantibus iudicium exercere (3).

XI. Nos alios ad Conservatoris officium, quam Episcopos, vel Abbates vel dignitatem, personatumque in cathedrali, aut collegiata Ecclesia habentes, deputandos fore sancivit Bonifacius VIII.; qui tamen sub eorum iurisdictione, dominiove, aut ecclesiastico, aut temporali, quos tueri debent, Regibus, Reginisque duntaxat exceptis, non consistant: eosque suas nemini vices subdelegare posse, id nisi litterae delegantis expresse indulserint (4). Eiusmodi litteras ultra quinquennium non suffragari decrevit Tridentinum. At isthoc suo noluit canone universitates studiorum generales (5), nec collegia doctorum, seu scholarium, nec regularia loca, nec hospitalia hospitalitatem servantia comprehendere, nec personas eorundem, ut plena semper ab Ordinariis exemptione fruantur. Easdem constitutiones innovarunt Clemens VIII (1), Gregorius XV. (6), et Innocentius IX. (7).

XII. Regularium quidem Ordines, nonnullaeque Universitates, et collegia ecclesiastica quum privilegio fruantur eligendi sibi conservatorem iudicem, eum ex coetu synodalium iudicum cuiusque dioecesis desumere, non tamen in synodo debent, eiusque electionem intra sex menses loci Ordinario significare: alioquin declinare ipsius Ordinarii forum nequibunt (8). Quoad vero synodales omnino defecerint, poterit interea in Conservatorem eligi, qui dignitate, et qualitatibus a Bonifacio VIII. requisitis praecellat (9), a suscepto abiturus munere statim post

(1) Innoc. IV. *in cap. 1. de offic. deleg. in VI.*, et Trid. *sess. 14. de reform. cap. 5.*

(2) Bonif. VIII. *in cap. hac constitutione ult. de offic. deleg. in VI. et cit. cap. 1.* — (4) Ex Trid. *loc. cit.*

(3) *Cap. ult. de off. deleg. in VI.*

(4) Exemplo sit Universitas Avenionensis, cui privilegium fori, seu Conservatoriae, eiusque Primicerio, et Iudicibus conservatoribus in magistros, doctores, licentiatos, scholares, et ministros indulsere Ioannes XXIII, aliique Pontifices, et nuper confirmavit Benedictus PP. XIV. in bulla *bonarum artium* 142., *to.* 1. Bullarii sui.

(5) *Const. 3. in Bullarii magni to. 3.*

(6) *Const. 9. to. 4. Bull. pag. 80.* — (8) *Const. 32., to. 5. Bull.*

(7) Quod iussit *cit. const. 9. Greg. XV. to. 4. Bullarii pag. 80.*, et docet Benedictus XIV. *lib. 4. de Syn. dioec. cap. 6.*

(9) Nidus *de Conservatoribus cap. 3. par. 7. num. 7.*, Fagnanus *in cap. sane* 11. *num. 33. de off. iud. deleg.*, *et in cap. si clericus num. 57. de for. compet.* Petrus Maria Forti Soc. Iesu *in tract. de Iudice Conserv.*

synodales in synodo iudices designatos. Cuiusque dioecesis finibus adeo circumscripsit Conservatoris potestatem Gregorius XV., ut extra illam nequeat extendere, nec unus in duabus dioecesibus eiusmodi munus obire; eamque ob rem illud suam extra dioecesim Episcopus suscipere prohibeatur (1).

TIT. XXVI.

De Vicariis generalibus Episcoporum.

I. Episcopus quisque suas aliis potest vices mandare ex communi Iure.

II. Ordinis potestatem scilicet nonnisi Episcopis.

III. Iurisdictionem Archidiaconis olim, nunc mobilibus ad nutum Officialibus committunt Episcopi.

IV. Vicarius generalis plerunque in Italia inscribitur etiam locumtenens, et officialis, alicubi distinguitur a Locumtenentibus, et Auditoribus pro locorum consuetudine, ac Praesulum arbitrio, qui possunt Vicarium sibi non creare, nisi urgeat necessitas.

V. Dignitatem hic, scilicet honorem cum iurisdictione proculdubio habet.

VI. Iurisdictio ipsius ordinaria potius, quam delegata putatur.

VII. Episcopi iurisdictio non tota in Vicarium fere transit, quum multa is obire sine speciali mandato nequeat.

VIII. Hocce mandatum debet ex episcopalibus litteris, antequam exceptae res gerantur, liquere: post eas gestas fere praesumitur.

IX. In causis officii ordinariis a Vicario ad Episcopum non appellatur, secus in ceteris mandatis ei speciatim.

X. Recusato Episcopo, suspectus quoque Vicarius praesumitur, non e contrario.

XI. Ab officio Vicarii arcentur laici, clericique coniugati, bigami, dioecesani, Parochi simul, et Canonici poenitentiarii, et non doctores.

XII. Plures unus Episcopus Vicarios habere in dioecesibus amplis potest, et quandoque debet in Ecclesiis unitis statuere, siculi et latinus Episcopus, graecum alterum pro subditis Italograecis.

XIII. Extra dioecesim nequit Vicarius suam exercere iurisdictionem sine speciali mandato.

(1) Id Sacra Congr. decrevit in Nullius Altimuri *die 3. Aug.* 1715., laudata a Bened. XIV. *loc. cit. num. 4.*, Passerin. *in cap. hac constitutione de off. deleg. in VI. num.* 161. *in fin.*

XIV. Foranei per dioecesim Vicarii nullam fere sine speciali mandato iurisdictionem habent.

XV. Sed onus tantum inquirendi mores clericorum, atque ad Curiam episcopalem denunciandi. Si quando causas modicas ex more, vel mandato iudicant, ab iis ad generalem Vicarium recte appellatur.

I. Iura quum indulgeant cuivis dignitate praedito Vicarium habere, omnes eius vices gerentem (1), factum est, ut singuli Episcoporum *generali Vicario* suo suam qua contentiosam, qua voluntariam mandare iurisdictionem consueverint generali commissione officii ad negotia quum temporalia, tum spiritualia vice eorundem, qui mandant, expedienda in episcopali foro.

II. Ordinis episcopalis potestatem, nonnisi Episcopis possunt Episcopi mandare. Quod Episcopus vicinus auxilia praestet Pontifici infirmo, quousque convaluerit, Nicolaus I. rescripsit Albino Ianuensi Archiepiscopo (2). Tridentinum Episcopis titularibus permittit in alterius dioecesi cum expressa dioecesani licentia obire munia Episcopi (3). Tum S. Congregatio Concilii die 6. Iunii 1605. postalante Archiepiscopo Arborensi censuit, ut aliquem is titularium Episcoporum inveniret, cuius opera, et auxilio uteretur, sed non esse novum ob id Episcopum titularem creandum (4).

III. Archidiaconi olim saepius, quam Chorepiscopi, plebani, decanive (5) iurisdictionem in iudiciis ecclesiasticis mandatam ab Episcopis habuere, eamque aliquando sub annuo censu (6). At processu temporum eam sibi suo iure vindicare conati, spreto episcopalis mandati beneficio, quum se Vicarios *natos*, perpetuosque ostentassent, promeruere, ut ab ipsis Archidiaconis, ceterisque cathedralium Dignitatibus perpetuis ad Vicarios temporaneos, mobilesque ad nutum pertransiret mandata sub revocabili conditione Episcoporum iurisdictio, quam ipsi mandantes limitare, vel avocare ad semetipsos pro libito possent.

IV. Vario autem vocabulo dictus est modo *missus* (7), modo *suffe-*

(1) Huc spectat rubrica *C. de officio eius, qui vicem alicuius, vel Praesidis obtinet.* Paullo itidem iureconsulto in *l. Vicarius* 13. *D. de legationibus.* visus est *Vicarius alieni muneris voluntate sua legationem suscipere.* Nam *legatorum* nomine *Vicarios* designare patet ex *tit. D. de legationibus*, *et l.* 1. *D. de tutor. et curat. dat.* — (2) Nic. I. *in can. Pontifices 4. C. 7. qu.* 1.

(3) Trid. in *cap. et quoniam* 2. *sess.* 14. *de ref.*

(4) S. Congr. Conc. apud Fagnan. in *cap.* 1. *de privilegiis num. 50.*

(5) Archidiaconos, aliosque Praelatos de negotiis ecclesiasticis iudicantes commemorat Eugenius III. in *cap. decernimus 2. de iudiciis.* Plebanum S. Pancratii Alexander III. in *cap. cum. Ecclesiarum 3. de offic. iudic. ordin.* Chorepiscopos S. Leo I. *in can. quamvis 4. dist. 67.*, et Concilium Africanum *in can.* 1. *de Parochiis.*

(6) Quem abolevit Alexander III. in *cap.* 1., *et seqq., ne Praelati vices suas sub annuo censu concedant, lib. 5.* Decretal. *tit. 4. et Trid.* in *cap. magnam* 11. *sess. 25. de ref.*

(7) *Cap. accepisti 1. de frigidis.*

etus (1), et *substitutus* (2), modo *ordinarius* (3), vel *officialis* (4), tandem *Vicarius generalis*. Hocce vocabulum in Italia, Insulisque adiacentibus frequentissimum, usitatumque in quotidianis Romanae Curiae litteris: illud vero *officialis* apud Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, ceteros ultra maria, et montes usitatius ex eiusdem Curiae stylo (5). Veruntamen solent pleraeque forensium litterarum inscriptiones in Regno praeferre triplicem titulum locumtenentis, Officialis, et Vicarii generalis: tametsi in Archiepiscopali Curia Neapolitana locumtenens nunc duplex, alter ad civilia, alter ad criminalia iudicandum praesidet seiunctim a Vicario generali. Atque in Belgio, vicinisque dioecesibus *officialis* etiam ab Episcopi Vicario distinguitur. Nonnullique Episcoporum Auditorem causarum praeter Vicarium creant, tanta ei, quantam velint, mandata iurisdictione. Hinc servanda non modo cuiusque loci consuetudo, sed voluntas etiam Episcopi, cuius est suam uni, vel pluribus officialibus mandare, aut distribuere iurisdictionem, vel nemini. Potest enim Episcopus iure peritus, et idoneus per semetipsum ius reddere (6), Vicario sibi non deputato: nisi hunc deputandum necessitas postularet dioecesis (7).

V. Adnexam officio Vicarii episcopalis dignitatem, quae non aliud, nisi honor cum iurisdictione, aut administratione aliqua esse definitur, indicat consuetudo apostolicarum delegationum. Quum enim eas nonnisi personis in ecclesiastica dignitate constitutis mandari cautum sit (8): Concilium Viennense decrevit (9) posse ad principalem Officialem Episcopi, seu Vicarium generalem utique dari, quemadmodum in dies reapse dantur ab Romana Curia. Quandoquidem nedum iurisdictione, sed honore etiam dignitati ecclesiasticae debito potitur: quum in synodis, processionibus, et choro omnes praecedat Canonicos, et Dignitates, Archidiaconum quoque, adsidens vel in consueta, fixaque (10), vel in mobili, et adventitia sede (11): nisi Canonicus item Vicarius esset, velletque distributiones lucrari, tunc enim in stallo suo cum veste Canonicis communi debet inter eos sedere, ac procedere.

(1) *Cap. fin. de suppl. negl. Prael.*
(2) *Clem., 1., et 2. de haereticis.*
(3) *Gl. in cap. Romana de appell. in VI.*
(4) Bonif. VIII. *in cap. licet. 2. de offic. Vic. in VI.*, *et Clem. etsi principalis officialis 2. de rescriptis.*
(5) De quo Mandosius *ad Reg. Cancell. qu. 6. nu. 10.* Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 1. qu. 2. num. 10.* — (6) Ex supradictis *tit. XVIII. num. 18.*
(7) Rota apud Puteum *decis.* 43. *lib. 2.*, Mohedan. *de offic. Vicar. dec.* 4. Cavalc. *dec.* 418. Olim per sese Episcopi ius dicebant in foro externo, nulla necessitate adacti Vicarium sibi constituendi; at processu temporum sacris canonibus consulto imperatum, ut Episcoporum quisque sibi generalem Vicarium adsciseeret in spiritualibus, et temporalibus, qui potiora oneris episcopalis ferret. Id quod fuse ostendit Altaserra *lib. 7. de iurisd. eccl. cap. 4.*
(8) Bonif. VIII. in *cap. statutum 11. de rescript. in VI.* cum concordantibus in superiori titulo traditis *num. 4.* — (9) *Clem. 2. de rescriptis.*
(10) Nicolius in *flosculis ver. Vicarius*, Leurenius *de Vicar. tr. 1. cap. 1. quaest. 61.*
(11) Ex decr. S. Congr. Rit. in Nucerina 18. Decem. 1579. Sbroz. *de off. Vic. lib. 1. qu. 25. num. 20.*

VI. Iurisdictio autem potius ordinaria esse, quam delegata ex eo putatur, quod accepta generali commissione officii, licet mobilis possit Vicarius ipso canonum iure, quae sunt iurisdictionis ordinariae fere cuncta exercere, causasque omnes ad episcopale iudicium pertinentes cognoscere (1): non aliter, quam Legatus apostolicus ordinaria potitur iurisdictione, tametsi pontificias gerit vices, Pontificis nutu, et arbitrio revocabiles (2). Delegatum porro nonnisi expresse mandatas sibi res exequi posse, patet ex iam dictis superiori titulo (3). Aliqua tamen difficultas haeret in eo, quod Legatorum potestas post legantis Pontificis obitum perduret tanquam ordinaria. Sed Vicariorum perinde obeuntibus Episcopis, atque mortuis delegantibus ea delegatorum quum expiret continuo (4): alii exin delegatam Vicariorum iurisdictionem esse contendunt. At vero isthaec Vicarii cessatio non ad ius delegationis, sed utique ad immediatam Capituli cathedralis successionem, cui canones defuncti Episcopi iurisdictionem addicunt, referenda est.

VII. Non tota nihilominus Episcopi iurisdictio ad Vicarium generali commissione officii transfertur: quum multa sint, quae, nisi Episcopus speciatim litteris patentibus mandaverit, is facere non potest. Quandoquidem sine mandato speciali criminales causas non cognoscit, nec matrimoniorum, nec quaslibet alias Episcopo soli delegatas (5): tametsi quae Episcopo sine particula taxativa, vel Ordinario loci mandat synodus Tridentina, ab iis gerendis Vicarius minime excluditur (6). Non beneficia confert (7), nec iis permutandis, vel uniendis (8), erigendisve adsensum impertitur (9): sed instituit praesentatos a patronis, causasque beneficiarias de *pertinentia*, ut aiunt, et quasi possessione iurispatronatus iudicat (10). Non visitat dioecesim, nec synodum congregat (11): uno Papae Vicario solum excepto, cui facultas est dioecesanam cum Clero Romano synodum celebrandi (12). Non Capitulum convocat Canonicorum, in eoque interesse non potest, nec ferre suffragium (13). Non absolvit a casibus Episcopo reservatis, neque ab iis absolvendi facultatem largitur (14), neque dispensat ab irregularitatibus ex occulto

(1) *Cap. 2., et 3. de offic. Vicarii in VI.*, *et cap. petitio 9. de procuratoribus.* Videsis dicta inferius *lib. 3. tit. 7. de causis fori ecclesiastici, tit. 9. de ordinario, et proprio cuiusque foro ecclesiastico.*

(2) Clem. IV. *in cap. legatos 2. de offic. Leg. in VI.*

(3) *L. et quia 6. D. de iurisd. omn. iudic. cap. relatum 19., et cap. gratum 20. de off. deleg., et cap. si delegatus 7. eod. tit. in VI.*

(4) *Cit. cap. licet 2. de offic. Vicarii in VI.*

(5) *Trid.* in *cap. causae omnes 20. sess. 24. de reform.*

(6) Genuens. *in praxi Cur. arch. cap. 1.*

(7) *Cap. cum in generali 3. de offic. Vicarii in VI.*

(8) Urbanus III. in *cap. quaesitum 5. de rerum permutat.*

(9) *Can. nemo Ecclesiam aedificet 9. de consecr. dist. 1.*

(10) *Cap. ex frequentibus 3. de institutionibus.*

(11) Trid. *cit. sess. 24. cap. 20.*

(12) Benedict. XIV. *lib. 2. de Syn. dioeces. cap. 3. num. 4.*, ubi tradit his ab Urbis Vicario synodum iure suo coactam.

(13) *Trid. sess. 25. de ref. cap. statuit 6.*

(14) *Cap. si Episcopus 2. de poenit., et remiss. in VI.*

crimine ortis (1). Nec monitoria excommunicationis ad finem revelandi decernit (2). Dimissorias ad Ordines litteras, nisi Episcopus in longinquis regionibus diuturnam fecerit moram, non concedit (3). Eoque minus quae sunt ordinis episcopalis gerere potest, videlicet ordines conferre, Ecclesias consecrare, chrisma conficere: quemadmodum nec insignia dignitatis episcopalis deferre; nec alieno permittere Episcopo pontificalia exercere (4). Nec provicarium substituit generalem (5): tametsi causas nonnullas aliis delegare non prohibetur (6), id quod aliud eius ordinariae iurisdictionis argumentum est (7). Metropolitani Vicarius generalis, quod praesente Archiepiscopo suffraganeos suspendere, interdicere, excommunicare ob gradus reverentiam non debeat: secus si ultra duorum dierum iter absit Archiepiscopus, sanxit Innocentius IV (8): tametsi comminari, praesente etiam Archiepiscopo, censuras potest, non infligere (9).

VIII. Quod si dubitari aliquando contigerit, an mandatum istis de rebus exceptis speciale habeat Vicarius, illud, antequam eae ab ipso gerantur, ostendi oportet: namque talem se quisque debet ostendere, qualem se dicit (10). Post eas vero gestas mandatum eiusmodi, ut acta ne facilius irritentur, praesumitur in dubio, nisi pars defecisse illud monstraverit (11): eo vel maxime, si praesens adfuisset Episcopus, ubi ea gessit Vicarius, quae fieri sine mandato expresso nequeunt: nam ex episcopali praesentia probe arguitur mandatum, saltem tacitum (12).

IX. Hac rerum, causarumque differentia fit, ut in rebus ad ordinarium Vicarii officium pertinentibus a Vicario ad Episcopum non detur appellatio (13), sed ad Metropolitanum, aliosque Superiores: quum

(1) Trid. *sess. 24. de reform. cap. liceat 6.*
(2) Idem *sess. 25. de ref. cap. 3.*
(3) *Cap. cum nullus 3. de tempor. ordinat.*
(4) Ex antedictis *num. 2.*
(5) *Cap. clericos 4. de off. Vicarii*, Ciron. *in paratitl.*
(6) Gonzalez *in cap. si pro debilitate 3. de offic. deleg. num. 7.*
(7) *Ex l. more maiorum 5. de iurisd. omn. iudic.*, ubi Iulianus Iureconsultus, *is demum*, ait, *iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio habet.*
(8) *In cap. Romana 1. de offic. ordin. in VI.* Ex hoc textu male arguit Ventriglia *par. 3. adnot. 14. num. 14. num. 39.* Vicario Metropolitae nullam omnino in suffraganeos iurisdictionem sine speciali Archiepiscopi concessione esse sola officii sui ratione.
(9) Card. Petra *tom. 1. ad const. 29. Leonis IX. num. 79.*, et S. Congr. Conc. *in Massalubrensi iurisd. 26. Iunii, et 18. Septem. 1684.*
(10) Gordian. in *l. non ignorat 9. C. de his, qui accus. non possunt.*
(11) Barbos. *de iur. eccles. lib. 1. cap. 32. num. 129.*
(12) Arg. *cap. nulli de elect. in VI.* Mandatum vero Principis, nonnisi per scripturam probatur, *l. un. C. de mendat. Princ*, *et cap. cum in iureperitus de offic. deleg.* Germonius *de indult. Cardin. §. tibi quoad vixeris num. 50.*, *et seq.*
(13) *Cap. Romana Ecclesia* 3. *de appellat. in VI.* Quemadmodum ad praetorem ab eo, cui praetor mandasset iurisdictionem, lis non redibat, *l. 1. §. 1. D. quis, et a quo appelletur.* Ciron. *in paratit. de off. Vicar.*

*

uterque unum, idemque tribunal faciant (1). Secus in aliis, praeter generalem commissionem specialiter mandatis, quarum iudicium a Vicario ad Episcopum appellantes valent provocare, ac deferre (2).

X. Recusato ob suspicionem Episcopo, suspectus quum fere putetur Vicarius (3), quoties ei non consentient partes: alium ei coniudicem partibus non suspectum adiungi debere, Gregorius XIII. rescripsit (4). At versa vice Vicario recusato, Episcopus poterit ad sese notionem, et iudicium avocare, ut vel ipsemet procedat, vel illud alicui deleget.

XI. Ecclesiasticis ordinibus, vel prima saltem tonsura initiatum esse oportet, qui ad Vicarii munus deligitur: quum absurdum sit laicos in Ecclesia Dei iudicare (5), et ecclesiasticas, spiritualesque censuras administrare. Ab eoque arcendos procul, et coniugatos, et bigamos clericos monet Barbosa (6). Originarios itidem civitatis, et dioecesis, plerunque gratia, odio, proximitate suspectos (7). Parochos etiam, curamque animarum habentes, et Canonicos poenitentiarios, licet exteros (8). Imperitos tandem, quum nonnisi in utroque, aut saltem Canonico Iure doctores fore deligendos, rescripserit saepe S. Congregatio (9): nisi lauream, gradumque suppleret comperta viri peritia (10).

XII. Plures uni Episcopo Vicarios habere nedum lex nulla prohibet, sed necessitate quandoque adigitur, vel ubi duas simul unitas ipse regat dioeceses (11), vel unam longe, lateque patentem (12), vel latinis simul, et graecis subditis mixtam. Quod enim ad causas Italograecorum, quibus Episcopus tantum latinus praesit, Vicarium graecum ipse

(1) *Cap. non putamus 2. de consuetudine in VI., et cap. dilectis 55. de appell.*

(2) Pellegrin. *in prax. Vicar. par. 1. sect. 2. subs. 4.*

(3) Riminald. *cons. 539.* et Sperell. *dec. 93.*

(4) Quem laudat Card. Petra *to. 1. pag. 113. num. 149.*

(5) Conc. Hispal. II. *in can. in nona actione 22. C. XVI. qu. 7.* Videsis infra *lib. 3. tit. 9. num. 12.*

(6) Barbosa *lib. 1. de iur. eccl. cap. 15., et seq.*

(7) Ex sententia divi Caroli Borrhomaei probatissima, quam eius vitae scriptor tradit *lib. 7. cap. 36.*, et sequitur S. Congregatio Episcoporum in diem reclamantibus subditis, rescribens ad Episcopos, ii ut cive, dioecesanove dimisso externum sibi Vicarium adsciscant.

(8) Ex plurimis S. Congr. Ep. decretis apud Pellegrin. *par. 1. cap. 1. n. 9.*

(9) Laudata per Card. de Luca *disc. 31. ad Conc. Trid. num. 14.*

(10) Trid. *sess. 24. de ref. cap. 16.*, ubi cautum, ut Vicarius tam Episcopi, quam Capituli *saltem in Iure Canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus.*

(11) Reiffenstuel *de offic. Vic. §. 3. num. 3., et Ursaya to. 2. disc. 16. n. 90.* ex decreto S. Cong. Episcopor. 17. April. 1705. commonent, praeterita duplicis Vicarii destinatione in amplioribus dioecesibus, vel duabus unitis, quam ultro fecerint Episcopi, non adimi semper successoribus arbitrium unius adhibendi: quum necessitas ex adiunctis potius locorum, et personarum, quam ex rebus voluntarie gestis definienda sit. Archiepiscopus porro Acheruntinus, et Materanus ex regiae Potestatis placito iam necessitatem nuper subiit duos destinandi Vicarios, alterum Acheruntiae, alterum Materae residentem.

(12) Qualis est dioecesis Caputaquensis, in qua alter Vicarius episcopalis valli Diani praeficitur, alter aliis circa urbem locis.

iisdem graecis gratum, eorum salario substentandum deputare debet: atque in appellationis gradu Metropolita latinus graecum similiter iudicem deligere (1).

XIII. Tametsi voluntariam iurisdictionem permittunt iura Episcopo ubilibet extra dioecesim (2): id tamen Vicario generali non licere, nisi Episcopus hoc ipsum ei mandaverit speciatim, recte observat Germonius (3). Nam Innocentius III. rescripsit, quod *iurisdictio Vicarii, quem Romanus Pontifex in urbe relinquit, non extenditur extra illam, nisi ei specialiter sit concessum* (4). Et Gregorius X. statuit, quod Ordinarii collatores beneficia conferre valeant *tantummodo per seipsos, vel ipsis agentibus in remotis, per suos Vicarios generales in eorum* dioecesibus *existentes* (5).

XIV. In singulis per dioecesim oppidis *foraneos* quoque Vicarios quum soleat Episcopus quisque deputare, eis quantam velit, iurisdictionem mandat: decet enim, ut Praesul quantumvis idoneus, sua cum aliis onera partiatur. (6). Hoc munere fungebantur olim Chorepiscopi (7), Archidiaconi (8), Archipresbyteri, Decanique rurales (9), tanquam nati, perpetuique in vicis Vicarii. Quo autem tempore ab Archidiaconis ad generales Episcoporum officiales nutu mobiles transiit officium Vicarii Urbani, eodem simul exorti videntur *Officiales foranei*, quos nominatim memorat Innocentius IV. in concilio Lugdunensi (10), et Cle-

(1) Ex pontificiis litteris Leonis X., Clementis VI., ceterisque innovatis a Benedicto XIV. *const. etsi pastoralis 57. de dogmatibus, et ritibus Italograecorum §. 9. num. 21.*, edita die 26. Maii 1742. *tom. 1. Bullarii.*

(2) Ex supradictis *tit. 18. num. 13.*

(3) Germon. *de indult. Card. §. tibi quoad vixeris num. 78.*

(4) Inn. III. in *cap. sunt nobis 5. de off. Vic.*

(5) Greg. X. in *cap. statutum 4. de praeb., et dignit. in VI.*

(6) Synod. Ravenn. *in cap. ut singulae 4. de off. Archipr.*, et Beatus Gregorius *in cap. 6. de praesumpt.*

(7) De quibus nonnulla sunt delibata superius *tit. 24. num. 23.* Ferrandus Diaconus *in breviario cap. 79.*, ceteri canonum collectores Vicarios Episcoporum appellant Chorepiscopos. Ab istis profluxisse vicarios forancos putat Iuveninus *de Sacram. dissert. 9. cap. 5 num. 1.*,

(8) Sigerbertus *in chronico* de Damaso II., qui sedit XI. saeculo, scribens *Damasus* (inquit) *Papa decrevit, ne quid contra Episcopos praesumant Archidiaconi, qui dicuntur* Chorepiscopi. Concilium Londinense an. 1237. decrevit *can. 2.*, ut Archidiaconi *in suorum decanatuum conventibus sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos, qualiter circa Baptismum, Poenitentiam, Eucharistiam, et Matrimonium debeant se habere*, apud Spelmann. *to. 2. collect. antiq. pag. 222.*, Thomassin. *de vet., et nov. Eccl. disc. par. 2. lib. 3. cap. 76.*

(9) Innoc. III. *in cap. adhaec 7. in fine de off. Archidiaconi*, commemorat *Decanos rurales*, vices, officiumque gerentes vel Episcopi solius, vel Archidiaconi urbani, vel utriusque, quos vel alteruter, vel uterque ad mandatum pro tempore, libitumque suum perinde statuerent, atque amoverent. Hoc in textu Emm. Gonzalez in notis ad ver. *rurales* interpretatur eos esse Archipresbyteros.

(10) *In cap. Romana 1. de off. ordinarii in VI.*, ubi vetitum Metropolitanis, ne in dioecesibus suffraganeorum *foraneos* haberent *officiales*.

mens V. in Viennensi (1). Nulla istos dignitate potiri sat innuit Clemens ipse, ibidem constituens, ne a Sede Apostolica, eiusve Legatis delegationes ad foraneum Episcopi officialem, sed ad principalem tantum, seu generalem dentur Vicarium. Eamque ob rem eis, nec primus locus in choro, et processionibus, nec alia id genus praerogativa debetur.

XV. Praecipuum foranei munus est, Episcopo renunciare mores clericorum, et qua quisque industria divinum opus exercet (2). Eorundem delicta, et crimina inquirere, et informationem, quoties Praesul mandaverit, capere, eiusque omnium decretorum executionem sedulo procurare. Si alicubi civiles parvi momenti causas fori episcopalis ex particulari potius, quam generali delegatione voluntaria Episcopi, eiusve generalis Vicarii cognoscant, ac iudicent foranei: communi est usu recepta sententia glossae (3), ut ab officiale foraneo, tanquam delegato ad delegantem episcopum, appellatio detur. Adhaec accessit ex novo Concordatorum (4) iure an. 1741. facultas impertiendi, quoties laicus magistratus postulaverit, Episcopo, et generali Vicario absentibus, licentiam, ut confugae, quos indicia ad torturam faciant exceptorum criminum reos, sacro extrahantur asylo, Curiaeque saeculari tradantur, praestita in scriptis obligatione, illos ad Ecclesiam restituendi, ubi eos ecclesiastica immunitate gaudere definitum rite fuerit. Simul adimendi confugis arma implorato, quatenus opus erit, brachio Curiae saecularis, vel ipsimet Curiae extractionem armorum permittere. Quemadmodum et indulgere, ut ea in locis immunibus quibuslibet, praeterquam in monialium claustris, et conservatoriis, perquirat res quaslibet, vel furto, vel contra banna, vel a contumacibus, aliisque in Fiscis fraudem abditas. De his autem alibi opportunius.

TIT. XXVII.

De Vicario Capitulari et Apostolico.

I. Cathedralis Ecclesiae Capitulum instar senatus episcopalis olim per sese, vel per Vicarios ad libitum episcopalem iurisdictionem Sede vacante administrabat.

II. Ex Tridentina lege nunc debet omnino intra octo dies Vicarium eligere capitularem: alias ad Metropolitanum, vel ad

(1) *Clement. 2. de rescriptis.* — (2) *Cit. cap. 4. de offic. Archipresb.*

(3) *Gl. in cit. Clement. 2. de rescriptis* ver. *foraneo.* Fallitur profecto Germonius *lib. 1. animadvers. cap. 7.* adstruens ordinariam in foraneo iurisdictionem, negansque posse ab eo ad Episcopum, quod in diem fit, appellari. Vicarius foraneus Martinae intra Dioecesim Tarentinam ex moribus antiquissimis quum omnes in primo gradu causas Cleri Martinensis nedum civiles, sed etiam criminales in primo gradu cognoscere memoria nostra consuevisset, in secundo eas ad archiepiscopalem Tarenti Curiam deferebant passim appellantes: tamen iudicium Romanae Curiae, regio placito comprobatum, ceteris foraneis Martinensem Vicarium, abrogata consuetudine, aequavit nuperrime.

(4) Concord. *cap. 2. num. 1., 2., 24. et 25.*

antiquiorem Episcopum in Metropolitana, vel proximiorem in exempta devolvitur electio.

III. In Vicarium semel electum tota iurisdictio transfertur irrevocabili conditione.

IV. Eaque ipsius, quam Vicarii episcopalis, Praelatique inferioris est amplior.

V. Nam iure suo Vicarius capitularis procedit in causis matrimoniorum, et criminalibus, immunitatis localis, et censurarum: virtutes, et miracula servorum Dei inquirit, concursum ad curas animarum peragit, beneficia communis Episcopo, et Capitulo collationis confert, visitat post annum dioecesim, et synodum celebrat.

VI. Quae vero ad delegatam Episcopi iurisdictionem spectant, is tractare nequit.

VII. Neque ad episcopalem ordinem. Vix dimissorias ad ordines, nonnisi arctatis, qui repulsam a defuncto Episcopo passi non sint, cum consensu pleni Capituli potest nunc dare.

VIII. Nec non exteris Episcopis facultatem pontificalia exercendi in vidua dioecesi indulgere.

IX. Nil de iuribus Episcopi innovaturus res Ecclesiae nequit alienare, nec unire, supprimere, permutare beneficia, nec patronatum reservare.

X. Emolumenta Curiae deductis expensis, et mercedibus necessariis, vel novo reservat Praelato in regiis Ecclesiis, vel Camerae apostolicae in pontificiis.

XI. Rationes ob id cogitur successori Episcopo reddere ministerii sui.

XII. Post octiduum Sedis vacantis electionem Vicarii a Capitulo re integra gestam, antequam Metropolitano, vel viciniore ea fiat, probam habent.

XIII. Metropolitana Sede simul, et suffraganea vacantibus, Capitulum Metropolitanum suffraganeae Vicarium deputat.

XIV. Metropolita, vel proximior Episcopus, aut antiquior si Vicarium non elegerint, Vicarius apostolicus vacanti Ecclesiae praeficitur: idemque si datus vivo Episcopo sit, post ipsius obitum in ea regenda perseverat.

XV. Ut activo eligendi iure omnes Canonici, ita passivo iureconsulti inter eos fruuntur: idoneique gradum doctoris, non adepti cum voto Assessoris procedunt.

I. Quod universi Cleri officium priori aevo fuit, coadiuvare quum consiliis, tum opera Episcopum suum in ecclesiastico regimine, viduatamque Ecclesiam vice Praesulis, vel defuncti, vel captivi, vel aliam ad Sedem translati, vel se abdicati ultro, vel depositi, gubernare secundum antiquos mores, canonesque (1): idipsum recentiori iure Capitulis cathedralium reservatum est. Et quamvis in obscuro nunc ferme iacent Capitulorum praerogativae, nam eorundem consilia fere missa

(1) Videsis dicta superius *tit.* 13. *Cardinal. num.* 2., *et in not.*

faciunt Episcopi, et contemnunt, quotiescunque rem non communem Ecclesiae, nec capitularem pertractent : tamen mortuis, vel quomodolibet deficientibus Praesulibus, quoad successores rite ordinati instituantur, sintque possessionem Sedis adepti, primaevum cuiusque Capituli ius reviviscit continuo, et splendet. Ipso enim Iure decretalium tota episcopalis iurisdictio non minus contentiosa, quam voluntaria in spiritualibus, et temporalibus ad Capitulum Sede, quomodolibet vacante, devolvitur. Eamque idemmet Canonicorum collegium : senatus ecclesiastici munia gereus, per sese plurumque administrare olim consuevit, per Vicarium raro, atque ad libitum, ad Tridentina usque comitia (1).

II. Quum autem ut in consiliis tutissima quaeque plurium auctoritas, ita sit arbitrium unius in regimine validissimum : haec utilitatis publicae ratio postulavit, ut potestas Capituli, nonnisi ab uno Vicario, unius Praelati locum tuente, administretur. Quare cautum a Patribus Tridentinis (2) est scitissime, ut *Capitulum Sede vacante* Officialem, seu Vicarium *infra octo dies post mortem Episcopi constituere*, *vel existentem* (puta qui Episcopi gerebat vices) *confirmare omnino teneatur*, *qui saltem in Iure Canonico sit doctor*, *vel licentiatus*, *vel alias*, *quantum fieri poterit idoneus*; *si secus factum fuerit*, *ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit : tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana*, *et propinquior Episcopus in exempta Vicarium idoneum possit constituere.*

III. Huius vigore decreti Capitulum vetusta iurisdictione sua fungi quum prohibeatur : illam ei communi Canonicorum consilio, non Archidiacono soli, obire usque ad Vicarii capitularis electionem vix conceditur (3). In electum porro Vicarium tota omnino potestas Capituli adeo transfertur, ea ut nulla reservatione nunc limitari, nec conditione suspendi, nec communi dissensu revocari unquam valeat, nec removeri, nisi id ex causa decreverit S. Congregatio Episcoporum nulliusque prorsus momenti habeantur restrictiones, conditionesque in litteris etiam patentibus adiectae (4). Nulloque is indiget speciali mandato in

(1) Saeculo XI. B. Petrus Damiani ad Faventinos scribens *ep. 10. lib. 5.* ait. *Quia per Dei misericordiam industrios inter vos clericos, ac prudentes, et litteratos habetis, si placet, unus ex eis eligatur, qui ad exequendum hoc negotium utilior invenitur : cui nimirum cura, ac solicitudo totius episcopatus possit imponi, ac per eum omnia necessitatis ecclesiasticae negotia debeant ministrari.* Sub initio saeculi XIV. viguisse communem Capituli administrationem indicat Bonifacius VIII. *in cap. si Episcopus 3.*, *et cap. Ecclesiae 4. de supplenda neglig. Praelat. in VI.*

(2) Trid. in *cap. Capitulum Sede vacante 16. sess. 24. de reform.*

(3) Card. Petra *to. 1. ad const. 2. Leonis IX. num. 32.*, *et seq.*, ubi monet, quod Archidiaconus sine speciali privilegio nequeat solus totius Capituli iurisdictionem, quousque Vicarius non deputabitur, exercere.

(4) Quod saepe recentioribus decretis Romanae Curiae, et S. Congr. Conc. definitum est: secus erat ex antiquis. Capitulo ius nunc non esse deputandi visitatorem dioecesis a Vicario diversum, S. Congr. declaravit apud Gallemart. in eodem *cap. 16. sess. 24.* verb. *officialem.*

iis etiam explendis, quae sine tali mandato Vicarius Episcopi nequit obire : quum generalis officii commissio sufficiat (1).

IV. Maiorem utique illa, qua Praelati inferiores, Vicariique Episcoporum generales iure utuntur ordinario, iurisdictionem obtinet Vicarius capitularis, et spiritualem, et temporalem, tanquam loci Ordinarius et Propastor in cunctis ad Episcopum iure ordinario pertinentibus, etiamsi communiverint istud aliquando, vel excitaverint auctoritate Sedis Apostolicae delegata leges Tridentinae.

V. Quandoquidem cunctas matrimoniorum etiam, et criminum causas (2) Episcopo soli reservatas, a quibus cognoscendis Praelati arcentur inferiores (3), diiudicat Vicarius Capituli (4). Similiter quaestiones de locali confugarum immunitate, quas Episcoporum iudicio definiendas relinquit ius Concordatorum (5). Processus de fama virtutum, miraculorumque servorum Dei nedum ordinaria conficit auctoritate, sed delegatam quoque ab Sede Apostolica litteris remissorialibus solet ad eam rem accipere (6). Simul a censuris sive a iure, sive ab homine latis, non aliter, quam vivens Episcopus, absolvit (7). Vicissim excommunicat, censurasque infligit, monitoria quoque excommunicationis ad res deperditas revelandum edicit (8). Quod autem ad beneficia, Vicarios idoneos curis animarum vacantibus deputat, et concursum ad parochiales indicit, celebratque (9) ; praesentatos a patronis instituit (10) : eaque beneficia, quorum collatio ad Capitulum una cum Episcopo pertinet, ob accrescendi, seu non decrescendi ius confert (11), quoties in quatuor Ordinarii mensibus vacaverint : secus alia ad solam Episcopi collationem liberam spectantia (12). Vi-

(1) Ex probabiliori sententia Gutierez, Garciae, Molinae, ceterorum, quae validioribus, quam contraria Barbosae, rationibus fulcitur apud praelaudatum Benedictum XIV. *lib. 2. de syn. dioeces. cap. 9. num. 3., et seq.*

(2) Dubitatum quum esset, an Vicarius Capituli contra Canonicos cathedralis, et collegiatarum deberet cum adiunctis Capituli deputatis procedere ad formam *cap. 6. sess. 25. de ref.?* S. Congregatio die 31. Martii 1553. censuit, si Episcopo fuisset auctoritas procedendi sine adiunctis, id etiam posse Vicarium capitularem, alias secus, apud Gallemartium *loc. cit.*

(3) Ex supradictis *tit. 24. num.* 9.

(4) Pellegrin. *in prax. Vicar. par. 1. sect. 4. subsect. 2. num. 18.*

(5) Concord. an. 1741. *cap. 2. art. 8.*

(6) Ex traditis a Benedicto XIV. in opere absolutissimo de *canoniz. Sanctor. lib. 2. cap. 2. num. 2.*, et *de synod. dioeces. lib. 2. cap. 9. num. 2.*

(7) Bonif. VIII. *in cap. un. de maior., et obed. in VI.* Idipsum inferiori Praelato non licere, monet *gl. ibidem verb. Sede Apostolica.*

(8) Stephanus Quaranta *in sum. Bullar. verb. Capitulum Sede vacante*, et Genuensis *in pr. Cur. archiep. cap. 87.*

(9) Pellegrin. *loc. cit. num. 16.* Ad Vicarium capitularem quod spectet illa omnia obire, quae ex concilio Trid. pertinent ad Episcopum occurrente vacatione parochialis secundum *cap. 18. sess. 24. de ref.* et Vicarios idoneos curis animarum deputare, tum edicta ad concursum dare, S. Congr. declaravit apud Gallemart. in *cit. cap. 16. sess. 24.* verbo *item officialem.*

(10) Bonif. VIII. *in cap. etsi Capitulum un. de institut. in VI.*

(11) Idem *in cap. si ad Episcopum, un. ne Sede vacante in VI.*

(12) Honor. III. *in cap. illa devotionis 2. ne Sede vacante.* Huiusmodi enim vacantia Sede vacante beneficia confert Romanus Pontifex ex novis Regularum Cancellariae reservationibus, quas explicui in *tract. de Beneficiis cap. 5.*

sitat post annum a postrema visitatione dilapsum, accipiendo medietatem procurationis, pecuniave pro ea transactae, quae solvi Episcopo consueverit (1), civitatem, ac dioecesim, eiusque nedum loca, sed omnes etiam ipsius Capituli personas (2). Synodum quoque post anni lapsum celebrat dioecesanam (3), sed non provincialem: hanc enim congregandi potestas non Capitulo metropolitano, sed antiquiori Episcopo provinciae attributa est (4).

VI. Extraordinaria vero, seu delegata Episcopi iurisdictio quum non transeat ad Capitulum, Vicarius capitularis se in iis, quae Episcopo tanquam Sedis Apostolicae duntaxat delegato mandantur constitutionibus praesertim Tridentinis, vel specialibus Romanae Sedis commissionibus, ingerere nequit (5); neque apostolicas litteras Episcopo defuncto, eiusve generali Vicario directas executioni, quam uterque omiserit, demandare. Quae redolent gratiam voluntariam, is etiam ius non habet ea concedendi (6) puta indulgentias, remissionesque poenarum.

VII. Quae ab episcopali pendent ordine, et charactere, eo minus valet Vicarius Capituli obire (7). Et quamvis ei Synodus Tridentina (8) potestatem fecerit dandi litteras dimissorias ad ordines intra annum luctus Ecclesiae suscipiendos aretatis tantum, post annum vero ceteris omnibus etiam non arctatis: tamen hoc in Regno aliter est novo Concordatorum iure. Scilicet Vicarius capitularis, ut nonnisi cum consensu pleni Capituli per secreta suffragia impertiendo possit dimissorias litteras

(1) Id quod a S. Congr. Concilii *die 7. Iulii 1708. in Ostunensi procurationis* rescriptum esse tradit disertissimus Benedict. XIV. *lib. 7. de syn. dioeces. cap. 53. num. 5.*, *et ult.*

(2) Idem *lib. 2. de syn. dioec. cap. 9. num. 5.*, ex decreto S. Congr. *die 13. Septem. 1721.*

(3) Altaserra *lib. 8. de iurisdict. eccles. cap. 16. in fine*, quem probat saepe laudatus Benedict. XIV. *cit. cap. 9. num. 4.*, *et seq.*

(4) S. Congr. Conc. *in Tarracon. 10. Febr. 1624.*, Bened. XIV. *eodem cap. 9. num. ult.*

(5) Fagnan. *ad cap. his, quae num. 55. de maiorit.*, *et obed.* Silvius *to. 5. oper. var.* verb. *Vicarius secundo*. Attamen cur dispensationes, quae ex Tridentino *sess. 22. de ref. cap. 5.*, extra Curiam committendae sunt Ordinariis locorum, committi nunquam consueverint Vicariis capitularibus, sed Episcopis vicinioribus, eorumque Vicariis generalibus passim, non satis percepisse hactenus fatetur ingenue Pontifex optimus Bened. XIV. *cit. cap. 9. num. 2.*

(6) Fagnan. *in cap. illa 1. ne Sede vacante num. 13.*, *et 14.*

(7) *Ex cit. cap. un. ne Sede vacante in VI.* Attamen indulgentias 40. dierum ab Episcopo largiri solitas, quae potius ad iurisdictionem, quam ordinem referuntur *ex cap. quod autem de poenit.*, *et remiss.*, an possit Vicarius Capituli concedere, dubitant Doctores. Alii enim id negant, in his Turrecremata *in can. item in Levitico num. 41. de poenit. dist.* 1., et Fagnanus *in cap. accedentibus num. 13. de excess. Praelat.* Affirmant Abbas *in cap. cum olim de maior.*, *et obed. qu. 13.*, Barbosa *de iur. eccles. lib. 1. cap. 32. n. 91.*, et Marchett. *in prax. Vic. Capitul. cap. 24 n. 1.* Quaestionem definire noluit S. Congr. Conc. dum rescripsit die 13. Novem. 1688., ut abstineat, Bened. XIV. in saepedicto *cap. 9. num. 6.*

(8) Trid. *sess. 7. de reform. cap. 10.*

concedere, aut laicis clericali tonsura initiandis, qui ad eam beneficio, vel capellania ecclesiastica arctentur, aut clericis ad beneficium, quod actu certum requirat ordinem, praesentatis, dummodo eos ipsos promovendos Episcopus defunctus ab ordinibus non reiecerit: aliis vero non arctatis nequaquam post annum quoque Sedis vacantis, sine expressa S. Congregationis concilii licentia (1).

VIII. Exteris autem Episcopis bene permittit pontificalia intra viduam dioecesim exercere, ordines conferre, et Chrisma conficere, ac ministrare, eo tamen pacto, ut ii nullum sibi exinde ius vindicent (2).

IX. De iuribus tamen episcopalibus, quum sit nemo, qui ea tueatur, Sede vacante nequit aliquid innovare (3). Eamque ob rem nihil de bonis Ecclesiae alienare, nec beneficia unire, aut supprimere, aut permutare, nec iurispatronatus reservationibus, aut donationibus assentiri (4): quamvis haec ad episcopalem pertineant iurisdictionem.

X. Emolumenta omnia, quae ex iurisdictione, et sigillo Curiae et undecunque obveniant, debet deductis expensis Episcopo successori in Ecclesiis regiae nominationis secundum Ius commune, vel Camerae apostolicae in episcopatibus pontificiis secundum huius Regni leges, ac mores fideliter reservare: nisi consuetudo legitima vel privilegium vel statutum speciale una cum iurisdictione emolumenta quoque Vicario Capituli attribuat (5); alias ab officio, et beneficiis, donec ablata restituerit, eo ipso suspenditur (6). Inter expensas autem contineri salarium ipsi Vicario, aliisque ministris debitum recte monet glossa (7), quod non exsuperet stipendium Vicario Episcopi defuncti praestari solitum (8); illudque arbitrio boni viri solet in tribunali Nuntiaturae apostolicae (9) pro Ecclesiis ad liberam Romanae Sedis collationem attinentibus, a Praelato successore pro iis, quae sunt regiae nominationis, definiri.

XI. Rationes idcirco exerciti muneris successori Episcopo reddere quidem compellitur, quotiescunque repetundarum postuletur apud eum Vicarius Capituli, poenasque promeritas luet, si deliquisse in officio, seu administratione reperiatur (10).

(1) Concord. *cap. 4. num. 9.*

(2) Stephanus Quaranta *loc. cit.* Huiusmodi cautelam adhibendam esse, quoties Episcopi vicini ad gerenda infirmorum, vel absentium Praesulum munia subrogentur, monuit Nicolaus I. in *can. Pontifices 4. C. VII. qu. 1.*

(3) Innoc. III. *in cap. novit ille 1. ne Sede vacante aliquid innovetur.*

(4) Pellegrin. *in prax. Vicar. par. 1. sect. 4. subs. 3.*

(5) Clement. *statutum 7. de electione.*

(6) Bonif. VIII. *in cap. quia saepe 40. de elect. in VI.*

(7) Gl. in *cit. Clement. statutum* verb. *expensae.*

(8) Ex decreto S. Congr. *in Ventimiliensi 15. Ian. 1602*, apud Pellegrin. *cit. sect. 4. subsect. 1. num. 30.* Qui tradit Casalensi Vicario adsignata quatuor scuta in mensem anno 1654.

(9) Cum enim fructus omnes cathedralium liberae collationis Sede vacante obvenientes Nuntius pontificius Camerae apostolicae colligat ex supradictis *tit. 22. num. 11.*, *et 26*: ab eo aestimationem stipendii debet Vicarius Capituli obtinere.

(10) Trid. *cit. sess. 24. de reform. cap. 16.*

XII. Ad eligentes, eligendosque nunc breviter sermo redeat. Ad solos Canonicos Capituli cathedralis, non ad alios Cleri quum urbani, tum dioecesani, neque ad portionarios eiusdem cathedralis pertinere ius eligendi Vicarium, lex Tridentina satis innuit, dum eam Capitulo adiudicavit: idque S. Congregatio Concilii interpres censuit (1). In Ecclesia vero Monopolitana regiae nominationis hoc in Regno viget consuetudo antiquissima, ut presbyteri omnes urbani adsint comitiis capitularibus, et ferant suffragium singuli in electione Vicarii capitularis. Proba, an non eiusmodi consuetudo sit, mea non interest heic edisserere, et animum procul habeo a laedendis, turbandisve cuiuslibet iuribus peculiaribus. Intra octiduum si negligentes, discordesve Canonici Vicarium non elegerint, etsi ad Metropolitanum, vel antiquiorem ex suffraganeis, ubi metropolis erit vidua, vel ad proximiorem Episcopum in exempta Ecclesia, ius eligendi devolvatur: tamen re integra posse moram bene purgari, ratamque habendam esse electionem, quam iidem ipsi, antequam eandem Metropolita, vel alius negligentiam Capituli suppleturus concluserint: secus re non integra post deputatum ab horum quolibet Vicarium, permulti putant Doctores (2).

XIII. Ubi contigerit metropolitanam simul cum suffraganea vacare: electio Vicarii suffraganei non ab antiquiore suffraganeo, sed a Capitulo fiet metropolitano (3).

XIV. Negligente dein Metropolitâ, aut antiquiore, vel proximiore suffraganeo Romanus Pontifex, vel sacra Congregatio Episcoporum (4) deputabit Vicarium, eique modo ampliores, modo limitatas mandat facultates pro libito. Quinimmo si cui ab Apostolica Sede Vicarius datus Episcopo sit, qui non semel datur ob abusum iurisdictionis, suspensionem, senectutem, adversamque valetudinem Praelati, aliamve urgentem causam: is adhuc mortuo Episcopo munus idem obibit. Hoc enim casu ob reverentiam supremae Sedis locum non dari electioni Vicarii capitularis, Doctores consentiunt (5): quum non deficere tunc videatur per obitum Episcopi idoneus minister iurisdictionis episcopalis,

(1) Apud Gallemart. *loc. cit.* Videsis antedicta *tit. 19. num. 11.*

(2) Nicolius, Pellegrinus, Garzia, Ventriglia, et Merolla, quos laudat, et sequitur Gaudentius *de visitat., et iurisd. Praelati to. 1. cap. 5. dub. 13. sect. 2. num. 15.*

(3) Benedict. XIV. *lib. 2. de syn. dioec. cit. cap. 9. num. 1.*

(4) Xysti V. *const.* 117. *to. 4. Bullarii*, et traditis a Benedicto XIV. in saepedicto *cap. 9. num. 7.*, et Bassio Episcopo Anagnino *in tract. de Vicario apostolico.*

(5) Piasecius in *praxi episcop. in proaem. num. 22.* Gaudentius *loc. cit. num. 16.*, ita scribit: *quoties Vicarius generalis Episcopi decessoris fuisset missus ab urbe, vel a S. Sede provisus, quod non raro evenit: tunc vacante episcopali Sede, nequaquam liceret Canonicis Vicarium deputare capitularem, sed continuare deberet in officio a S. Sede provisus*, ex decisis per S. Congr. Episc. in Aquilana 4. Aug. 1578., in Lyciensi 17. Nov. 1590., apud Pellegrin. *par. 1. sect. 4. subsect. 1. num. 21.* Huic sententiae subscribunt Nicolius in *Nolensi* verb. *Vicarius* §. 2. *num.* 18., *et seq.* Marchet. *part. 3. tit. 36. num.* 11., *et seq.* Card. Petra *to. 1. fol.* 114. *num. 42.*, Monacell. *to. 1.*

ubi eum vivo Episcopo iam putaverit supremus Ecclesiae universae Episcopus.

XV. Eligendi iure nedum activo omnes, sed passivo etiam nonnulli Canonicorum fruuntur. Si enim quis inter eos adsit Doctoris dignitate ornatus, iurisque consultus: hunc, non extrarium esse eligendum, non raro S. Congregatio rescripsit (1). At proba erit semper electio eius, qui Vicarius Episcopi immediatus extitit, ob compertam, praesumptamque peritiam, posthabitis quoque doctoribus Canonicis. Quum vero doctores in Capitulo omnino deficiant, et relictus ab Episcopo non arrideat: extra gremium utique poterit idoneum Vicarium adscire, nisi maluerit aliquem de gremio quoad fieri poterit idoneum (2) cum voto Assessoris iudicia exerciturum.

TIT. XXVIII.

De Capitulo cathedrali eiusque Dignitatibus et Canonicis.

I. Summa Cleri cuiusque pars Capitulum Ecclesiae cathedralis iura totius eiusdem Cleri universa iandudum habuit.

II. Communis quum vitae, tum laboris canonem sectantes potius, quam pecuniarium praebendarum canonem dicebantur Canonici.

III. In Ecclesiis ob id monachorum institutae sedes episcopales, et monachi inter Canonicos adlecti, eorumque monasteria, et collegia vices Capitulorum cathedralium obeuntia.

IV. Mox posthabita communis vitae disciplina in Capitulis cathedralium Canonici saeculares a regularibus distincti emerserunt.

V. Inter quos praecellunt variae Dignitates.

VI. Tripartito Capitula constent ex presbyteris, diaconis, et subdiaconis, sacro vel initiatis ordine suo, vel intra annum initiandis, eorumque pars dimidia theologos, iurisque peritos habeat.

VII. Vacantes dignitates, et canonicatus servata mensium divisione vel Episcopus, vel Romana Sedes confert libere, aut praesentatos a patronis instituit.

VIII. Ius optandi maiorem, pinguioremque locum Canonici nonnisi ex consuetudine, aut statuto peculiari habent.

IX. Novus quisque Canonicus professionem Fidei debet intra duos menses emittere, omnemque simoniae labem vitare.

X. In choro debent omnes de Capitulo horas canonicas, et divina officia concelebrare.

XI. Ad communes in Ecclesia preces populus convenire, summique Principes religiosiores choro adesse alicubi consueverunt.

XII. Graeci, Syriaci, Arabes propria cuiusve lingua in communibus precibus, et sacrificiis, occidentales latina solum utuntur cum Romanis.

(1) Apud Gallemart. *loc. cit.*
(2) Gaudentius *loc. cit. num.* 17., celeri passim.

XIII. Missam conventualem pro cunctis benefactoribus quotidie debent Capitula, et collegia concelebrare

XIV. Absentes a choro quotidianas distributiones amittunt, vel portiones fructuum subrogatas, quae praesentibus accrescunt.

XV. Distributiones ordinarias, et certas nonnulli absentes ex privilegio lucrantur, secus accidentarias, et incertas.

XVI. Nimirum infirmi, iubilati, innocentes in carcerem exilium, fugam adacti, spiritualibus exercitiis vacantes, Ecclesiae negotiorum gestor, Vicarius capitularis.

XVII. At incertas etiam lucrantur curae animarum actu incumbentes, quemadmodum et Poenitentiarius, ac Theologus.

XVIII. Utrasque amittunt, sed fructus praebendae vix lucrantur qui tres tantum menses absunt quotannis, vel causa studii, vel famulatus episcopalis, vel ex peculiari Ecclesiae statuto.

XIX. Privilegia de lucrandis durante absentia fructibus, studii etiam quinquennalis causa, sanctiones pontificiae recentiores, et S. Congregatio sub Innocentio XII. reformarunt.

XX. Protonotarii etiam praesentes in choro, nisi communem Canonicorum vestem induant, quique sacrum canonicatui adnexum ordinem intra annum non susceperint, distributiones amittunt: et e contrario qui fructus non facit suos ob omissam fidei professionem, eas lucratur.

XXI. Coadiutores cum futura successione hoc in Regno non creantur amplius.

XXII. Capitula cathedralium non exempta ordinaria subsunt iurisdictioni Episcoporum, exempta vero delegatae secundum Tridentinam reformationem.

XXIII. Nulla exemptionum privilegia contra legem Tridentinam suffragantur Capitulis, nisi et ea speciatim Apostolica Sedes confirmaverit.

XXIV. Inferiorum Ecclesiarum, collegiorumque exemptionibus nil derogatum a Tridentinis Patribus.

XXV. Ad visitanda, et corrigenda paterno more capitula exempta procedit Episcopus per sese, quem recusare non licet.

XXVI. Extra visitationem cum adiunctis capitularibus ritu ordinario.

XXVII. Primam sedem, et auctoritatem in Capitulis etiam exemptis Episcopo servat synodus Tridentina, excluso eius Vicario generali.

XXVIII. Quum Episcopi, tum Vicarii generales in Capitula non exempta integram habent iurisdictionem.

XXIX. Consilium Capituli debent Episcopi exquirere in alienationibus rerum Ecclesiae.

XXX. In restauranda Ecclesia cathedrali ex communibus eiusdem reditibus.

XXXI. In provisionibus Ecclesiarum, et beneficiorum, quae ad communem Episcopi cum Capitulo collationem, vel institutionem spectant.

XXXII. In synodis quum dioecesis tum provinciae concelebrandis.
XXXIII. In sacrae Scripturae lectionibus, et grammaticae instituendis.
XXXIV. In rebus Seminarii adolescentium.
XXXV. In distribuendis tribus Canonicorum ordinibus.
XXXVI. In regimine chori, divinorumque officiorum.
XXXVII. In beneficiorum unione, ac suppressione pro distributionibus constituendis.
XXXVIII. In convertendis ad alios pios usus, ubi expedire videbitur hospitalium reditibus.
XXXIX. In publicandis indulgentiis, ne iis collectores eleemosynarum abutantur.
XL. In sacris ordinationibus.

I. Principem cuiusque dioecesis Clerum quum referat collegium Canonicorum singulis cathedralibus Ecclesiis inservientium, et simul senatum Ecclesiae, unumque corpus cum Episcopo, qui Caput eorum est, componat (1) : *Capitulum* haud immerito nuncupatur. Quandoquidem res Ecclesiae cum consilio, et consensu Capituli (2), nisi aliud consuetudo ius introduxerit (3), fere administrat Episcopus : ipsum vero Capitulum episcopali Sede vacante in omnibus ad potestatem iurisdictionis attinentibus vices gerit Episcopi, quemadmodum in superiori titulo dictum est, et novum eligendi Praesulem ius habuit, quoadusque Sedes Apostolica sibi cathedralium Ecclesiarum collationem reservavit (4).

II. Canonicis, et Dignitatibus constare Capitulum nescius est nemo. Qui olim clerici apostolicam servantes regulam (5) in communi substantia, in communi obedientia, et in communi dilectione conviverent, ii dicebantur *Canonici* (6), ex eo potius quod aliqua singulis portio agri dominici tribueretur colenda tanquam *canon*, seu sors laboris, et regiminis (7), quam quod in *canone*, aut syllabo referentur Ecclesiae, iis necessaria vitae subsidiae praebiturae. Omnia quidem Clero Ecclesiae primitivae erant communia. *Omnia*, Tertullianus aiebat in apologetico, *indiscreta sunt apud nos.* Et B. Hieronymus de clericis loquens, *illi victu, et vestitu contenti* (inquit) *nul-*

(1) Alexander III. ad Hierosolymitanum Patriarcham, quum *tu*, *et fratres tui*, ait, *unum corpus sitis, ita quod tu* caput, *et illi membra esse prohentur*, *non decet te omissis membris aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti*, cap. *novit 4. de his*, *quae fiunt a Praet. sine cons. Capituli.* Videsis dicta superius *tit.* 19. *num.* 11.

(2) Ex B. Hieron. in *can. olim idem erat 3. dist. 95.*, totoque Decretalium *tit.* de *his*, *quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli.*

(3) Coelestin. III. *in cap. ea noscitur 6. eod. tit.*, et Fagnan. in *cap. 1. de elect. num. 33. et seq.*

(4) Ex supradictis *tit.* 19. *num.* 11. *pag.* 215.

(5) De qua scribens Apostolus, *spem habentes*, ait, *crescentis fidei vestrae secundum regulam nostram in abundantiam*, *non in aliena regula*, *ep. 2.* ad Corinth. 10. *vers.* 16.

(6) Petr. Blesens. *serm. 30.* — (7) *Can. sanctorum 2. dist. 79.*

lam inter se proprietatem habentes debent habere omnia communia (1).

III. Dissolutam sensim progressu temporis communitatem ecclesiasticorum S. Augustinus redintegrare quum studuisset (2): factum est, ut alii aequo animo canonicam vitam in communi domo, et mensa perinde amplecterentur, atque in monasterio Regulares; alii eam ferentes aegerrime, quos ipsemet S. Augustinus tolerandos censuit (3), extra communem domum canonicas portiones, praebendasve ex communibus acciperent proventibus. Tanti Doctoris auctoritas ad plerasque cathedralium invexit vitam Cleri communem, quae plura quidem saecula adeo praevaluit in veteri Ecclesiae disciplina, ut frequens esset saeculo V., et sequentibus mos erigendi cathedrales in ipsis Regularium monasteriis ubi et Abbatis munia Episcopi obirent (4), et monachorum vota simul profiterentur Canonici (5). Hinc est, cur Canonicorum collegia, communesque domus cathedralibus Ecclesiis adnexae plerumque olim dicebantur *monasteria* (6), quoadusque claustra reapse regularia fuere (7).

(1) *In can. duo sunt 7. C. XII. qu. 1.* Abiiciendus inter apocryphos *can. dilectissimi 2. eadem C. et qu.* obtrusus ex *ep. 5.* divi Clementis de praecepto communis vitae clericorum omnium.

(2) B. Aug. *in can. nolo* 10., *et can. non dictis* 11. *C. XII. qu.* 1., ex *serm. 2. de com. vita clericor.* Prosper *in can. expedit 13.*, et S. Gregorius scribens Episcopo de Acropoli *in can. quoniam Velina* 14. *eadem C. et qu.*

(3) S. Aug. in *can. certe ego sum* 18. *eadem C. et qu.*

(4) Thomasinus *par.* 1. *lib. 3. cap.* 19. *n.* 1. haec habet. *Nardensis in Italia Ecclesia* Graecorum *olim fuerat* monachorum, *postea* Benedictinorum *quibus permixti erant* Canonici. *Unde* coniicitur *cathedralem olim eam fuisse Ecclesiam. Anno* 1267. *a* Card. *Legato Episcopo Alunensi reformari caepta est ea Ecclesia, constitutis ibi decem* Canonicis, *aliisque similiter* monachis *decem, ut hi ex una, illi ex altera parte chori simul canonicum* pensum *persolverent, haberentque suas singuli seiunctim* Canonici praebendas: *reliquae vero res penes Abbatem, et monachos essent.* Eadem forma Bonifacius IX. anno 1392. in Ecclesia et castro S. Adiutoris ad Abbatem Cavensem Congregationis Casinensis pertinenti episcopalem dignitatem instituit, et monachos Cavenses creavit Canonicos illius cathedralis Ecclesiae, Abbatemque simul episcopali charactere auxit, apud Ughellium *to.* 1. *Ital. sacr. de Cavens. Episcopis.*

(5) Ex traditis a Yepes *to.* 1. *chronic. centur.* 1. *ad ann. 563.*, et Emm. Gonzales *in notis ad cap. causam 9. de iudiciis num. 2.*, ubi ex Sirleto exscribitur *ep.* Innoc. III. ad Priorem, et Canonicos Dunolmenses. Quod archiepiscopus Colocensis monasterium de Cheur in cathedralem erexerit, commemorat Gregorius IX. in *cap. cum inferior* 16. *de maiorit.*, *et obed.* Innocentius III. Vigoriensem Episcopum a Priore, et conventu eiusdem Ecclesiae, ius Capituli cathedralis obtinente, electum fuisse rescripsit Cantuariensi Archiepiscopo *in cap. innotuit 20. de elect.*

(6) *Ut nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici iuris est, sine consensu Episcopi, vel Romani Pontificis, monasteriis, aut Canonicis offerre praesumat*, decrevit concilium Melphitanum an. 1089. sub Urbano II. *can. 5.* Unde patet monasteriorum cathedralium vestigia saeculo XI. extitisse. Eaque permansisse saeculo XIV. ostendit Bonifacius VIII. *in cap. nullus 25. de elect. in VI.*, ubi statuit Episcopum tam in saecularibus, quam regularibus Ecclesiis non professum probe eligi, secus Abbatem.

(7) Religiosis tamen votis ii non adigebantur Canonici, quorum cathedrales non essent in monasteriis erectae. Enimvero exploratum est discrimen inter Ca-

IV. Recentior deinde disciplina quum largita sensim esset cathedralium Canonicis libertatem deserendi communem mensam, domumque, et communes inter sese Ecclesiae redditus dividendi vel quotannis, vel per stalos praebendarum titulos; et admodum auxisset interea Presbyteros ad titulum non praebendae, aut Ecclesiae, sed patrimonii promotos quum in oppidis, tum in urbibus: ratio discriminis postulavit, ut *Canonici saeculares*, et *Capitula* vocitentur, ne simplex Canonici vocabulum eos cum Canonicis regularibus (1) confundat, neve cum Clero extraordinario, oppidanoque misceatur urbanus, et principalis. Omnes propterea Canonici, ut Patres Tridentini commonent, *vestitu decenti tam* in Ecclesia, *quam extra assidue utantur*, *ab illicitisque venationibus*, *aucupiis*, *choreis*, *tabernis*, *lusibusque abstineant*, *atque ea morum integritate polleant*, *ut merito* Ecclesiae senatus *dici possit* (2).

V. Canonicis praecellunt *Dignitates*, quas ad conservandam, augendamque ecclesiasticam disciplinam institutas, ut nedum aliis pietate, ac exemplo praeirent, sed Episcopos etiam opere, et officio iuvarent, tradit Synodus Tridentina (3). Praecipua earum iura singulatim inferius edisserenda, antequam inquirantur, satius videtur nunc generalia Canonicorum praelibare.

VI. In tres ordines Presbyterorum, diaconorum, subdiaconorumque ita distribui oportet omnes cuiusque cathedralis dignitates, canonicatus, portionesque, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, ceteri vero diaconi, aut subdiaconi: nisi plures, aut omnes introduxerit Presbyteros consuetudo laudabilior (4). Quare inter Dignitates, Canonicosque cooptare non licet Episcopis, nisi adnexo initiatos ordine, aut saltem in ea aetate, quae suscipiendo eidem ordini intra annum idonea erit, constitutos (5). Quoadusque tamen eum ordinem non susceperint, ius suffragii non habebunt in Capitulo (6). Omnes praeterea Dignitates, et

nonicos, et monachos saeculo IX. ex Capitularibus Aquisgranens. *an. 789. cap.* 71. apud Balutium *to.* 1. *Capitular. col. 237. Qui se voto* (inquiunt Capitularia) *monachicae vitae constrinxerunt monachice, et regulariter omnimodis secundum votum suum vivant. . . . . Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus, ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis vivant, et Episcopus eorum regat vitam, sicut monachorum.*

(1) Clemens III., qui saeculo XII. floruit, de *Canonico regulari*, qui proprium peculium noluit moriens contra regulam resignare, rescripsit in *cap. super quodam 4. de stat. monachor.* A Gregorio IX. simul *monachi*, *et regulares Canonici* commemorantur in *cap. cum in magistrum 49. de electione.* Discrimen eiusmodi firmavit Tridentina synodus in *cap. quicunque 4. sess. 22. de ref.*, dum ait: *quicunque in cathedrali, vel collegiata* saeculari, *vel* regulari *Ecclesia divinis mancipatus officiis.*

(2) Trid. in *cap. cum dignitates 12. sess. 24. de ref.*

(3) Trid. in eodem *cap. cum dignitates 12. sess. 24. de ref.*

(4) Ex Tridentino *cit. cap. 12.*

(5) Trid. *ibidem*, ex Greg. X. in Conc. Lugdun. *in cap. licet canon 14.*, et Bonif. VIII. *in cap. cum ex eo 34. de elect. in VI.*

(6) Clement. *ult. de aetate, et qualit. et ord. praeficiend.* Trid. *sess. 22. de reform. cap. 4.*

pars saltem dimidia Canonicatuum, ut magistris, vel doctoribus, aut in Theologia, et Iure Canonico licentiatis duntaxat conferantur, hortatur Tridentina Synodus (1), non iubet.

VII. Quoties Dignitatum, et Canonicorum gradus, et praebendae vacaverint in quatuor mensibus ordinariis Martio, Iunio, Septembri, et Decembri: eos, easque Episcopus loci ordinarius vel solus hodierno iure communi, vel una cum Capitulo suo ex peculiari consuetudine, in aliis mensibus reservatis Apostolica Sedes ad libitum conferunt. Primae cuiusque Capituli Dignitatis in quolibet mense vacantis collatio ad Romanam Sedem pertinet semper, nisi obnoxia patronatus laicorum sit (*) Ceterae autem dignitates, aut canonicatus de iure patronatus laicorum iis tantum, quos patroni praesentaverint, viris idoneis conferuntur (2).

VIII. Antiquiores in Ecclesia Canonicos iunioribus praeferri, quum suadeat aequitas iuris (3): Capitula nonnullis in Ecclesiis *optionem* habent *canonicam*, scilicet ius, vel moribus diuturnis, vel statutis inductum, quo antiquior ex Collegio, Capitulove maiorem, quoties vacaverit, praebendam, canonicatum, dignitatem, quae non reservata Sedi Apostolicae sit, propria dimissa occupat, et per sese absque ulla Superioris collatione adsumit intra viginti fere dies, nisi aliud peculiare spatium erit praefinitum (4). At ubi defecerit consuetudo, vel statutum, nullus optioni locus datur iure communi, de qua alibi sermo redibit fusior (5).

IX. Duos intra menses a possessionis die computandos quilibet canonicatum, dignitatemve adeptus professionem fidei facere nedum coram Episcopo, eiusve Vicario, sed coram Capitulo etiam necesse habet: alioquin suos non faciet fructus (6). Ut autem in aggregandis Collegio, vel admittendis ad possessionem canonicatus, vel praebendae, vel beneficii, vel distributionum Canonicis, vel beneficiariis procul absit omnino simoniaca labes: Tridentinum vetuit omnia turnorum lucra, seu solutiones, aut detractiones fructuum quantumlibet consuetas, quae in usus pios non convertantur (7).

(1) Trid. *cit. cap. 12. sess. 24. de ref.*

(*) Concordat. lege an. 1818. art. X. statutum Canonicatus liberae collationis in Capitulis, sive cathedralibus, sive collegiatis respective conferri a Sede Apostolica, et ab Episcopis: scilicet in primis sex cuiusque anni mensibus pontificiae collationi illos addici: aliis vero sex mensibus episcopali. Excipitur tamen prima dignitas, quae semper erit liberae collationis Sedis Apostolicae.

(2) De iure conferendi dignitates, et canonicatus quum ordinario, tum pontificio, vel liberae collationis, vel de iurepatronatus, videsis tradita in duobus *tract. de Beneficiis ecclesiasticis, et de Iurepatronatus.*

(3) *Can. quid proderit 7., et seq. dist. 61., can. Episcoporum 5. dist. 74. et can. bene quidem 1. dist. 96.*

(4) Ex *cap. fin. §. ne autem de consuetudine in VI.* Videsis Petr. Moneta *in tract. de optione canonica.*

(5) In *tract. de Beneficiis cap. 10. §. un.*

(6) Trid. *cit. cap. 12. sess. 24.*

(7) Trid. in *cap. in pluribus 14. sess. 24. de ref.* Videsis dicta inferius *lib. 4. tit. 16. num. 29.*

X. Praecipua Canonicorum obligatio est in choro ad psallendum instituto adesse vel quotidie, vel alternis fere hebdomadis, ibique divina per se se, et non per substitutos (1) distinctis horarum intervallis rite officia persolvere, hymnisque, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque collaudare, *et Episcopo celebranti, aut alias pontificalia exercenti adsistere, et inservire.* Debent sane vox, et mens in unum, idemque simul conspirare (2). *Si orat psalmus, orate: si gemit, gemite: si gratulatur gaudete: si sperat, sperate: si timet, timete*, monet S. Augustinus (3). Qui vero praesentes in choro negligant psalmos, et hymnos concinere, suo eos muneri satis nequaquam facere, declaravit scitissime Benedictus Papa XIV. (4). *Oportet semper orare, et non deficere*, praeceptum Domini est (5). Ut *sine intermissione* oremus omnes, monet Apostolus (6). Exinde constitutionibus vulgo apostolicis, quae primitivae Ecclesiae mores procul dubio indicant, demandatum est omnibus una fidelibus precationes, facere mane, tertia hora, sexta, nona, vespere, atque ad galli cantum (7). *Ille* enim *sine intermissione orat, qui certa orandi tempora nullo die intermittt*, docet B. Augustinus (8). Benedictus XIV. indulgentias largitur docentibus, discentibus, exercentibus methodum orationis mentalis (9).

XI. Publicam divini officii recitationem in choro *communem orationem* ad discrimen *singularis* appellat S. Thomas (10), non modo, quod

(1) *Clement. 1. de celebr. Missar.* Trid. *loc. cit., et sess. 21. cap. 3. de ref.* Nam Iustin. ait: *Qui fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, et communis reipublicae, reliquerunt illis substantias, ut per eos debeant sacrae liturgiae fieri, et ut illis a ministrantibus piis clericis Deus colatur, l. omnem 42. §. 10. C. de Episc., et clericis.*

(2) Conc. Later. sub. Innoc. III. in *cap. dolentes 9. de celebr. Missar.*

(3) S. Aug. *in psalm. 30. serm. 3.*

(4) In ep. encyclica die 19. Augusti 1744. *to. 1.* Bullarii *const. 103. §. 24.*

(5) Lucae *cap. 18. vers. 1.*

(6) *Ep. 1. ad Thessalon. cap. 6. vers. 17.* S. Hieronymus *to. 1. ep. 22.* ad Eustochium *num. 37.* ait: *quanquam Apostolus orare semper* iubeat, *et Sanctis etiam ipse sit somnus oratio: sic tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam* tertiam, sextam, nonam, diluculum *quoque*, et vesperam *nemo est, qui nescial. Nec cibi sumantur sine oratione praemissa, nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, revolvenda quae de Scripturis memoriter retineamus. . . Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Domini Crucem.*

(7) *Lib. 8. cap. 34.*

(8) S. Aug. *lib. de haeresi haer. 87.* Consonat B. Elogius *hom. 22. de coena*, inquiens: *Ille semper orat, et nunquam deficit, qui canonicis horis iuxta ritum ecclesiasticae traditionis psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare, et rogare non desistit.* Videsis Nicol. *tom. 2. traite de la priere lir. 4. cap. 14.*

(9) Bened. XIV. *const. quemadmodum nihil 23.* die 16. Decem. 1746, *to. 2.* Bullarii, ad cuius hoc in regno promulgationem accessit regium placitum die 6, et 10. Feb. 1747, ex rescripto ad Curiam Capellani maioris dato.

(10) S. Thom. 2. 2. *qu. 83. art. 12. Communis quidem*, ait, *oratio est*,

pro universo populo persolvatur, sed etiam quod interesse populus debeat, eamque simul, festis saltem diebus, concelebrare. Quod aevo S. Ambrosii pia plebs secundum morem orientalium partium in occidentalibus pene omnibus Ecclesiis hymnos, et psalmos concinere consueverit, tradit S. Augustinus (1). Principes autem religiosiores, praesertim Theodosium, et Carolum M. in choro una cum clericis Deo psallendi morem habuisse, prodit historia. Praeterea Comites Andegavenses Fulconem III., et Indelgerum in Gallicana S. Martini Ecclesia insignia, vestesque Canonicorum in choro induisse. Gentilitiam eiusmodi consuetudinem ad hoc regnum Neapolitanum primus omnium Carolus II. Andegavensis invexit initio XIV. saeculi, solitus interesse choro regiae basilicae S. Nicolai Bariensis cum Canonici insignibus in digniori stallo contra illud Prioris, quod sibi, Regibusque successoribus extruxit (2). Aliudque cum armis Andegavensibus erectum habetur in Altimurana Ecclesia regiae quoque collationis e regione stalli archipresbyteralis.

XII. Lingua cuiusque gentis vulgatissima initio communes in Ecclesia preces, et sacrificia concelebrari consuevisse, praesertim Graeca, Syriaca, Arabica in orientalibus regionibus (3), Latina in occidentalibus, res est compertissima. Tum processu temporum, tametsi plebes occidentales, Latino posthabito, ad Italum, vel Hispanum, aut Gallicum transiverint sermonem: Romana tamen Ecclesia novarum rerum inimica, primaevum, inveteratumque illius usum retinendum semper censuit (4). Eaque omnium mater, ac magistra de unitate, ritibus, dignitateque divini Officii sollicita, Breviarium (5) non semel correxit, vetuitque, ut ne falsa, aut depravata in Ecclesia sancta legerentur, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, inquit Gelasius (6). S. Gregorius VII. Ieromiro Pragensi Episcopo rescribens, divinum officium vetuit lingua Sclavonica celebrari (7). Tridentina Synodus quum delectis quibusdam

quae per ministros Ecclesiae in persona totius populi fidelis Deo offertur: et ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur: quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiae huiusmodi orationes alta etiam voce pronuncient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. — (1) S. Aug. *lib. 9. Confess. cap. 7.*

(2) Beatill. *nell' istoria di Bari lib. 3. fol.* 143.

(3) De ritu arabico, et mozarabico in Hispania, videsis dicenda inferius *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 31. De ritu graecorum, aliarumque nationum *ibidem num.* 22., *et seqq.* De ritibus Sinensibus Bened. XIV. in *const. ex quo* 59. *to.* 1. Bullar. — (4) Quod observat Fleury *par.* 2. *Inst. Iur. Can.* 2. §. 5.

(5) Quum nimis prolixa olim esset divini officii recitatio, quod pluribus continebatur magnis voluminibus, scilicet *psalterio, hymnario, legendario, collectario*, illud in unum librum contraxisse primum in Capellis suis S. Gregorium M., et VII., et Innocentium III., ne tempus expediendis christianae Reipublicae negotiis summis deficeret, eosque auctores fuisse, ut universa ubique Ecclesia communi plausu breviati Officii morem amplecteretur, unde vocabulum Breviarii ortum putat cum Radulpho Tungrensi *de observat. canon. cap.* 22. Ino. Cironius *lib.* 2. *observation.* 12.

(6) Gelasius in *can. sancta Romana 3. dist. 15.*

(7) S. Greg. VII. *ep. 7. lib. Omnipotenti* (ait) *Deo placuit scripturam sacram quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, et subiaceret despectui. aut prave intellecta a mediocribus in er-*

Patribus mandasset, ut de variis censuris, ac *libris*, *vel suspectis*, *perniciosis quid facto opus esset* considerarent, atque ad ipsam referrent, quamvis extremam ii manum opere imposuissent: censuit, *ut quidquid ab illis praestitum est, Romano Pontifici exhibeantur, ut eius iudicio, atque auctoritate terminetur, et evulgetur. Idemque de catechismo a Patribus, quibus illud mandatum fuerat, et de missali, et breviario fieri* mandavit (1). In comitiis itaque Tridentinis curatiorem novi breviarii reformationem Patres iudicio Romani Pontificis Pii IV. integram cum remisissent, viris idoneis eam ipse primum demandavit, eamque S. Pius V. absolutam probavit, et Romae impressum opus divulgari iussit anno 1565. ea lege, ut absoletis aliis breviariis antiquioribus, omnes breviarium ipsum Romanum ex decreto Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. iussu editum, Clementis VIII., et Urbani VIII. auctoritate recognitum universae orbis Ecclesiae monasteria, ordines, et loca etiam exempta adhiberent, et observarent tam in choro, quam extra chorum, nullusque unquam aliquid in eo commutare, vel addere, vel detrahere audeat: eos tantum Regularium ordines excepit, quos peculiare breviario ab Apostolica Sede probato, vel consuetudine ducentos annos excedente in limine fundationis usos fuisse constiterit (2). Idipsum in editione, Missalis Romani reformata, et correcta pro Sacrificiis Missarum uno, eodemque ritu celebrandis in Ecclesia universa cautum est (3).

XIII. Quoniam pars officii quidem est Missa *conventualis*, ea est quotidie concelebranda pro populo, et benefactoribus generatim a quolibet Capitulo, et collegio presbyterorum, etiam regularium, pro eaque eleemosynam accipere manualem celebranti per turnum nequaquam licet (4).

XIV. A choro statis horis absentes quotidianas amittunt distributiones hoc pacto, ut eae inter praesentes tantum, remota omni collusione, indulgentiave dividantur, et deficientium partes interessentibus omnino accrescant (5). Si qua vero in Ecclesia, aut nullae, aut ita tenues sint distributiones, ut verisimiliter negligantur: tertiam communium fructuum partem a praebendis separare, eamque in distributiones debet Episcopus convertere, inter eos, qui quotidie choro inserviant, disper-

rorem induceret... Unde ne id fiat, quod a vestris imprudenter exposcitur, auctoritate D. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanae temeritati viribus totis resistere praecipimus.

(1) Trid. in fine *sess. 25.* in decreto *de indice librorum*, *et Cathechismo, Breviario*, *et Missale.*

(2) S. Pius V. in *const. quod a nobis* edita 7. Idus Iulii 1568., Clem. VIII. in *const. quam in Ecclesiae 1602.*, et Urbanus VIII. in *const. divina 25.* Ianuarii 1631. Tum S. Congregatio rituum multa explicuit, et decrevit pro earundem constitutionum pontificiarum executione.

(3) Liquet ex S. Pii V. const. *quo primum tempore 106.*, et Clementis VIII. const. *cum sanctissimum* 108.

(4) Ex decretali Honorii III. ad universos Ecclesiarum Praelatos in *cap. cum creatura 11. de celebr. Miss.*, *et* Bened. XIV., *const. cum semper 103.* §. 11, edita die 29. Aug. 1744, *to. 2.* Bullarii eius.

(5) Bonif. VIII. *in cap. un. de cler. non resid. in VI.* et Trid. *cit. cap. 12.*

tiendas. At ubi omnes fructus (1), vel maior eorundem pars naturam distributionum habuerint a consuetudine, quae vel nihil, vel minus, quam tertiam praebendae partem relinquat non residentibus, vel non servientibus choro: ea ob divini cultus favorem est omnino servanda (2). Hoc tamen casu, ne absentes illi, quibus aequitas canonica fructus sine distributionibus ob iustam causam indulget, aequarentur absentibus sine causa: tertia distributionum pars naturam retinebit suam, reliquae duae naturam assument fructuum (3).

XV. Distributionum duplex genus: aliae nimirum *ordinariae*, ac *fixae*, aliae vero *extraordinariae*, *accidentales*, *incertaeque* sunt. Ad primum pertinent pars, quam modo innuimus, tertia, vel alia maior a fructibus praebendarum detracta: certusque simul proventus ex statis, perpetuisque anniversariis, processionibus, functionibusque ceteris quotannis obveniens. Ad secundum omnia emolumenta, quae pro singulis funeribus, Missis votivis, aliisque piis officiis vario casu obtingentibus accipiuntur in diem. Inter utrasque haud leve discrimen est. Nam distributiones prioris generis ordinarias fere participant multi reapse absentes, quos privilegium aliquod, vel iuris, vel hominis, tanquam praesentes habet. Secus extraordinarias, et incertas, quibus iucrandis *ficta*, seu *praesumptiva* praesentia, residentiaque plerunque non suffragatur.

XVI. Itaque ordinarias non amittunt distributiones *infirmi* (4), qui tamen choro inservire consueverint, praevioque triennio ultra menses tres, quotannis non abfuerint (5). Nec *iubilati*, qui postquam quadragiuta annos assidue, ac laudabiliter famulatum Ecclesiae praestiterint, privilegium exinde ab Apostolica Sede obtinere solent exemptionis a choro, et residentia (6), instar militum veteranorum (7). Nec *innocen-*

(1) Pius IV. *in const. cum sicut 41. to. 2.* Bullarii iussit, ut redditus omnes, ac emolumenta Capitulorum, et Collegiatarum urbis Romae in quotidianas distributiones convertantur, quas praesentes tantum lucrentur. Idipsum ex consuetudine servatur in cathedrali Ecclesia Neapolitana.

(2) Trid. in *cap. Episcopi et iam 3. sess. 21. de reform.*

(3) Card. Petra *in const. 9. Bonif. VIII. num. 20.*, *et seq. to. 3.* S. Congr. in Arianen. distribut. 18. Aug. 1731., et iussu Inn. XII.

(4) Honor. III. *in cap. ad audientiam 15. de cleric. non resid.* Fagnan. *in cap. licèt de praebendis num. 136., et seq.*

(5) P. Gaudentius *to. 1. de visit., et iurisdict. Praelator. cap. 5. dub. 13. n. 73.* At solitus defecisse, quum praesumatur quoque defecturus, nullas accipit distributiones tempore infirmitatis. Quemadmodum et eas eadem ratione coadiutus aeger mittit, quoties coadiutor eius in choro deficiat, ut definivit S. Congr. in *Asculana an. 1706. super dubio 8.*, penes Gaudentium *loc. cit.* contra Monacellum aliter ex decretis antiquioribus sentientem.

(6) Consuetudinem talis privilegii probat S. Congr. Conc. die 17. Decemb. 1718., et Benedictus PP. XIV. *lib. 3. de synod. dioeces. cap 4. num. 6.*, illud recensendo inter apostolicas indulgentias absentibus Canonicis concedi solitas, de quibus Gregorius IX. in *cap. cum ad hoc 16 de cler. non resid.* Interruptum, vitiosumque servitium iubilationem haud promeretur. Hac in re mitior erat lex Levitarum, quam legimus Numer. *cap. 5. vers. 25. A viginti quinque annis, et supra ingrediantur, ut ministrent in tabernaculo foederis: cumque 50. annum aetatis impleverint, servire cessabunt.*

(7) Ex *l. a muneribus 7. D. de vacatione, et excusat. munerum.*

tes iniuria in carceribus detrusi, vel exilium, fugamque perferre coacti (1). Nec *exercitiis vacans* spiritualibus decem dies, antequam sacris initietur ordinibus (2). Neque communia Ecclesiae negotia gerens, praesertim procurator (3), et Vicarius capitularis (4).

XVII. Ab hac tamen regula excipiuntur nonnulli, qui cunctas etiam extraordinarias, incertasque distributiones lucrantur praesentia non vera, sed praesumptiva. Scilicet *qui animarum curae* Capitulo adnexae, vel dignitati suae, aut canonicatui perpetuo unitae actu incumbit, quum officia in choro ab aliis persolvuntur (5). *Poenitentiarius*, quoadusque audiendis confessionibus revera vacet (6). *Theologus* insuper eo die, quo sacrae Scripturae lectionem habeat (7).

XVIII. Alios contra nil pro distributionibus qua ordinariis, qua extraordinariis iuvat residentia ficta, sed pro fructibus tantum participandis. Puta qui non ultra tres menses quotannis absunt, quum cito reversuri abesse non videantur (8). Quemadmodum et absentes causa studii (9) non ultra duos de Capitulo, qui licentia Episcopi, ne fraus inde fiat residentiae, opus habent : alias redire subtractione quoque fructuum coguntur (10). Pariter unus, duove, non plures Episcopo suo famulantes (11) nedum in munere Vicarii generalis (12), vel Convisitatoris, sed alio quovis ministerio. Omnibus tandem quavis causa privilegiariis paullo ante recensitis adimere quaslibet certas, incertasque distributiones potest, ac solet voluntas benefactorum expressa, locique sta-

(1) Fagnan. *in cit. cap. licet num. 135., et seq.*

(2) Ex const. Alexandri VII., et Clementis IX. an. 1710., apud Gaudent. *ibid.* — (3) *Cap. cum non deceat 30. de elect. in VI.*

(4) Honor. III. *in cap. ex parte tua 3. de cleric. non resident.*

(5) Ex Trident. *sess. 22. de reform. cap. 3.*, et S. Congr. Conc. in Romana distributionis 13. Iulii 1711., apud Gaudent. *loc. cit. n. 75.* Qui tamen in alia Ecclesia curam parochialem Capitulo non adnexam una cum Canonicatu ex apostolica dispensatione retineat, distributiones non lucrabitur inserviens curae, ex S. Pii V. *const. 65.*

(6) Fagnan. *in cit. cap. licet num. 170.*

(7) Ex declaratione Gregorii XIII. apud Fagnan. *loc. cit. num. 116.*

(8) *Can. praesentium 7. qu. 1.*, Honor. III. *in cap. licet vobis 32. de praebend.* Trid. *sess. 23. de ref. cap. 1.*

(9) Trid. *sess. 5. de reform. cap. 1. in fine* ibi : *docentes vero ipsam S. scripturam dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum, et beneficiorum suorum in absentia a lure communi concessis plane gaudeant, et fruantur, cap. fin de magistris, et cit. cap. licet de praeb.*, ubi Fagnanus *num. 7.*, monet ad quinquennium usque, non ultra suffragari absentiam causa studii ex decreto S. Congregationis. Septennium indulserat *Parochis* Bonif. VIII. *in cap. cum ex eo 34. de elect. in VI.*

(10) Alexand. III. *in cap relatum 4.*, et Innoc III. in *cap. tuae 12.*, *et cap. cum ad hoc 16. de cleric. non resid.*, ibique Fagnanus.

(11) *Cap. de cetero 7.*, *et cap. ad audientiam 15. de cler. non resident.*, ibique Gonzalez.

(12) Cui, dum a choro absit, deperire distributiones, declaravit S. Congr. Conc. in Bitecten. 16. Decembris 1627, et docet Moneta *par 2. de distribut. qu. 11 num. 83.*

tutum auctoritate legitima comprobatum (1) in odium fictae residentiae, praesentiaeve.

XIX. Bonifacius VIII. autem privilegia omnia, seu indulta a se, suisque Praedecessoribus concessa clericis, ut suorum beneficiorum fructus perpetuo perciperent etiam absentes, penitus revocavit (2). Pius IV. declaravit dispensationes de percipiendis beneficiorum fructibus, durante absentia quinquennali ob causam studii, suffragaturas nemini sine consensu Ordinariorum (3). Sacra Congregatio ab Innocentio XII. specialiter deputata super reformatione indultorum eximentium a servitio nonnullos Canonicos, et beneficiarios urbis, censuit die 13., et 20. Aprilis, et 7. Maii 1693., *huiusmodi indulta non esse immutanda quoad* Nuncios *apostolicos*, *necnon intimos, et eidem Sanctissimo actu inservientes* familiares, *ac* Subdatarium, et Camerae apostolicae commissarium. *Quoad* Gubernatores, et Vicelegatos *provinciarum, civitatum, et locorum Status ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possunt Ecclesiis interesse, necnon* procuratorem generalem montium, *ac* familiares S. R. E. Cardinalium (*firmo tamen quoad eorundem Cardinalium* caudatarios, *remanente decreto moderatorio S. Congregationis eminentissimorum Cardinalium S. C. interpretum die 19. Augusti 1690. edito*) *esse revocanda, et expedire, quod in posterum non concedantur. 3. Indultum* inservienti Secretariae, et Congregationibus *negotiorum* ditionis temporalis *eiusdem S. R. E. Praepositis concessum esse reformandum, et in posterum restringendum ad illos dies, et horas duntaxat, quibus ratione huiusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit, eius conscientia desuper strictissime onerata. 4. Indulta causa* studii *pro lucrandis fructibus duntaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum redditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae interessentibus accrescat; nec pariter concedenda ultra triennium, neque maioribus vigintiquinque annorum: quinimmo huiusmodi aetate 25. annorum expleta, eadem indulta, licet idem triennium expletum non fuerit, expirare. 5. omnes denique habentes indulta pro singulis diebus, et horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu officiis actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos toties, quoties Ecclesiae, seu choro non interfuerint: sed in qualibet hebdomada huiusmodi puncta posse, et debere deleri, seu tolli pro illis tantum diebus, et horis, quibus indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorundem munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, et circa huiusmodi impedimentorum relevantiam iudicio proprii Vicarii cuiuslibet Eccle-*

(1) Gaudent. *loc. cit. num. 72., et 74. §. 1.*, et Doctores *in cap. ad audientiam 15. de cler. non resid.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. quia per ambitiosam 15. de rescriptis in VI.*

(3) Pius IV. in *const.* de residentia apud Stephanum Quaranta in *sum. Bullar.* verb. *residentia*, et in appendice Conc. Trid.

siae : in Ecclesiis vero , ubi non adest huiusmodi Vicarius, iudicio dignioris Canonici esse deferendum (1).

XX. Sunt etiam ex Canonicis , qui praesentes in choro, et functionibus non lucrantur distributiones : scilicet *protonotarii* , quoties cum ianthina Praelatorum veste , et palliolo intersint in sella mobili , separataque a stallis Canonicorum, inter quos, nonnisi cum aequalibus Capituli insigniis licet adesse (2). Qui praeterea sacrum ordinem suo adnexum canonicatui non susceperit intra annum , exinde medietate distributionum privatur (3). At vero eas nil amittit , qui suos non facit fructus ob neglectam fidei professionem (4) , dum choro famulatur.

XXI. Quum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris canonibus sint contraria : synodus Tridentina (5) decrevit , ut nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis coadiutoriae perpetuae permittantur , nisi quando ex urgenti necessitate, aut evidenti Ecclesiae utilitate , Romanus tantum Pontifex eas indulgere censuerit. Quoniam vero Dignitates, et Canonici Ecclesiarum huius Regni coadiutores eiusmodi plerunque sibi consanguineos ab Sede Apostolica obtinere consueverant : placuit Regi Carolo ad Regalem Cameram S. Clarae rescribere die 22. Augusti 1750., ut regium exequatur ipsa non amplius concederet litteris Romanae Curiae creantibus perpetuos cum futura successione coadiutores.

XXII. Capitula cathedralium, eorumque Dignitates, et Canonici, perinde ac Clerus dioecesanus ordinariae subsunt iurisdictioni Episcoporum in causis omnibus civilibus, criminalibus , et mixtis iure communi. Si quod vero Capitulum exemptionem ex peculiari statuto , vel privilegio obtendat : Episcopus auctoritate Sedis Apostolicae delegata per sese illud, eiusque dignitates, et Canonicos visitat, et paterno more corrigit (6): extra visitationem cum consilio, et adsensu duorum ex Capitulo deputatorum rite procedit in foro suo, vel Episcopus idem , vel eius Vicarius generalis ex duobus decretis Tridentinae reformationis. Nam Tridentina synodus primum decrevit, ut *Capitula cathedralium , et aliarum maiorum Ecclesiarum , illorumque personae nullis* exemptionibus , *consuetudinibus , sententiis , iuramentis , concordiis , quae tantum suos obligent auctores , non etiam successores . tueri se possint , quominus a suis* Episcopis, *et aliis maioribus Praelatis per seipsos solos, vel illis , quibus sibi videbitur , adiunctis iuxta canonicas sanctiones , toties quoties opus fuerit*, visitari , corrigi , et emendari *etiam auctoritate apostolica possint , et valeant* (7). Deinde statuit expli-

(1) Hoc decretum commemorat Bened. XIV. *instit. eccl. 107. §. 10.*

(2) Ursaya *to. 5. par. 1. disc. 1.*

(3) Card. de Luca *de Canonicis disc. 13. num. 12.*, Congr. Conc. *in Ulixiponen. 5. Septem. 2722.*, apud Gaudent. *loc. cit. n. 76.*

(4) S. Congr. Concil. in *una Catanzarii 9. Febr. 1726.*, apud Gaudent. *ibidem num. 76.*

(5) *Sess. 25. de reform. cap. cum in beneficiis 7.*

(6) De episcopali visitatione , morumque correctione , tum de excessu , et appellatione videsis dicta inferius *lib. 4. tit. 12. num. 14. ad 18.*

(7) Trid. in *cap. capitula 4. sess. 6. de reform.*

catius, *ut in omnibus Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis decretum* eiusmodi *observetur non solum, quando* Episcopus visitaverit, *sed* et *quoties* ex officio, *vel* ad petitionem alicuius *contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat: ita tamen ut cum* extra visitationem *processerit, infrascripta omnia locum habeant.* Videlicet *ut Capitulum initio cuiuslibet anni eligat* ex Capitulo duos, *de quorum* consilio, et adsensu Episcopus, *vel eius* Vicarius *tam in* formando processu, *quam in* ceteris omnibus actibus, *usque ad finem caussae inclusive, coram notario tamen ipsius Episcopi, et in eius domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel diffinitiva sententia fuerint: tunc intra* sex *dierum spatium cum Episcopo* tertium *eligant, et si in electione tertii etiam discordent, ad* viciniorem Episcopum *electio devolvatur, et iuxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alias processus, et inde sequuta nulla sint, nullosque producant iuris effectus. In* criminibus *tamen ex* incontinentia *provenientibus, de qua in decreto de concubinariis, et in* atrocioribus *delictis depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi* de fuga *timetur, ne iudicium eludatur, et ideo opus sit personali detentione, possit initio* solus Episcopus *ad* summariam informationem, et *necessariam* detentionem *procedere: servato tamen in reliquis ordine praemisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut iuxta qualitatem delicti, ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur* . . . . . Qui vero *non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, ii omnes in caussis ecclesiasticis Episcopo subiiciantur: non obstantibus quoad supradicta privilegiis etiam ex fundatione competentibus, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis, concordiis quae tantum suos obligent auctores,* salvis *tamen omnibus* privilegiis, *quae* Universitatibus studiorum *generalium, seu earum* personis *sunt concessa. Haec autem omnia, et singula eorum* Vicarii *ex* constitutionibus, *vel* privilegiis, *aut* consuetudinibus, *sive* concordiis, *seu quoque alio iure* maiorem *habent potestatem, auctoritatem, ac* iurisdictionem, *quam praesenti decreto sit comprehensum, quibus sancta synodus derogare non intendit* (1).

XXIII. Duo haec decreta explicans S. Congregatio Concilii declaravit, quod Episcopus Capitula cathedralium non exempta, earumque personas simul, et res valeat vigore prioris decreti visitare, et corrigere, nulliusque consilio opus habeat: si vero exempta sint, adhibere tunc debeat consilium deputatorum ad formam in posteriori decreto praescriptam (2). Exemptiones, consuetudines, sententias, iuramenta, concordias, quae Dignitates, et Canonicos cathedralium iudicio, visitationi, et emendationi Episcopi subtraherent, penitus abolevit, abrogavitque synodus

(1) Trid. in *cap. statuit 6. sess. 25. de reform.*

(2) Apud Gallemart. in *declarat. ad cap. 4. sess. 6. num. 1., et 3.*, et S. Congr. in Abulensi *ad dub. 2.*, apud eundem Gallemart. *ad cap. 6. sess 25. n. 3.*

Tridentina : videlicet quas Apostolica Sedes Romana specialim non confirmasset ex certa scientia , quamvis in forma communi generatim ab ipsa confirmatas (1). Excipe subcollectores Camerae apostolicae , quos etiamsi Canonici fuerint , exemptos a visitatione , et correctione Episcopi declaravit eadem S. Congregatio (2).

XXIV. Et *cathedralium, et maiorum* Ecclesiarum Capitula ideo dixit hoc synodi decretum , ut collegiatas Ecclesias minores, earumque personas alicubi ex statuto , vel fundatione , vel consuetudine , vel concordia ab Episcopi iurisdictione exemptas hoc ipso reformationis decreto non obstringerent , eisque suas peculiares exemptiones non adimeret (3).

XXV. *Per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adiunctis* quum Episcopi mandatam hocce decreto potestatem habeant visitandi, corrigendi, et emendandi Capitula exempta: fit exinde, ut id solis eorum Vicariis etiam generalibus non liceat (4). Arbitrium vero datum Episcopo adiungendi sibi convisitatores , coniudices , assessores extra Capitulum (5) non impedit , quominus Vicarium quoque suum ipse adsciscat , ut una cum eo Capitulum , et Canonicos visitet , et corrigat. Propterea recusari tanquam suspectum Episcopum , nisi modum in visitando , et corrigendo excesserit , non posse censuit eadem S. Congregatio (6) : quum extraordinariam visitationis formam is debeat non transilire (7) , inquirens quum pubblica , tum secreta crimina Capitularium more paterno emendanda sine strepitu , et figura iudicii , actisque visitationis in scripturam non redactis (8) , non sua in domo, seu foro episcopali , sed in consueto comitiorum capitularium loco, aliove cubiculo eiusdem Capituli congruo , et commodiore (9). Inferioribus autem Praelatis ius visitandi, si quod ii habeant ex statuto , vel consuetudine seorsim ab Episcopo , non ademit Tridentinum (10).

XXVI. Extra visitationem Episcopus , eiusve generalis Vicarius ordinariam iudiciorum formam debet omnino servare cum adiunctis Capituli assessoribus contra dignitates , Canonicos , et Capitulum cathedralis Ecclesiae exemptum processurus. Si quando totum Capitulum deliquerit, non in personam Episcopi , vel in eius contemptum, sine adiunctis capitularibus Episcopum tunc recte procedere censuit S. Congregatio : de contemptu vero capitulari , seu iniuria , et offensa Episcopi superiorem proximum iudicare (11). Nolentem Episcopum in Capituli exempti personas iudicium de consilio , et adsensu duorum suscipere , non teneri. Si autem duo adiuncti assessores negligant, vel renuant cum Episcopo

(1) Id ex mente Gregorii XII. a Rota, et S. Congregatione Concilii definitum fert Gallemartius ibidem *num. 5.* Consonat Glossa *in cap. veniens de transact.*

(2) S. Congr. rescribens ad episc. Segobiensem apud Gallemart. *ad cap. 6. sess 25. num. 5.* — (3) Gallemart. *ibidem num. 2.*

(4) Ibidem *num. 6.* — (5) Ibidem *num. 8.*

(6) Apud Gallemart. *loc. cit. num 9.*

(7) S. Congr. in Abulensi *ad dub.* 3., apud Gallemart. in *declarat. cap. 6. sess. 25. de ref. num. 3.*

(8) Eadem S. Congr. *ibidem ad art. 6., et 10.*

(9) Ibidem *ad dub.* 18. — (10) Gallemart. *ad cap. 6. sess. 25. num. 5.*

(11) S. Congr. apud Gallemart. *ad cap* 6. *sess.* 25 *num 6.*

procedere : eorum facultas ad Episcopum non devolvitur (1). Carceres ubi Capitulares includantur, in episcopali domo sint oportet (2). Notarium non suspectum, et ministrum fiscalem ad acta conscribenda, et personam accusatoris gerendam Episcopus pro libito suo extra gremium Capituli deputat (3).

XXVII. *Episcopis ubique*, ait insuper lex Tridentina in posteriori decreto de Capitulis exemptis (4), *is honor tribuatur*, qui eorum *dignitati par est*, *eisque in* choro, et Capitulo, in processionibus, *et aliis actibus publicis sit* prima sedes, et locus, *quem ipsi elegerint*, *et precipua omnium rerum agendarum auctoritas : qui si aliquid Canonicis ad* deliberandum *proponant*, *nec de re ad* suum, *vel* suorum commodum *spectante agatur*, *Episcopi ipsi* Capitulum *convocent*, *vota exquirant*, *et iuxta ea concludant.* Absente *vero* Episcopo, *omnino hoc aliis de Capitulo*, *ad quos hoc de iure*, *vel consuetudine spectat*, *perficiatur*, *nec ad id* Vicarius *Episcopi admittantur.* Ceteris autem in rebus *Capituli iurisdictio*, *et potestas*, *si qua eis competit*, *et bonorum administratio salva*, *et intacta omnino relinquatur.* Quaevis igitur exemptio Capitulorum Episcopo adimere non potest primum in coetibus, et functionibus capitularibus locum, nec ius indicendi ; dirigendique publicas processiones, ac per sese ducendi Eucharistiae Sacramentum, posthabitis aliis quibuslibet illud deferre solitis (5). Nec arbitrium advocandi Capitulum, in eoque res deliberandas, quae ad ipsius Episcopi, vel suorum commodum nil pertineant, seu in quibus ipse nequeat esse iudex : ut vota singulorum exquirat, et secundum ea, quum is nullam in Capitulo exempto vocem habeat (6), concludat deliberationem.

XXVIII. In Capitulis autem non exemptis auctoritas, et iurisdictio Episcopi amplior est, eamque integram servavit synodus Tridentina quum Episcopis, tum Vicariis eorum generalibus ad tramites Iuris communis (7), et consuetudinis, non secus quam in aliis locis, et personis eorum subditis.

XXIX. Quas nunc res Episcopi debeant cum consilio Capituli gerere, heic recensere operae pretium est. *Irrita erit Episcoporum donatio*, *et venditio*, *vel commutatio rei ecclesiasticae absque collaudatione*, *et subscriptione clericorum*, ex decreto concilii Valentini, quod firmavit textus decretalium Gregorianus (8). Urbanus II. *alienationes sub Episcopi*, *vel Abbatis nomine quocunque modo factas*, *nec non ordinationes personarum ab eisdem sine* communi consensu clericorum

(1) Gallemart. *ibidem num 4.*
(2) Gallemart. *ibidem num. 4.*
(3) S. Congr. apud Gallemart. *loc. cit num. 3., et 10.*
(4) Trid. in eodem *cap. statuit 6. sess. 25. de ref.*
(5) Ex decreto S. Congr. anno 1573, apud Gallemart. in *eodem cap. 6. sess. 25. num.* 16., *et* 17. — (6) Ex traditis a Gallemart. *ibidem num. 22.*
(7) Apud Gallemart. *loc. cit. num. 20. et* 24., ut id pro Vicario Tarantino servetur, S. Congregatio rescripsit.
(8) In *cap. irrita 1. de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli.*

Ecclesiae irritas iudicavit (1). Cumque concessiones Ecclesiarum ad perpetuas alienationes non sit dubium pertinere : Innocentius III. rescripsit Episcopo non licere *vacantes Ecclesias baptismales* perpetuo conferre *coenobiis, vel Ecclesiis conventualibus , ad quos ius pertinet patronatus :* nec *de rebus Ecclesiae quidquam donare , vel permutare , vel vendere , nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat* , et cum totius Cleri *tractatu, atque* consensu *id eligat, quod non sit dubium Ecclesiae profuturum* (2). Nec *religiosis etiam, consentiente patrono, totam Ecclesiam , vel aliquam de novo conferre portionem :* salva constitutione *canonica de concedenda piis locis quinquagesima portione , nisi de licentia Romani Pontificis praeter* Capituli sui *voluntatem* (3). *Certum est* , ait Alexander III., *de rigore Iuris concessionem illam non tenere , quam* reclamante Capitulo per Episcopum *constat factam fuisse : nisi eam ratam postmodum* habuisset (4). At sciente , et non contradicente conventu factam a Praelato alienationem valere Pontifex idem censuit (5).

XXX. Ad restaurandam basilicam Ecclesiae cathedralis quidquid Episcopus cum consensu *maioris, et sanioris partis Capituli* statuerit, ut quilibet Canonicorum simul, et Episcopus ipse aliquam suorum reddituum portionem operi tam pio , et necessario deputaret : minore Capituli parte contradicente , ut obtineat sententia plurimorum, rescripsit Innocentius III. (6).

XXXI. Quum Hierosolymitanus Patriarcha *sine consilio fratrum suorum* (idest Canonicorum) *abbates , et abbatissas , et alias ecclesiasticas personas* institueret, et destitueret : id viribus carere Alexander III. rescripsit (7). At novae Regularium constitutiones iandudum Episcopis quum ademissent priscam auctoritatem instituendi abbates (8), et novo Ecclesiae iure Episcopi vindicassent sibi ordinariam facultatem tam conferendi beneficia libera personis idoneis ad libitum suum,quam instituendi nominatos a patronis ad vacantia beneficia iurispatronatus (9): factum est, ut nullius fere usus sit eiusmodi decretalis. Eaque vix locum habet in iis beneficiorum provisionibus , quae pertinent ad communem Capituli cum Episcopo collationem , vel institutionem (10).

XXXII. Ad provinciale concilium , ut *Capitula* cathedralium *debeant invitari , et eorum nuncii ad tractatum admitti , maxime super illis , quae ipsa Capitula contingere dignoscuntur* , Innocentius III.

(1) Urban. II. in *cap. alienationes 37. C. 12. qu. 2.*
(2) Innoc. III. in *cap. tua nuper 8. de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Cap.*
(3) Idem in *cap. pastoralis 9. eodem tit.*
(4) Alexander III. in *cap. cum nos 3., et cap. quanto 5. eod. tit.*
(5) Idem in *cap. continebatur 2. eod tit.*
(6) Innoc. III. in *cap. ex parte tua 4. , et ult. de his , fiunt a maior. part. Cap.*
(7) Alex. III. in *cap. novit 4. de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Cap.*
(8) Ex infra dicendis *tit. 32. de Regularibus.*
(9) Ex traditis in *tract. de beneficiis ecclesiasticis cap. 8.*
(10) Videsis eundem *tract. de benefic. ibidem num. 4.*

rescripsit (1). Ut Capitula etiam exempta pareant decretis concilii provincialis, cui adfuerint Episcopi dioecesani, S. Congregatio declaravit (2). Propterea deputati Capitulorum vocem duntaxat consilii habent in synodis provinciae (3). In synodis autem dioecesanis consensum Capituli esse quidem exquirendum, sed Episcopum non habere necessitatem illud sequendi, nisi in quibusdam casibus in Iure expressis, eadem S. Congregatio censuit (4).

XXXIII. In Ecclesiis cathedralibus, et insignis alicuius oppidi collegiatis Episcopus quisque, locive Ordinarius *de Capituli consilio* ita provideat, ut *Sacrae Scripturae lectio* habeatur: et ubi tam exigua est Cleri, et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem *magistrum* habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui clericos, aliosque scholares pauperes *grammaticam* gratis doceat, synodus Tridentina decrevit (5)

XXXIV. Pro seminariis adolescentium recte instituendis, et gubernandis omnia opportuna, et necessaria *Episcopi singuli* cum consilio duorum Canonicorum *seniorum*, *et graviorum*, *quos ipsi elegerint*, *constituent*, *eaque ut semper observentur*, *saepius visitandi operam dabunt*. Praeterea taxam, seu portionem fructuum adsignare super omnibus ecclesiasticis proventibus debent *Episcopi cum consilio duorum de Capitulo*, *quorum alter ab Episcopo*, *alter ab ipso Capitulo eligatur*, *itemque duorum de Clero invitatis*, *quorum alterius electio similiter ad Episcopum*, *alterius vero Clerum pertineat*... Rationes *quoque redditluum Seminarii Episcopus annis singulis accipiat*, *praesentibus duobus a Capitulo*, *et totidem a Clero civitatis deputatis* (6).

XXXV. *Quum in omnibus Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus*, *ac portiones habeant adnexum ordinem presbyterii*, *diaconatus*, *vel subdiaconatus*: *Episcopus quidem* cum consilio Capituli *designet*, *ac destribuat*, *prout viderit expedire*, *quibus quisque ordo ex sacris adnexus in posterum esse debeat* (7).

XXXVI., *Cetera*, *quae ad debitum in* divinis officiis *regimen spectant*, *deque congrua in his* canendi, *seu* modulandi *ratione*, *de certa lege in* choro *conveniendi*, *et permanendi*, *simulque de omnibus Ecclesiae* ministris, *quae necessaria sunt*, *et si qua huiusmodi*; *synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate*, *et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero* Episcopus *non minus*, *quam* cum duobus Canonicis, *quorum unus ab Episcopo alter a Capitulo eligatur*, *in iis*, *quae expedire videbuntur*, *poterit providere* (8).

(1) Innoc. III. in *cap.*, *et si membra corporis 10.*, *et ult. de his*, *quae fiunt. a Praelat. sine cons. Cap.*

(2) Apud Gallemart. in *declar. ad cap. provincialia 2. sess. 24. de ref. num. 6.* — (3) Gallemart. *ibidem num. 5.* — (4) Gallemart. *ibidem num. 12.*

(5) Trid. in *cap. eadem 1. sess. 5. de reform.*

(6) Ex Trid. in *cap. cum adolescentium aetas 18. sess. 23. de ref.*

(7) Trid. in *cap. cum dignitates 12. sess. 24. de ref.*

(8) Ex Trid. eodem *cap. 12.*

XXXVII. *In Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis* cum consensu Capituli, *vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia iis* unire, *vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de iurepatronatus laicorum sint, quorum fructus, et proventus, eos ad pauciorem numerum* reducere: *ita tamen, ut tot supersint, quot divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiae commode valeant respondere* (1).

XXXVIII. *Si hospitalia ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut perpaucae reperiantur:* synodus Tridentina (2) decrevit, *ut fructus illorum in* alium pium usum, *qui eorum institutioni* proximior sit, *ac pro loco, et tempore utilior, convertantur. prout Ordinario cum* duobus de Capitulo, *qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerint: nisi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum* fundatione, *aut* institutione *fuerit expressum* Quum hoc decreto Episcopis mandetur facultas compellendi, et destituendi laicos etiam administratores hospitalium episcopalibus dispositionibus non obtemperantes: idipsum inter capita reformationis adversantia huius Regni legibus, et moribus recensuit Regens Villanus (3). Quid autem sit ea de re agendum ex novis Concordatorum constitutionibus, exponam inferius (4).

XXXIX. *Pravos eleemosynarum quaestorum abusus* corrigens eadem Tridentina synodus decrevit, *indulgentias*, aliasque *spirituales gratias*, quas consueverunt iidem quaestores publicare, *deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis* duobus de Capitulo, *debitis temporibus populo publicandas esse, quibus etiam eleemosynas, atque obliata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas detur: ut tandem coelestes hos Ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant* (5). Quoties Apostolica Sedes alicui loco pio ex causa indulget facultatem colligendi eleemosynas, solet Episcopo dioecesano ita rescribere. *Has eleemosynas, quae in tua civitate, et dioecesi pro usu dicti hospitalis dabuntur, permittas: dummodo personae, quae colligent eas, honestae vitae, et spectatae religionis, et tuo iudicio approbatae sint, minimeque participes datarum eleemosynarum, et* quaestorum *nomen nullo modo gerant, sed simpliciter* eleemosynarum collectores *nuncupentur: quique non publicent ullas* indulgentias, *nec concionentur, nec circumferant sua privilegia, nec reliquias, nec minis, aut imprecationibus inducant fideles ad eleemosynam: non*

(1) Trid. in *cap. in Ecclesiis 15. sess. 24. de ref.*
(2) Trid. in *cap. admonet 8. sess. 25. de ref.*
(3) Videsis dicta superius *tit. 6. num. 34.*
(4) *Lib. 3. tit. 8. num. 23., et seqq.*
(5) Trid. in *cap. cum multa 9. sess. 21. de reform.*

campanulam , aliaque instrumenta similia quaedam quaestorum *insignia ferant , pulsentur ad excitandas personas : non petant eleemosynam, tanquam debitam , aut solitam, neque ulla arte (etiam praetextu dicendi orationes S. Antonii , aut alterius Sancti , vel aliter) extorqueant pecuniam : sed simpliciter , permodeste , et cum omni dexteritate petendo eleemosynam pro sustentatione dicti hospitalis , recipiant tantum , quod sibi liberaliter offertur , neque super his eleemosynis ullam conventionem quovis modo faciant , etiam in utilitatem dicti hospitalis. Diligenter autem curabit amplitudo tua , ut haec omnia rite observentur , et ad id diligenter animadvertat , imo (quo etiam Sanctitas sua conscientiam tuam gravari voluit) advigilabit , ut quidquid dictarum eleemosynarum nomine fuerit collectum , id totum in usum tantum ipsius hospitalis , et non in alium convertatur* (1).

XL. *Ordinationes sacrorum ordinum* , inquit etiam synodus Tridentina , *statutis a Iure temporibus , ac in cathedrali Ecclesia* , vocatis *praesentibusque ad id Ecclesiae* Canonicis *publice celebrentur. Si autem in alio dioecesis loco* , praesente Clero *loci dignior , quantum fieri poterit , Ecclesia semper adeatur* (2).

TIT. XXIX.

De dignitatibus et personatibus et officiis cathedralium et collegiatarum.

I. Subministri Episcoporum in ecclesiasticis officiis , vel dignitatem, vel personatum, vel nudum officium in hierarchia habent.

II. Dignitas habet gradus praerogativam cum iurisdictione, vel administratione , personatus honorem gradus , officium vero ministrandi onus absque honore gradus.

III. Quum iurisdictio nunc Episcoporum , Praesulumque tota fere sit , ventosam , et inanem dignitatem dicuntur Archidiaconi , Archipresbyteri , Decani , ceterique habere.

IV. Maior in quavis cathedrali dignitas post episcopalem, reservata Sedi Apostolicae perpetuo est.

V. Simul et principalis etiam unica dignitas collegiatarum.

VI. Si maior in cathedrali , vel principalis in collegiata dignitas patronatui obnoxia sit : a reservatione pontificia eximitur , atque ad ordinariam Episcopi institutionem redit.

VII. Principalis in collegio dignitas adnexam habens curam animarum sine concursu olim , nunc praevio concursu a Papa confertur.

(1) Ex Gallemart. in *declarat. ad. cit. cap. 9. sess. 21. num. 2.*
(2) Trid. in *cap. ordinationes 8. sess. 23. de reform.*

VIII. Qualitas Collegiatae insignis ex fundatione, vel privilegio, vel coniecturis ostenditur.

IX. Pontificiis collegiatarum erectionibus regium placitum nunc denegatur.

X. Novas in Ecclesia dignitates Episcopi erigere non valent.

XI. Ecclesiae rurales quum receptitiae, tum numeratae nullam habent dignitatem.

XII. Rurales Archipresbyteri, Decani, Primicerii, Cantores non habere beneficium ecclesiasticum dicuntur, si absque bullis episcopalibus creantur: secus dicendum, si bullis Ordinariorum instituuntur.

XIII. Archidiaconi olim tanquam nati, perpetuique Episcoporum Vicarii episcopalia invadere iura non dubitabant.

XIV. Eorum audaciam, nimiamque auctoritatem fregit, et coercuit synodus Tridentina.

XV. Honorifica nunc iura vix habentes in choro, et comitiis capitularibus non alia in ceteris rebus potestate utuntur, nisi quantam eis Episcopi ad libitum mandaverint, vel statuta, et consuetudines locorum.

XVI. Diaconatus ordo, et laurea etiam doctoris in Archidiaconis requiritur, quoties vel curam animarum, vel iurisdictionem ipsi habeant.

XVII. Archipresbyter ordine maior, dignitate minor Archidiacono episcopales vices in sacerdotalibus muniis gerit.

XVIII. Primicerius pariter plerunque minorem, alicubi maiorem, vel primam obtinet dignitatem, vel officium Cantoris, et magistri scholae.

XIX. Scholarum in Ecclesiis varia officia, vel personatus, vel dignitates, nonnisi idoneis viris conferri oportet.

XX. Translatis ad seminaria scholis, vix Canonici theologi officium in Ecclesiis mansit, praevio concursu conferendum cum onere statas lectiones in Ecclesia peragendi.

XXI. Canonici poenitentiarii officium, et praebenda nunc insuper per concursum confertur, vices episcopales in Sacramento Poenitentiae gerentis.

XII. Officia sacristae, et custodis plerunque famularia alicubi adnexam habent dignitatem thesaurarii, vel cimiliarchae.

XXIII. In ceteris Canonicorum, et hebdomadariorum officiis, et personatibus statuta, moresque locorum servandi sunt.

XXIV. Archiacolythi officium quoque viguit olim, quod videtur post comitia Tridentina ubilibet desivisse.

I. Hierarchiam habens Ecclesia, velut castrorum aciem ordinatam, munia clericalis militiae ita partiri consuevit, ut nedum Papae, Pa-

triarchis, Metropolitis, Episcopis, locorumque Ordinariis perinde concti pareant ecclesiastici, uti commilitones Imperatori, legatis, praetoribus; praefectis, tribunisque, sed etiam (tanquam centuriones, signiferi, decurionesque in singulis legionibus) Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, Primicerii, Praecentores, aliae id genus personae in unoquoque Clero praecellant caeteris. Hos divus Thomas (1) inquit habere aliquas sub Episcopo subministrationes, quemadmodum sub Rege magistratus, per simplicem commissionem sine solemnitate consecrationis, per quam, et regia, et episcopalis cura accipitur. Utrum dignitate, an personatu, officiove isti potiantur, quaestio est iisdem ipsis vocabulis recentior. Quoad enim perseveravit communis Canonicorum vita, plerunque officia, seu mera quidem erant ministeria, ad libitum Episcoporum conferri, et adimi consueta (2). Postea sensim facta sic sunt fere perpetua, et irrevocabilia, ut quilibet clericorum saecularium ecclesiasticum beneficium, et officium semel obtentum tuto ad vitam retineat suam; quod ipse quidem valeat spontanee dimittere, invitus nequaquam, nisi ob legitimam causam in iure expressam, quae ritibus fori solemnioribus probanda est (3). Cumque beneficium in iure percipiendi redditus ecclesiasticos consistens, nexu item inseparabili adhaereat officio, seu muneri perpetuo, vel ministrandi, vel serviendi, factum est, ut in novae disciplinae canonibus (4) *ministeria*, *beneficia*, *praebendae*, *officia* significatione promiscua appellarentur, et interpretes *ministeria* esse putarent *officia*, sive *dignitates*. A Lucio III. (5) siquidem dicti sunt *Decani*, *Archidiaconi*, *Praecentores*, aliique nomen *dignitatis* suae suppressisse, tanquam si non haberent aliquem *personatum*, eandem utrisque vocibus notionem appingens. Tum Innocentius III. (6) primiceriatum Ecclesiae Tullensis modo *personatum*, nunc *dignitatem*, deinde *officium* appellat. At idemmet Innocentius alibi (7) *personatum* a *dignitate* manifesto distinguit, quemadmodum et Bonifacius VIII. (8). Tum Clementi V. (9) ab *officiis* differre *beneficia* visa sunt.

II. Ex his pronum est intelligere discrimen singularum vocum, delibatum iam superius (10), ubi eae strictim adhibeantur. Enimvero in recentiori disciplina *personatus* quid minus *dignitate*, quid maius

(1) S. Thom. 2. 2. *par. 3. qu. 184. art. 1. ad 2.*
(2) Wan-Espen *par 1. tit. 11., et par. 2. tit. 18. cap. 2. num. 2., et 3.*
(3) Videsis quae dixi in *tract.* de *Beneficiis cap. 23. n. 1., et 2., 31., et seq.*
(4) Conc. Lateranense sub Alexandro III. in *cap. nulla* 2. *de concess. praebendae*, ubi cautum, ut intra sex menses ea conferantur, alias a Capitulo ad Episcopum, ab hoc ad Metropolitanum devolvatur collatio.
(5) *In cap. ad aures 8. de rescriptis.*
(6) *In cap. cum accessissent 8. de constitutionibus.*
(7) *In cap. de multa 28. de praebendis.*
(8) *In cap. statutum 11. de rescriptis in VI.*
(9) *In Clement. 1.* de *decimis*, ubi sancitum ut religiosi decimas fraudantes, tamdiu maneant ab *officii* administrationibus, et *beneficiis* suspensi, donec destiterint, aut satisfecerint.
(10) *Tit. 11. de iure personarum.*

officio sonat, inter duo medius : quum verae dignitati nedum gradus praeeminentia, sed iurisdictio etiam, et auctoritas (1) una cum administratione adnectatur. *Personatus* vel honorifico tantum loco aliis antecellat, vel administrandi munus sine iurisdictione habeat (2). *Officium* non aliud, nisi onus ministrandi sine praecedendi honore (3). Quoties enim ministerio addatur praecedendi honor, vel iurisdictio : *officium* tunc attollitur ad gradum vel *personatus*, vel *dignitatis*, quod ideo in utroque inest, et ab utroque non aliter, quam genus a speciebus differt suis (4).

III. Quoniam vero Episcopis, Praelatisque inferioribus locorum Ordinariis iurisdictionem fere indulgent mores hodierni, praeterea inferiorum nemini, quamvis prima loca in choro cathedralium, et collegiatarum una cum honorifico dignitatis nomine largiantur Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, ceteris id genus personis : *ventosas*, *inanesque* idcirco horum omnium *dignitates* appellant Doctores (5). Iique propterea commonent, quod ad gradus praeeminentias, iura, et nomina, observandam, retinendamque in singulis Ecclesiis esse consuetudinem (6).

IV. *Maiorem* in quavis cathedrali *dignitatem* post pontificalem, seu episcopalem spectare in primis operae praetium est. Ea porro quovis modo, ac mense vacaverit, reservata iugiter est collationis Sedis Apostolicae, nedum Iure communi (7), sed etiam per Regulam IV. Cancellariae, quae continuam, perpetuamque fert reservationem, non personae mutabili adhaerentem, sed rei ipsi, nimirum dignitati perenni adnexam, ideoque Pontificis reservantis obitu non expiraturam (8) : adimitque Ordinariis locorum etiam S. R. E. Cardinalibus, et Legatis (9),

(1) Definitur sane *dignitas* ab auctore *lib. 2. ad Herennium num. 39.*, quod sit *alicuius honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas.*

(2) Rursus a *dignitate*, quae perpetua est, distinguitur *personatus* temporarius, et extinguibilis in provincia Cataloniae olim consuetus, quem submotis fraudibus, abusibusque synodi Tarraconenses, uti licitum comprobarunt, ex Navarrae *cons. 18. de iurep.* Fundari quippe ejusmodi cum adsensu Episcopi dioecesani eo pacto, ut usque ad tertiam ex gr. vicem possessori liceret successorem nominare, deinde personatus omnino extingueretur, eiusque redditus, et bona omnia in aliquod pium opus impenderentur.

(3) Quale est ex. gr. illud sacristae, *cap. un. de officio sacristae*, alterum *custodis*, *cap. 1*, *et 2. de officio custodis.*

(4) DD. ad rubricas *de officio Archidiaconi*, *de officio Archipresbyteri*, *de officio Primicerii.* — (5) Fagnanus *in cap. ad haec de praebendis. n. 22.*

(6) *Cap. cum olim 6. de consuetud.* Pinsonius *de beneficiis cap. 4. §. 20. n. 7.*

(7) *In cap. deliberatione 4., et fin. de off. legati in VI.*

(8) Ex traditis in meo *tractatu de beneficiis cap. 5. de reservationibus*, *et affectionibus.* Rationem huiusce reservationis scrutatus cum Lotterio, et Conrado Rigantius in Reg. IV. Cancell. §. *1. n. 6.*, *et 7.*, putat non aliam fuisse, nisi quod iurisdictionem dignitati maiori adnexam non Episcopo, sed Capitulo ademptam, cum de regalibus ea sit, supremus Pontifex tantum possit aliis mandare. Id si verum esset, cunctae omnino dignitates, non maior sola esse deberet Pontifici maximo reservata. Vel e contrario, nulla potientes iurisdictione dignitates maiores, quales pleraeque nunc sunt, nulli essent reservationi obnoxiae. Mihi videtur communem haec cum aliis reservationibus pontificiis causam habuisse.

(9) *Cit. cap. deliberatione 4. de offic. legat. in VI.*

*

conferendi potestatem. In Italia primam eiusmodi dignitatem plerunque obtinent *Archidiaconi* (1), in Hispania, et Lusitania *Decani*, in Germania *Praepositi* (2). Ut autem huic reservationi fiat locus, necesse non est iurisdictionem dignitati inesse, sed sufficit praeeminentia (3) in Capitulo Canonicorum, etiamsi alias illud, praeter unam (4), non habeat dignitates. Si dignitas post pontificalem in cathedrali maior sit accessorie unita Capitulo, reservationem Regulae IV. tunc locum habere in secunda dignitate Rota definivit (5).

V. Idem dicendum de *principali*, vel *unica dignitate* collegiatarum insignium, cui frequentior titulus est *Abbatis*, *Archipresbyteri*, *Praepositi*, *Prioris* (6), eodem modo reservata per Regulam IV. Cancellariae, quoties ea decem florenorum auri valorem, qui in cathedralium prima dignitate non attenditur, excesserit (7), etiamsi unica fortasse dignitas ea sit in cathedrali, vel collegiata Ecclesia : dummodo inibi consistant alia beneficia ad Episcopi collationem, vel institutionem pertinentia : aliter tanquam *dignitas monocularis* nil esset reservationi Regulae IV. obnoxia (8). Archipresbyteri autem rurales nullam dicuntur dignitatem habere : nisi ea in Ecclesia rurali collegium insigne sit rite erectum (9).

VI. Ubi tamen vel maior, vel principalis dignitas erit de iure pa-

(1) *Gl. in cap. 4. de offic. legati in VI. vers. electionis.* In cathedrali Neapolitana olim *Primicerius*, *et Cimiliarcha* de maiori dignitate contenderunt, Rota *coram Bichio dec. 312.*, *et par. 10. rec. dec. 99.* Sed dignitas Ecclesiae Neapolitanae est nullam habere dignitatem, nec primam, nec secundam quum ex antiquis, tum recentibus Rotae decisionibus apud Rigant. *loc. cit. n. 30.* In Spoletina cathedrali Ecclesia *Prior* prima, *Archidiaconus* secunda dignitas est. In Sabinensi quoque maior est ea *Archipresbyteri*, quam Archidiaconi.

(2) Rigant. *loc. cit. num. 20. ad 23.* — (3) Idem ibidem *num. 12.*

(4) Leuren. *in for. benefic. to. 29. qu. 546. n. 2.*, *et 3.*, Mandos. ad *Reg. IV. Cancell. qu. 5.*

(5) Apud Rigant. *to. 1. in Reg. IV. Cancell. §. 1. num. 43., et 44.*

(6) Card. de Luca *disc. 30.* de *Canonicis num. 9.*, Rigant. in *dict. Reg. IV. §. 2. num. 3.* Hoc in regno in regia Ecclesia S. M. de Catholica graeci ritus in civitate Rhegii prima dignitas *Protopapa*, secunda vero *Dictireus* appellatur.

(7) Ex traditis in *tract. de beneficiis. cap. 5. num. 41.*, *et* Rigant. *to. 1. in Reg. IV. §. 2.*

(8) Ex traditis a Rigantio *to. 1. in Reg. IV. Cancell. §. 1. num. 42 :* Cuiusmodi esse ostendi Abbatis dignitatem in collegiata Ecclesia S. Bartholomaei Padulensium in dioecesi Beneventana scribens pro D. Francisco de Viva a Canonicis illius Ecclesiae electo, post obitum D. Philippi Cosciae Episcopi Targensis, petente ordinariam institutionem ab Archiepiscopo Beneventano contra Archipresbyterum, qui eam per subreptionem ab Apostolica Sede impetraverat, velut reservatam. Quum enim abbas Padulensis tanquam inferior Praelatus cum iurisdictione in causis civilibus, et mixtis ius habeat ex capitularibus statutis conferendi exigua illius terrae beneficia, et collegii praebendas civibus Padulensibus ordine, et famulatu Ecclesiae antiquioribus : non aliud inibi superest beneficium, quod conferat dioecesanus Beneventi Archiepiscopus, nisi abbatis principalis dignitas collegii. De huius abbatis iurisdictione videsis dicta *lib. 3. tit. 13. num. 23.*, et in *tract. de Beneficiis cap. 5. num. 41. pag. 121. in notis.*

(9) Ex Rigantio *ibid. num. 15.*

tronatus, reservatio Regulae IV., non secus, quam aliarum, evanescit, ne iura patronorum, praesertim praesentandi coram loci Ordinario in sigulis vacationibus, inviolabilia infringantur (1). Patronis enim favent potius hac in re, quam adversantur canones (2). Neque sat probabilis videtur eorum opinio, qui affectam reservatione pontificia malunt secundam dignitatem, quotiescunque ius patronatus, quominus primam afficiat, obstiterit (3). Si enim Cancellariae Regulae Iure communi transeuntes strictam maxime postulant, et amplam minime ferunt interpretationem, quatenus in casibus omissis, et ambiguis ad Ius commune fiat regressus: consequens est ut a maiori, vel principali dignitate nequeat reservatio patronatu repulsa ad secundam transire, sed potius evanescat, ne libera Ordinariis locorum collatio secundae dignitatis, quam ii communi canonum Iure habent, auferatur.

VII. Animarum cura si fuerit principali collegiatae dignitati adnexa, et accessorie unita, eam Romana Sedes Apostolica confert sine concursu: qui in aliis cum animarum cura dignitatibus, et beneficiis, et Ecclesiis parochialibus, ut dignioribus conferantur, omnino praemittitur, quotiescunque in quolibet mensium sive reservatorum, sive ordinariorum vacaverint (4). Locum sibi vindicat reservatio Regulae IV., inquam cum Rigantio (5), etiamsi dignitas principalis in Collegiata adnexam habeat curam animarum, quae in eadem Ecclesia quidem compatibilis est cum dignitate, vel canonicatu (6). Nec necesse est in eius

(1) Bonif. VIII. in *cap. deliberatione 4. de officio leg. in VI.* Piton. *discep. 25. num. 6.*

(2) Quibus id non arridet; ii potissimum, ut patronos a iure presentandi ad primarias collegiatarum, et cathedralium dignitates deturbent, obiicere non aliud solent, nisi *cap. nobis fuit 25. de iurepatr.*, sed irrito conatu. Nam eo in textu Pontifex agnoscit, idemque probat in patrono Ecclesiae *conventualis* (quo vocabulo quamlibet collegiatam saecularium quoque clericorum significari vulgo putant) facultatem eligendi *Plebanum*, alii legunt *Praelatum*, quae legitimo sit iure quaesita: tametsi patroni assensus post electionem honestior, quam ante illam sibi videtur. A recto igitur declinat longius, qui incapacem prorsus iure praesentandi ad primam collegiatae Ecclesiae dignitatem patronum pronunciant, eumque in Ecclesia patronatui obnoxia, ea si erigatur in collegiatam, praesentationem principalis dignitatis amittere Barbosa, aliique apud Rigant. *in saepedicta Reg. IV. Canc. §. 2. n. 30:* eo vel maximae quod Bonifacius VIII. *in cap. 4. de off. legati in VI.*, inter cetera inhibuit, ne quis Apostolicae Sedis Legatus obstaret, quominus ad dignitates cathedralium maiores ii, ad quos pertinuerit, eligendi, aut postulandi iure uterentur.

(3) Rota *dec. 99. num. 24. par. 10. rec.* Barbosa *alleg. 57. num. 202.*, ceteri apud Rigant. *ibid. §. 1. num. 46.*

(4) Rota coram Molines *dec. 294. n. 9. §. ceterum.* Nam decretum Tridentinum in *cap. expedit 18. sess. 24. de ref.* de conferendis praevio concursu Ecclesiis parochialibus, et animarum curis, non habere locum, quando contingit aliquam dignitatem vacare, cui parochialis est *accessorie* unita declaravit S. Congregatio apud Gallemart. in *declarat. eiusdem cap. 18. num. 1., et 14.* Van. Espen. *par. 2 iur. eccles. tit. 22. cap. 2. num. 9.*, Conrad. in *prax. benefic. lib. 3. cap. 3. num. 5.*

(5) Rigant. *loc. cit. §. 2. num. 23., et seq.*

(6) Ex traditis a Lotterio, Pitonio, Gonzalez, et Rota apud Rigant. *ibidem*

provisione apostolica concursum praecedere a concilio Tridentino imperatum in conferendis Ecclesiis parochialibus, animarumque curis (1). Consuevisse nihilominus Datarios, monet idem Rigantius sub Alexandro VIII., Innocentio XII., et Clemente XI. concursum requirere, ut certior de scientia, et meritis concurrentium fiat Pontifex: idque firmatum etiam iussu Clementis XII. Tandem Benedictus XIV. perpetuo constituit, ut quoties contigerit *Ecclesias parochiales*, *dignitates*, *canonicatus*, *aliaque beneficia curam animarum adnexam habentia* esse ab Apostolica Sede conferenda vel ratione mensium, vel alio quovis capite reservata, *concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur*, *nulla ad hunc actum petita venia*, *vel licentia* Romanae Sedis. Absolutoque concursu, ubi agatur de beneficiis eiusmodi curatis, quae *ratione mensium* solum reservata sint, Episcopus inter adprobatos eligat magis idoneum, et Datariae significet sine auctorum transmissione. Si ea vero *alio quovis capite*, *quam mensium apostolicorum* reservata Sedi Apostolicae sint, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat (2).

VIII. Huiusmodi reservatio, et praerogativa locum non raro dat controversiae, utrum Ecclesia revera sit Collegiata, an mera parochialis cum simplici beneficiariorum, et capellanorum coetu? Eaque in facto consistens definienda est ex adiunctis rerum, quae circumstant, puta primum ex primaeva fundatione, deinde ex privilegio subsequuto, tum ex coniecturis Collegii insignis qualitatem ostendentibus, praesertim ex pontificiis collationibus primae dignitatis, ex fama, et denominationibus dignitatum, et Canonicorum, statutisque collegialibus (3).

IX. Rursus quaeri solet, Romanus ne Pontifex tantum, an Episcopi etiam ius habeant erigendi Collegiatas? Si enim antiqui mores spectentur, Episcopi proculdubio consueverunt parochiales in Collegiatas erigere Iure communi (4), et ordinario: tamen anno abhinc 1623., ex quo sacra Congregatio Concilii censuit erectiones Collegiatarum ad summum

(1) Ut observat Barbosa *in Trid. cap. 18. sess. 24. de ref. num. 17*, Gonzalez *ad Reg. VIII. gl. 6. num. 162*, Piton. *discept. 116. num. 43.*

(2) Bened. XIV. in *const. cum illud 68. §. 19.*, *et 20. to.* 1. Bullarii sui.

(3) Rigant. *ibidem num. 36.*, *et seqq.*

(4) *Ex cap. quoniam 9. de vita*, *et honest. clericor.* Hac sane decretali quum Gregorius VIII. generatim statuerit, ut facultatibus Ecclesiarum inspectis Episcopi *certum valeant imponere numerum clericorum*, *et statuere*, *ut bona eorum veniant in communione*, *et in una domo vescantur*, *atque sub uno tecto dormiant*, *et quiescant*: nemo, cui sana mens erit, non intelligit collegia Canonicorum saecularium ecclesiastica Pontificem Episcopis erigenda demandasse, ii ut intra claustra canonicam, seu communem vitam agerent, Gonzalez in notis ad hoc *cap.* 9. ver. *clericorum.* Permulti opinantur hac Episcopos potestate destitutos Iure communi ex paullo ante citato *cap. nobis 25. de iurepatr.* Sed hocce tantum abesse aio, ut patefacto Episcoporum iuri repugnaret, ut maxime etiam verificaretur: quippe quod de Ecclesiis cum adsensu tantum dioecesani constructis loquitur quum simplicibus, tum collegialibus, deque patronorum iure in utrisque, vi constructionis eiusmodi quaesito, nullumque omnino verbum habet de Romanae Sedis auctoritate.

Pontificem pertinere (1), eas facere sine auctoritate pontificia destiterunt Episcopi, quamvis ea de re constitutio, qua Iuri communi derogaretur, nulla hucusque lata sit. Memoria nostra permultae quidem huius Regni Ecclesiae, aut parochiales, aut receptitiae sunt auctoritate Romanorum Pontificum erectae in Collegiatas insignes cum certo dignitatum, et Canonicorum numero insignibus rocheti, et caputii, aliisque ornamentis decoratorum. Sed paucis abhinc annis Regalis Camera S. Clarae pontificias beneficiorum reservationes aegerrimo ferens animo, regium placitum non amplius indulget novis Collegiatarum erectionibus.

X. Quod omnes Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates instituat Romana Ecclesia, rescripsit Nicolaus II. (2). Hinc Episcopo non licere novam, quae prius non extitisset, in cathedrali Ecclesia dignitatem erigere (3), sed antiquam solummodo, quae suppressa fuisset, redintegrare cum consensu Capituli, non semel S. Congregatio Concilii definivit (4). Idipsum in causa fuisse puto, ut novi mores ad Sedem Apostolicam deferant erectiones collegialium Ecclesiarum insignium: propterea quod in istis etiam novas erigere dignitates instar cathedralium non posse visi sunt Episcopi.

XI. Hinc etiam est, cur dignitates nullae sint in tot Ecclesiis oppidorum huius Regni parochialibus, et matricibus, nullum ab Apostolica Sede insigne Canonicorum collegium adeptis: tametsi in earundem choro divina concelebrant turmae presbyterorum de una, eademque fructuum, et distributionum massa participantium, ab dioecesanis institutae, vel probatae. Istorum numerus ubi certus erit, eas tunc *numeratas* Ecclesias; et ubi incertus, variusque, *receptitias* nuncupant rectius, quam capitulares, aut collegiatas: profecto vocabulis abutuntur maxime, qui hosce turmalium presbyterorum coetus, nedum Collegia, sed et Capitula inscribunt, et denominant.

XII. Qui ad certa in hisce Ecclesiis munia, ex. gr. Archipresbyteri, Decani, Primicerii, Cantoris obeunt, ceterisque praecellunt, eos dignitate carere iam constat ex hactenus dictis. Sed dubitatur adhuc *personatum* ne, aut *beneficium* ipsi ecclesiasticum obtineant obnoxium reservationi mensium apostolicorum, aliisque Cancellariae Regulis, an merum *officium* a quibuslibet Curiae Romanae ordinationibus exemptum? Quaestionem facile dirimit, qui duplex *officii* genus inspiciat. Alterum enim, si ex lege fundationis, et statutorum, vel immemorabilis con-

(1) Pitonius *discept.* 116. *num. 30. tom. 4.*, et Rigant. *ibid. num. 95.*

(2) Nic. II. *ep.* ad Mediolanenses *in can.* 1. *dist.* 22., ibique gl. interpretatur Papae soli ius esse novas faciendi dignitates, praeterea nemini.

(3) *Cap. cum olim 6. de consuetudine*, ubi Londonensis Episcopus traditur petitam obtinuisse ab Innoc. III. facultatem statuendi in Ecclesia sua dignitatem *praecentoris*.

(4) Fagnan. *in cap. dilecto n. 7. de praeben.* Bened. XIV. *de synod. dioec. lib. 7. cap. 65. n. ult.* Tuta idcirco non est opinio Io. Azorii *par.* 2. *instit. moral. lib. 5. cap. 29. qu. 25*, scribentis, quod aeque Legatus, ac Episcopus possit quidem archidiaconatum, vel archipresbyteratum erigere, ubi desideretur sed non dignitatem ita novam, ut novum nomen, officium, et potestatem habeat: quum hoc solius sit Papae.

suetudinis, quae fundationi aequipollet, personis confertur ecclesiasticis, sive in perpetuum, sive mobiliter sine bullis episcopalibus, seu sine titulo collationis, vel institutionis, non aliter quam profana laicis officia demandantur: nullum tunc *beneficii* naturam redolet. Secus est in altero genere, quod veros *beneficii* characteres habeat impressos quum erectionis, tum collationis episcopalis, in titulum perpetuum (1); ubi scilicet Episcopus in fundationis limine, vel in ordinandis Ecclesiae statutis illud tale officium adsensu probaverit suo, eique praebenda, certave fructuum portione adsignata, vel confirmata, pronunciaverit idipsum erigere in titulum perpetuum, ea conditione, ut nonnisi per canonicam ipsius dioecesani, vel summi Pontificis collationem, aut institutionem perinde detur, ac dari solent beneficia ecclesiastica, et personatus item ecclesiastici (2). Erectionis primaevae, atque statutorum monumenta si deficiant, coniecturis, inter quas praepollet diuturna observantia, et immemorabilis consuetudo, opus est qualitatem officii ambiguam perscrutari.

Generatim his praecognitis, singulorum sunt munia nunc expendenda.

XIII. *Archidiaconi* primariae dignitatis, quae iandudum reipsa fuit amplissima, vix umbra superest. Is enim oblationum, redditiuum, totiusque pecuniae ecclesiasticae olim collector praebendas, partesque cuique suas distribuebat Canonicis, clericis, et pauperibus, Ecclesiarumque fabricae, quos nosset ad ordines, et beneficia idoneos, Episcopo praesentabat, causasque fori episcopali fere omnes audiebat, definiebatque (3), tanquam *natus* Episcopi *Vicarius* (4), cuius et *ala*, et *Oculus* dicebatur (5). Et quamvis initio omnia ferme ista gererent Archidiaconi ex mandato, arbitrioque Episcoporum: tamen vices episcopales sensim sibi arrogare, invitis etiam Episcopis non dubitarunt, suamque ipsorum esse non delegatam, sed ordinariam eatenus iurisdictionem Iure communi largitam, ut in primo gradu Archidiaconi, in secundo Episcopi, in tertio Metropolitani (6) ius dicerent. Quin etiam iura at-

(1) Wan-Espen. *tom.* 1. *Iuris eccles. tit. 37. cap.* 1. *num.* 19., *et seqq.* Nicolarts *ad Concordata Germaniae tit.* 1. *dub. 3. §. 2.*, Rigant. *to. 2. in Reg. IX. Canc. par.* 1. *§. 2. num.* 409. *ad* 414.

(2) Videsis *tract. de benefic. cap. 3. de fundatione, et erectione.*

(3) In *can.* 1. *dist.* 25. tum in *can. si in plebibus 20. dist. 63.* B. Isidorus Hispalensis fuse describit Archidiaconi praerogativas aevo suo, nempe saeculo VI. vigentes. Easque per plurima, quae subsecuta sunt, saecula non modo perseverasse, verum excrevisse etiam patet ex Decretalium *tit. de off. Archidiaconi.*

(4) Ex libro Romani Ordinis textus in *cap.* 1. *de off. Arch.* tradit Archidiaconum esse Vicarium Episcopi in omnibus. Haec tamen verba quum non inveniantur in veteri *ordine Romano*, neque in libro de *divinis officiis*, si credimus Eum. Gonzalez in idem *cap.* 1., minime probant Archidiaconos vetustioribus ecclesiasticae disciplinae saeculis Vicarii officium sibi adnexum habuisse: quod procul dubio habebant recentiori aevo Innocentius III. Hic enim rescripsit in *cap. ad. haec 7. de off. Arch.*, quod maior post Episcopum, et ipsius Episcopi Vicarius reperiretur Archidiaconus.

(5) *Can. diaconi, et seqq. dist. 93.*, Trid. in *cap. cum dignitates* 12. *sess. 24. de ref.*

(6) Ea sententia eousque valuit saeculo XIII., ut Innocentius IV. in *cap. Ru-*

trectarunt episcopalia, puta synodaticum, procurationes, aliaque id genus emolumenta (1).

XIV. Tanta, quae non ferenda quidem erat, audacia non potuit non efficere, quin ab Episcopis frangeretur, viresque omnes amitteret adventitias. Enimvero Tridentina synodus (2) constituit, ut aboletis quibuslibet privilegiis, et consuetudinibus non Archidiaconi, aliive inferiores Praelati causas matrimoniorum, et quod magis est criminum quorumlibet, sed Episcopi solum cognoscerent, etiamsi de iure cognoscendi eas praescripto lis esset inter eosdem contestata. Utque illi visitare Ecclesias, si ante consuevissent, deinceps nonnisi de consensu Episcopi per semetipsos tantum id eis liceret cum onere exhibendi Episcopo acta integra, rationemque peractae visitationis infra mensem reddendi (3).

XV. Nunc omne Archidiaconi munus eo redactum, ut Episcopo generales ordinationes, celebranti adsistat, promovendos evocaturus, monet Benedictus XIV. (4). Idemque putat (5) eum, quoties tunc palam responderit Episcopo interroganti dignos esse ordinandos, non peccare, etiamsi id ipse ignoret: secus, ubi contra conscientiam idipsum affirmarit (6). Ius porro ei non amplius est, nisi speciatim mandaverit Episcopus, eos examinandi, qui ad Ordines, vel ad curam animarum contendunt (7). Ubi tamen loci consuetudine, vel statuto is primam obtinet dignitatem, vel praefecturam in choro, praecedit etiamnum Vicario Capituli in sacris functionibus, et thurificatione, ad capitularia comitia

mana 3. de appell. in VI. rescripserit ab Archidiaconis, aliisque Praelatis inferioribus ad Episcopos, non Metropolitanam Curiam Rhemensem fore appellandum, sciens ex suis actis in Lugdunensi generali concilio tribunal Archidiaconorum illius provinciae ex vetusta consuetudine non Vicarium esse, nec unum idemque cum foro episcopali: *nisi aliud* (inquit) *Rhemensi Ecclesiae de consuetudine competat in hac parte.* His verbis Pontifex iure consultissimus abrogare noluit specialem, quam ipse noverat, consuetudinem, quae ad Archiepiscopum Rhemensem deferebat appellationes a quodam Archidiacono, de quo loquitur Alexander III. in *cap. referente 7. de praeben.*, quemadmodum et ad Senonensem ab officiale Archidiaconi Parisiensis, de quo Honorius III. in *cap. significantibus 3. de novi operis nunciat.* Falsus propterea est Cuiacius, dum Innocentius IV. imperitiae notam audacter nimis, ac temere impingit, contendens Episcopum cum Archidiacono eandem personam, Curiamque sustinere, ideoque ab Archidiacono semper ad Metropolitanum appellari debere, quum absurda sit ab uno ad eundem ipsum appellatio.

(1) Petr. Blesens. *ep.* 151., et Innocentius III. *lib. 2. ep. 37.* scribit: *Archidiaconis tertiam partem de circatis, et synodis.* Idem Innoc. *in cap. auditis* 15. *de praescript.* Conc. Later. *in cap. cum Apostolus 6., et cap. procurationes 23. de censibus.*

(2) Trid in *cap. causae omnes 20. sess. 24. de reform.* Eademque synodus in *cap. quam turpe* 14. *sess.* 25. *de ref.* specialim inhibuit Archidiaconis in clericos ob impudicitiam animadvertere.

(3) In *cap. Patriarchae 3. sess. 24. de ref.*

(4) In *ep.* ad Card. Quirinum Episc. Brixiens. §. *huius*, seu in *const.*, *ex quo dilectus 25. to* 2. Bullarii sui.

(5) *Lib. 5. de synod. dioecesana cap. 3. n. 4.*

(6) Greg. III. *in cap. un. de scrutinio in Ordine faciendo.*

(7) Trid. *in cap. expedit 13. sess. 24. de ref.*

Canonicos convocat, signum inchoandi officium, et discedendi a choro indicit, quemadmodum et absente Episcopo horas, viasque publicarum supplicationum, tabularii, depositorumque claves, libros conclusionum, et sigillum Capituli custodit (1): Viaticum aegrotanti Episcopo defert (2). Cum itaque nati Episcoporum Vicarii esse iamdudum destiterint Archidiaconi, tanta hodie singulis eorum erit auctoritas, quantam ipsis indulserit, vel Episcopi mandatum, vel statutum Ecclesiae, vel consuetudo longissima (3).

XVI. Diaconatus Ordine initiatos esse oportet Archidiaconos (4), iique ex sanctione Tridentina (5) sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, *magistri* in Theologia, seu *doctores*, aut *licentiati* in Iure Canonico. Consuevit in apostolicis litteris moderno stylo adponi clausula, ut *infra annum lauream doctoralem suscipere* sub poena destitutionis ipso iure incurrenda is teneatur, qui primam obtineat Dignitatem in cathedralibus. At ea clausula nullius est momenti, quoties nec animarum curam adnexam habeat, nec iurisdictionem actu exerceat, ex iteratis S. Congregationis Concilii decretis (6). Cumque D. Fortunatus de Vicariis cathedralis Ecclesiae Salernitanae Archidiaconus D. Hieronymi coadiutor cum futura successione creatus litteris apostolicis eandem clausulam continentibus petiisset declarari, quod eam ipse implere non deberet cura animarum, et iurisdictione expers: S. Congregatio die 19. Iunii 1751., *attenta attestatione Archiepiscopi Salernitani, et inhaerendo declarationibus, alias hac de re editis, et signanter* in Polignanensi 19. Dicembris 1602., in Lavellensi 12. Ianuarii 1697., et Laquedoniensi 12. Martii, 1746., *censuit oratorem non teneri ad susceptionem laureae doctoralis* (7).

XVII. *Archipresbyterum* Archidiacono subesse, eique perinde, atque Episcopo obedire, quum sacri canones decreverint (8): consequens est, ut secundam fere dignitatem in cathedralibus obtineat Archipresbyter urbanus (9). More enim antiquissimo primus locus praestantiori datus est dignitati, in ceteris antiquiores tempore promotionis recentioribus antecedunt. Eius officium, si canones spectentur, est vices Episcopi agere in iis, quae ad Missae Sacrificium, Eucharistiae dispensationem, Poe-

(1) P. Gaudentius *to. 1. dubitat. 13. cap. 5. sect. 3. n. 36.*
(2) Ex caeremonial. episc. *lib. 1. cap. 38.*
(3) *Cap. dudum de elect. cap. 4., et 5. de offic. Archid.* Trid. *cit. sess. 24. cap. 3.* — (4) Ex conc. Urbani Papae in *can. nullus 1. dist. 60.*
(5) Trid. in *cap. cum dignitates 12. sess. 24. de ref.*
(6) Apud Monacell. in *supplem. ad tom. 1.*
(7) Cuiusmodi rescriptum egomet vidi ad eundem Archidiaconum Salernitanum ab A. Cardinale Gentile Praefecto, et Io. A. Furietto Secretario S. Congr. datum.
(8) S. Isidorus *in can. perlectis 1. dist. 25. et* syn. Tolet. in *cap. 1. de offic. Archipresbyteri.* Is quoque *Praepositus, et Decanus* consuevit olim appellari, et nunc alicubi solet ex *can. nullus 1. dist. 60, et cap. adhaec 7. de offic. Archid.* Idemque *protopapa* in Ecclesiis Graecorum dicitur, praesertim in basilica S. M. de Catholica urbis Rhegii, quemadmodum et in Constantinopolitana.
(9) In nonnullis Ecclesiis consuetudo quum aliter loca dignitatum distribuat: mirum non est, si primus in Aversana Ecclesia locus Decano, seu Archipresbytero, secundus Cantori, tertius Archidiacono sit attributus.

nitentiae, et Baptismi Sacramenta pertinent, solemnioresque functiones obire, Missam canere, fontem benedicere, infirmos praesertim Praelatos oleo perungere (1), benedictiones presbyterales in Ecclesia dare (2). Nunc temporis statuta cuiusque Ecclesiae specialia, et consuetudines, quae communem vincunt legem, hisce in rebus praevalent. Ad Archipresbyteri gradum promoveri neminem posse, nisi presbyterum (3), vel in ea saltem aetate constitutum, ut infra annum queat sacerdotio initiari (4), plane constat. Et quoniam huic dignitati cura solet esse animarum adnexa: oportet, ut non modo ipse vigesimum quintum aetatis annum saltem attigerit, sed in clericali etiam ordine versatus doctrina ad id muneris exequendum necessaria, morumque integritate simul commendetur (5).

XVIII. Ut *Primicerius* non secus, atque Archipresbyter sub Archidiacono sit, textus Decretalium habet (6). Sed in Capitulo Neapolitano omnes omnino antecedit Primicerius (7), reapse primus Canonicorum. Suum quisque morem, qui alibi alius est, teneat. Ad *Primicerii* officium iure pertinet, uti B. Isidorus Hispalensis docet (8), disciplina, et cura clericorum minoribus ordinibus initiatorum, quidque quis eorum legere, et psallere in choro, aut luminaria deferre debeat, designare, matriculamque disponere, modum psallendi, persolvendique divina praescribere pro solemnitate temporum, dies ieiuniorum ab Episcopo indictos Parochis per ostiarios denuntiare. Ex libro autem Romani Ordinis Gregorius IX. (9) tradit specialem *Primicerii* curam esse, ut praesit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus ecclesiasticis, aut a quo ipse iusserit, instruantur. Id in causa fuit, ut idem ipse, et *Cantor*, *et magister scholae* (10) vocitaretur ex onere docendi potius, quam honore praesidendi: tametsi alicubi *Cantor* alius est a *Primicerio*.

XIX. *Scholas* profecto in primitiva Ecclesia fuisse ab Episcopis institutas, ut nedum clerici liberalibus disciplinis, sacrisque litteris, et theologia potissimum erudirentur, sed mysteria etiam, et res fidei ad-

(1) *Cap.* 1., 2., *et 3. de offic. Archipresb. et cit. can. perlectis dist. 25.*

(2) *Cap. officium 3. eod. tit.*, ubi Emm. Gonzalez. Episcopalis benedictio ad populum ab Ecclesia dimittendum vetustissima quum sit, *can. missas de consecr. dist.* 4., solus proinde Archipresbyter Episcopo absente eam ritu solemni poterat impertiri, ut probe tradit Benedictus XIV. *const. exemplis 48. tom. 2.* Bullarii sui.

(3) *Can.* 1., *et seq. dist. 60.*

(4) Trid. *sess. 24. cap.* 12. *de reform.*

(5) Alex. III. in conc. Later. *cap. cum in cunctis 7. de elect.*

(6) *Cap. un. de offic. primic.*

(7) Apud Latinos *Primicerius* idem sonat, ac primus in quovis ordine, seu coetu, vel matricula, cereisque tabulis. Eoque sensu prostat *tit. 7. lib.* 12. Codicis de *Primicerio*, *et secundicerio notariorum.*

(8) *Can. perlectis* 1. *dist. 25.*

(9) *Cap. un. de officio Primicerii.*

(10) *Cap. cum olim 7. de consuet.* Innocentius III. *lib. de myster. Evang. Leg. cap. 6.*, scribit Primicerium, seu scholae magistrum vices Eman tenere, qui fuit primus inter Cantores a Davide institutos coram Arca foederis, 1. *Paralip. cap. 6.*

discerent catechumeni, exploratum sane est (1). Eas iniuria temporum collapsas instaurare in cathedralibus Ecclesiis sategerunt Alexander III., et Innocentius III. (2) hoc pacto, ut magistro clericos, et scholares gratis docturo beneficium aliquod congruum conferretur, vel unius praebendae fructus ab Episcopo, vel Capitulo adsignarentur. Abusus deinde irrepsit, ut magistri vel beneficium, vel praebendam perpetuo titulo adepti onus docendi vel negligerent, vel in substitutos transferrent: unde orti *subcantores*, videntur ex consuetis *Cantoris*, scholaeque magistri substitutionibus. Et sensim ita in mera *beneficia* cum praerogativa *dignitatis*, vel *personatus* quum evasissent *officia scholarum*: ea inde non periti, sed rudes plerunque, et ignavi obtinere consueverunt. Horum ambitionem improbam cohibituri Patres Tridentini sanxerunt meritissime, ut *officia*, vel *dignitates* illae, quae *scholasteriae* dicuntur, *nonnisi doctoribus*, *vel magistris*, *aut licentiatis in sacra pagina*, *aut Iure Canonico*, *et aliis personis idoneis*, *et qui per seipsos id munus explere possint*, *conferantur*: *et aliter facta provisio nulla sit*, *et invalida*, *non obstantibus quibuscunque privilegiis*, *et consuetudinibus*, *etiam immemorabilibus* (3).

XX. Ad seminaria novo Iure translatis scholis (4), magistrorumque muneribus, vix superfuit in cathedralibus Ecclesiis *Canonici theologi*

(1) S. Hieronymus *lib. de illustrib. scriptor.* duplicem eiusmodi scholam commemorat, et praecipue *Antiochenam*, in qua floruit Lucianus presbyter, et *Alexandrinam*, in qua Clemens, Origenes, aliique Patres eximii. Socrates *lib. 3. cap.* 1. scribit Iulianum apostatam in basilica, ubi scholae grammaticae, et rethoricae patebant, fuisse institutum. Sexta Synodus oecumenica, seu Constantinopolitana III. *can. 5.* decrevit, ut presbyteri per villas, et vicos scholas gratis haberent, et nihil, praeterquam spontaneas charitatis studio oblationes acciperent. Et praecedenti *can.* 4., scholas in Ecclesiis Sanctorum, et coenobiis institutas commemorat. Hinc synodus Agathensis an. 506. non modo presbyteris, sed *scholaribus* etiam demandavit, ut pensum servitutis suae, horas scilicet canonicas divini officii publice absolverent, *cap.* 1. *de celebr. Missar.* Ad Occidentem quod attinet., Carolus M. iussit in singulis monasteriis, et episcopiis scholas haberi, in quibus et ingenuorum, et servorum filii grammaticam, musicam, et arithmeticam docerentur, Andegisus *lib.* 1. Lupus *ep. ad Eginardum*, Binius *in not. ad* Conc. Cabilonen. II. sub Leone III. Eo enim tempore longaeva studiorum desolatione litterae quum defecissent, eas addiscendi cupidis magister non erat. Quare synodus Cabilonensis II. *an. 813. can. 3.* censuit, ut Episcopi, sicut Carolus Imperator iam iusserat, scholas instituerent quum ad liberales disciplinas, tum sacras Scripturas docendum. Tum Nannetensis synodus anno 890. decrevit, ut quisque Parochorum haberet clericum, qui scholas tenere posset, *cap. ut quisque 3. de vit., et honest. cleric.* quod perperam in VI. collectione inscriptum concilio Maticensi, monet Emm. Gonzalez *ibidem.* In tota vero Italia consuetudinem scholarum ecclesiasticarum viguisse contestantur Patres Galli in synodo Valensi II. *can.* 1. apud Gonzalez *loc. cit.* Hinc repetenda origo seminariorum, quorum institutio, et regimen sunt a Tridentina synodo praescripta *sess.* 23. *de reform. cap.* 18., et Bened. XIII. in bulla *creditae nobis* edita an. 1725. 7. idus Maii.

(2) In Conc. Lateran. in *cap.* 1., *et 4. de magistris.*

(3) Trid. *in cap. cum adolescentium aetas* 18. *sess.* 23. *de ref.*

(4) Videsis *tract. de Beneficiis cap. 4. num.* 12, ubi de unione beneficiorum, ac taxa super ecclesiasticis redditibus favore Seminarii.

officium, honore personatus, ac dignitatis omnino expers (1). In metropolitanis *Theologo* unius praebendae fructus sine ullo canonicatus titulo, quoad ipse in docendo perseveraret, adsignandos cum decrevisset concilium Lateranense sub Innocentio III. (2): Tridentinum maluit nedum in metropolitanis, sed cathedralibus etiam, et collegiatis Canonico theologo praebendam primo vacaturam (ubi nulla ei esset iam constituta, vel alicuius beneficii simplicis fructus, vel contributionem beneficiariorum dioecesis de Capituli consilio) perpetuo deputari, et conferri, per seipsum omnino sacra Biblia expositurо, nulliusque momenti fore collationem, quam ad id non idoneus obtinuerit (3). Quod vero ea nonnisi praevio concursu, et examine competitorum provideantur, primum pro cathedralibus Hispaniarum cautum est constitutionibus Xysti IV., Leonis X., et Gregorii XV. (4): deinde pro omnibus generaliter motu proprio imperatum a Benedicto XIII. (5). Cui placuit inter cetera praescribere methodum concursus super textu sacro, et tertiam praebendae partem in quotidianas distributiones convertere hoc pacto, ut eas in singulis omissarum lectionum punctis, vel sacristia lucretur, vel accipiat substitutus, aut regularis, aut saecularis per Episcopum deputandus, qui contumacioris vices Canonici theologi suppleat. Lectionum non alibi, quam in Ecclesia ipsa cathedrali peragendarum tempus, diesque, nisi definiverit loci statutum, vel consuetudo, Episcopus indicit pro audientium commoditate bis, aut semel saltem in hebdomada, exceptis feriarum intervallis a die festo S. Thomae Apostoli usque ad Epiphaniam, a Septuagesima ad primam quadragesimae dominicam, ab ea Palmarum ad Paschatis octavam, atque a festo S. Ioannis Baptistae ad 5. Novembris (6). Idemque ut compellat ad audiendum Theologi lectiones, sermonesque universos sacris ordinibus initiatos, praesertim Confessarios, et Canonicos, decrevit in Romana synodo Benedictus XIII (7).

XXI. Suppar est Canonici *poenitentiarii* officium, quod nonnisi praevio concursu providendum esse, alias irrita collatio haberetur, sanxit idem Pontifex (8). *In omnibus quidem cathedralibus* Poenitentiarium *cum unione praebendae proxime vacaturae fore ab Episcopo instituendum, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel Iure canonico, et annorum quadraginta, seu alias, qui*

(1) Theologum non inter Dignitates, sed inter Canonicos, servato collationis, possessionisque antiquioris ordine sedere, decrevit S. Congreg. Conc. *in Murana* 12. *Aprilis* 1699: is nisi alicubi dignitatem ex fundatione, vel statuto habuerit, Vanespen. *par.* 1. *tit.* 12. *cap.* 3.

(2) *Cap. quia nonnullis* 4. *de magistris.* — (3) *Trid. sess. 5. de ref. cap. 1.*

(4) Apud Gregor. *par. 5. cap. 1. num. 169.*, et Barbos *alleg. 109.*

(5) Const. *pastoralis* edita 4. Kal. Iunii 1725. in appendice Synodi Romanae.

(6) S. Congreg. Conc. in Anagnina 16. *Dicembris* 1645., et Assisiensi 27. *Ian. 1646.*

(7) Conc. Rom. Bened. XIII. *tit.* 15. *cap.* 9. Hinc exolevit eorum sententia, qui ad id non cogendos, sed hortandos duntaxat ecclesiasticos, aut curam animarum non habentes, aut non Confessarios censebant.

(8) In antedicta *const. pastoralis.*

optior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur, decretum est a Patribus Tridentinis (1). Ex hisce verbis, aliisque ante laudati decreti probe arguunt doctores Theologo primam, et Poenitentiario secundam adiudicari ab Episcopo debere praebendas, quae in mensibus Ordinariorum quovis modo, praeterquam ex resignatione, vacaverint: secus in mensibus apostolicis vacaturas, et quomodolibet Romanae Sedi affectas; has enim ex ipsius synodi silentio exceptas intelligimus. Ipsa huius officii ratio postulat, ut adventus, et quadragesimae diebus, festisque sollemnioribus frequentiores ad Poenitentiae tribunal confluentes homines potissimum audire in sacra exedra Poenitentiarius adigatur, cui perinde, atque aliis Canonicis indulgetur duos, tresve menses quotannis abesse (2). Nam vices Episcopi gerit ipse in excipiendis poenitentium totius dioecesis confessionibus, publicaque publice peccantibus poenitentia iniungenda (3); tametsi eos absolvere nequit a casibus Episcopo reservatis, eoque minus ab atrocibus criminibus, censuris, et irregularitatibus Sedi Apostolicae reservatis, quae ubi erunt occultae, Episcopus facultatem absolvendi habet a Tridentino (4), nisi id ei speciatim Episcopus mandaverit, iuxta tutiorem Navarrae sententiam (5). Eum vero, non secus, quam delegatum ad universitatem causarum, subdelegandi iure potiri, aliis doctorum negantibus, alii affirmant probabiliter. Ceterum non praecellere in Capitulo, sed locum inter Canonicos, quemadmodum de Theologo iam dictum est, habere, pronunciavit S. Congregatio Concilii (6): in nonnullis tamen Ecclesiis inter dignitates cooptatum scribit Wan-Espenius (7).

XXII. Reliquum est, ut cetera percurramus officia. Textus Decretalium distinctas habet rubricas de *officio sacristae*, et de *officio custodis. Sacrista* idem ac *thesaurarius* esse: *custos* autem, quasi minister *sacristae* videntur glossae ibidem ex eo etiam fortasse, quod Innocentius III. (8) *sacristam* dignitatis honore decoraverat, cuius hodie munus meri famulatus potius ignobile, quam honorificum existimatur. Qui sacra vasa, resque pretiosas Ecclesiae custodit, a Graecis *Cimiliarcha* dicitur, eique ab Iustiniano tributus idem *viri reverendissimi* titulus (9), quo tunc appellabantur Episcopi (10). Exinde licet insignem

(1) Trid. in *cap. Apostolus 8. sess. 24. de reform.*
(2) Crispin. *de visit. pastor. par. 2. §. 24. num. 1.*
(3) Trid. *cit. cap. 8. sess. 24. de reform.*
(4) *Eadem sess. 24. cap. liceat 6.*, ibi: *per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum . . . idem et in haeresis crimine eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*
(5) Quam probavit S. Congreg. Concilii *in Cavensi 24. Maii* 1642.
(6) In Senensi Poenitentiariae 16. *Aprilis 1691.*
(7) Wan-Espen *par. 1. tit. 12. cap. 3.*
(8) Innoc. III. *lib. 1. registr. ep. 176.* Idem *in cap. ex tenore 11. de foro compet.* quum Turonensis Archiepiscopus simul et thesaurario, alias Cellerario Turonensi causam viduae delegasset: videtur eum in classe dignitatum Ecclesiae illius habuisse. — (9) *L. fin. C. de bonis auct. iudic. possiden.*
(10) *L. parabolanos 18. C. de Episc., et cleric. l. non reddentes C. de sacros. Eccles.*

huius officii dignitatem in orientalibus Ecclesiis conijcere, quae in occidentalibus in *thesaurarii* persona non ita splendet, si duae excipiantur metropoles Italiae, scilicet Mediolanensis, et Neapolitana. In utraque porro est *Cimiliarcha*, qui Neapoli nedum unus ex primario Canonicorum praebendariorum ordine, sed praefectus etiam est collegio hebdomadariorum, baculum cum argenteo manubrio in processionibus gestans in signum iurisdictionis, et praeeminentiae, cum praerogativa duplicis suffragii in eorum comitiis.

XXIII. Si qua sunt alia alicubi officia, personatus, dignitatesque, legitimis locorum statutis, moribusque potissimum res definiantur. In Ecclesia Puteolana duo sunt Subcantores stallum habentes in choro post omnes Canonicos. Atque in cathedrali Neapolitana unus ex hebdomadariis magister scholae nudum Cantoris officium gerit.

XXIV. *Archiacolythi* nomen in Ecclesia Capuana perdurare tradit Michael monachus in *sanctuario Capuano*. Et Benno Cardinalis meminit Archiacolythi Ecclesiae Romanae. Cum in Ecclesiis cathedralibus olim quatuor essent Canonicorum ordines, presbyterorum scilicet, diaconorum, subdiaconorum, et acolythorum: quilibet suis suberant Capitibus, presbyteri *Archipresbyteris*, diaconi *Archidiaconis* subdiaconi *Archisubdiaconis*, acolythi denique *Archiacolythis*. At istos cum acolythis nullum neque in choro, neque in Capitulo ordinem facere praesertim post legem Tridentinam, omnesque ad libitum solo, ut aiunt nutu Episcoporum posse amoveri, recte observat Carolus du-Fresne (1). In Ecclesia etiam Puteolana olim Archiacolythos fuisse novi, iamdudum suppressos.

TIT. XXX.

De Parochis et oppidanis Archipresbyteris.

I. Vicanos, oppidanosque Archipresbyteros, et Parochos ab aevo Apostolorum habuit Ecclesia.

II. Curam animarum habentes Presbyteros alii ex divina, et apostolica institutione ortos putant, alii negant, at eos utrique subdunt Episcopis.

III. Iique primum Presbyteri, mox Parochi, Personae, Plebani, Decani, Archipresbyteri dicti sunt.

IV. Archipresbyteri singularum plebium videntur in locum Chorepiscoporum suffecti.

V. Parochus quisque in sua Ecclesia, et plebe ordinarius est minister Sacramentorum, curaeque animarum.

VI. Exuberante alicuius Ecclesiae populo, vel Coadiutores Parocho addit Episcopus, vel novam erigit parochiam filialem.

(1) Car. du-Fresne in *glossario script. mediae, et infimae latinit.* verbo *archiacolythus.*

VII. Qui Coadiutoribus, novisque Parochis congruam portionem ex redditibus matricis Ecclesiae, vel beneficiorum unione adsignet: populum ad eam contribuendam hoc in Regno, nonnisi regia potestas cogit.

VIII. Beneficia etiam reservata, et affecta possunt Episcopi cum consensu Capituli parochiis egenis, vel alteram alteri Parochiae unire; at monasteriis, Abbatiis, Capitulis, Collegiis, eorumque praebendis non item, nec libera beneficia parochiis de iurepatronatus.

IX. Animarum cura mobiliter olim, perpetuis nunc Parochis confertur.

X. Hi sacrificia offerre pro populo debent festis saltem diebus.

XI. Simul Evangelium praedicare, fideique rudimenta docere.

XII. Et Sacramenta iure ordinario ministrare.

XIII. Multa inde sunt Ecclesiis parochialibus, et Parochis reservata, quum onerosa iura in sacramentalibus, et functionibus, tum utilia stolae emolumenta, et obventiones.

XIV. Ex communibus olim proventibus ecclesiasticis portionem curati presbyteri ab Oeconomis, vel Archidiaconis arbitrio Episcopi designatam accipiebant.

XV. Iique presbyteri ex clero urbano, vel patrio plerunque deligebantur.

XVI. Dissoluta in cleris communione fructuum ecclesiasticorum invaluit mos conferendi singulatim parochiale officium, simul et beneficium ad vitam irrevocabile.

XVII. Nec non instituendi perpetuos Parochos a patronis nominatos in Ecclesiis de iurepatronatus.

XVIII. Perpetuosque pariter Vicarios congrua portione fruituros, ubi collegiis, vel monasteriis adnexa cura animarum sit.

XIX. Vicariorum congrua, nec maior ducatis centum, nec minor quinquaginta sit, Oeconomorum autem arbitraria.

XX. Dignioribus presbyteris, nonnisi praevio concursu, deligendis fas est animarum curas adipisci, iique posthabiti ius habent reclamandi ab irrationabili iudicio Episcopi, et examinatorum.

XXI. Patronis tantum laicis indulgetur idoneos presbyteros posthabitis dignioribus sine concursu praesentare, ecclesiasticis vero digniorem ex approbatis in concursu eligere.

XXII. Vicarii etiam curati quum mobiles, tum perpetui examen episcopale subire coguntur.

I. In Evangelii primordiis fuisse, qui Apostolos proximosque illorum successores in pastorali animarum cura sine episcopali charactere coadiuvarent, Apostolorum acta, epistolaeque satis innuunt. Nec res aliter esse potuit, quum impares procul dubio essent soli Episcopi pascendis

quotidie tot Domini gregibus, sustinendoque tantarum gentium regimini, quae suum Christo nomen tum dabant, nedum per urbes amplissimas, sed per dissita quoque oppida, vicos, et agros maiori, quam excogitari potest, frequentia. Necessitatis itaque ratio postulavit, ut Episcopis iuxta urbanas, et matrices Ecclesias plerumque residentibus, minores etiam plebes singulae unum saltem *curionem* (1) apud se *presbyterum* haberent sacra ministrantem in cuiusque loci Ecclesia: quum universos totius dioecesis homines capere non posset una cathedralis vel amplissima.

II. Curiones hosce presbyteros successisse statui septuaginta discipulorum Christi, eosque ab ipso proinde Christo Domino, et Apostolis institutione divina promanasse tenent venerabiles Gersonius (2), et Beda (3). Id alii vero propterea negant, quod non liqueat discipulos fuisse Sacerdotio initiatos, aut a Christo spiritualis curae potestatem solis Apostolis traditam accepisse: sed missos tantummodo in omnem locum, quo venturus Dominus fuisset, iam praesentem adventum eius annunciaturos. Ita sentientes tamen non abnuunt discipulos ab Apostolis mandatam habuisse curam episcopali ordini subiectam, ab eoque profluentem. Nam *licet presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est Sacerdote*, inquam cum divo Ambrosio (4).

III. Quibus Apostoli, Episcopique prioris aevi mandare consueverunt Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae, et Confirmationis aliquando, verbique divini ministerium, eos non alio nisi *presbyteri* nomine appellatos sacrae Litterae (5), et vetustiora monimenta patefaciunt (6). Deinde *Parochi* vocabulum, cuius duplex notio est, iisdem adhaesit quum exinde, quod *sacra praebeant* (7), tum quod *incolatum habeant* in certo

(1) Qui sacra publica pro curiis suis curarent, *curiones* triginta a Romulo institutos tradunt Dionysius Halicar. *lib. 11. cap. 61.*, Varro *lib. 4. linguae.* Festus *lib. 3. ver. Curia*, A. Gellius *lib. 4. noct. Actic. cap. 7.*, qui alias insuper curias pro rebus profanis ad populum spectantibus simul constitisse commonent.

(2) Gerson. *de statib. Eccles. consid. 1. Status*, ait, *curatorum succedit statui 70. discipulorum Christi, ac proinde status curatorum est de institutione Christi, et Apostolorum a principio fundationis Ecclesiae, quae institutio per declarationes summorum Pontificum, et synodorum magis, ac magis innotuit.* Eandem sententiam tuentur concordi animo theologi parisienses.

(3) Beda *in Lucae cap. 20.* — (4) S. Ambros. *lib. 3. de sacram. cap. 1.*

(5) Ad Timotheum Ephesinum Episcopum scribens Paulus Apostulus, *Presbyterum ne obiurges*, ait, *sed hortare velut patrem, ep. 1.* ad Timoth. *cap. 5. vers. 1.* Hisce verbis S. Epiphanius *haeresi 75. Aeriana n. 5.*, ostendit maiorem tunc etiam Episcopi, quam presbyteri fuisse potestatem. Videsis dicta superius *tit. 10. num. 2.*

(6) Synodus Eliberitana an. 305. *can. 77. Si quis diaconus regens plebem sine Episcopo, vel* presbytero *aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Laodicaena paulo post iussit *presbyteros* nihil agere sine mente *Episcopi* debere.

(7) *Parochos* Respublica Romanorum habuit, qui aere publico necessaria ad victum magistratibus per municipia iter facientibus praebebant, de quibus cecinit Horatius *lib. 1. serm. sat. 5.... Parochi qui debent ligna, salemque.* Idemque *lib. 2. sat. 8*, ad eosdem alludens, translata ad convivatorem Nasidienum significatione, ait ..... *Vertere pallor*

loco firmum. Deducitur enim vel a graeco verbo παρέχω, quod latine idem sonat, ac *praebeo*, vel a παροικέω idest *incolatum habeo* (1). Aliis quoque nominibus dicti sunt *personae* ob praerogativam personatus (2), *plebani* (3), *decani*, *et archipresbyteri* parochiarum (4).

IV. Plures Romae titulos, idest Ecclesias in subterraneis, abditisque locis aevo martyrum erectas, ut illis baptismus multitudini catechumenorum, sepultura martyribus, fidelibus synaxis, et communio precum commodior esset, inter ceteros tradit auctor *libri pontificalis* sub nomine Damasi in *vita Marcelli*. Hinc inibi, alibique prima urbicarum parochiarum origo. Oppidanarum institutio coaeva, et compertior est. Utrasque progressus temporum magis magisque propagavit per regiones quum orientales, tum occidentales (5) iure primum non scripto. Quod saeculo IV. prima omnium synodus Sardicensis censuisset in vico, aut modica civitate unum sufficere presbyterum, superius iam dictum est (6). Tum Chalcedonensis (7) sequenti saeculo rurales, et vicanas cuiusque

Tum Parochi *faciem nil sic metuentis*, *ut acres Potores*. M. Tullius in Verrem *act. 2. lib. 1.*, commemorat publicum Philodami munus recipiendi hospites, et praecipue Praetores, Consulesque. Tum ad Atticum *ep. 2. lib. 13.* scribit, quod Sestius *parochus* publicus Ariarathem Ariobarzanis filium ab ipso Cicerone, ut apud se diversaretur, invitatum praeoccupasset. Eos Charisius Iureconsultus *xenoparochos* appellat in *l. 18. §. 10. D. de muner.*, *et honor.*

(1) Quod est in *psalm. 119. vers. 5.* dictum a LXX. Interpretibus παροικία in vulgata editione latina legitur *incolatus*. Eaque ratione dicti sunt *cardinales presbyteri*, quod fixi, velut cardines permanerent in regimine curae parochialis.

(2) Alex. III. *in cap. ad haec 3. de offic. Vic. cap. conquerente 4. de filiis presbyterorum*, *et cap. ad audiendum 5. de Eccles. aedific.* Clem. III. *in cap. ex parte de rescriptis*, Honor. III. *in cap. dilectus 5. ut lite pendente*, *et* Bonif. VIII. *in cap. super 106. de praebendis*, *et dignit. in VI.*

(3) *Cap. cum olim 18. de praescript.*

(4) *Cap. in capite quadragesimae 64. dist. 50.*, *can. si in plebibus 20. dist. 63.*, *cap. ut singulae 4. de offic. archipr. et cap. cum inter 13. de sent.*, *et re iudic.*

(5) Si genuina esset *epistola* II. Dionysii Papae ad Severum Episcopum data anno 270., exploratum sane haberemus fixam saeculo III. Parochorum institutionem in vicanis Ecclesiis iure scripto: eius enim fragmentum a Gratiano exscriptum in *can. Ecclesias* 1. C. XIII. *qu.* 1. haec habet: *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus*, *parochias*, *et coemeteria divisimus*. Itaque spreta huius canonis auctoritate, ex moribus primis rectius deducitur huius rei antiquitas. Nam *can.* 14. vulgo Apostolorum quum incertus auctor vetustissimus tradat vetitum, ne quis presbyter, diaconus, clericusve *relicta parochia sua*, in aliam, praeter sui Episcopi voluntatem transmigraret; palam ostendit adfixos, cardinatosque parochiis presbyteros tribus etiam primoribus saeculis. S. Epiphan. *haer. 99. cap. 1. Quotquot Alexandrinae*, ait, *catholicae communionis sunt Ecclesiae uni Archiepiscopo subiectae*, *suus cuique praepositus est* presbyter, *qui ecclesiastica munera iis administret*. Et *haeres. 76. num.* 11. quemdam Tryphonem Dioscoride Mesopotamiae pago presbyterum memorat. Theodorus saeculo quinto Episcopus Cyri, octoginta parochias sibi subiectas scribit *epist.* 113. S. Athan. *apolog.* 2. tradit singulos fuisse presbyteros in decem Ecclesiis ruralibus Mareotide Alexandriae proxima institutos ab Episcopo Alexandrino. De oppidanis in Occidente Parochis antiquioris aevi nonnihil cautum in synodo Eliberitana an. 305. apud Hispanos *can. 77.*, et Valensi I. saec. V. in Gallia *can.* 2.

(6) *Tit. 18. de Episcop. num. 7.* — (7) Syn. Chalced. *can. 17.*

provinciae parochias Episcopis eisdem, qui eas sibi subiectas haberent, adiudicavit. Placuit deinde Ioanni IX. Papae in synodo Ravennate (1), *ut singulae plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiat, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renunciet. Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia etsi valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera partiatur: et sicut ipse matrici Ecclesiae praeest, ita Archipresbyteri praesint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquod contra eius decretum ordinare praesumant.* Isto Italiae decreto synodico suffecti videntur Archipresbyteri oppidani in locum Chorepiscoporum, quos abolendos Episcopi sategerunt ab octavo ad undecimum usque saeculum (2).

V. Constituta vetustis, et moribus, et canonibus (3) divisio parochiarum, ita Parochos ad residendum in sua singulos Ecclesia obstrinxit, ut nec suam ipsis plebem derelinquere, alienasve oves pascere liceret, nec vicissim parochianis ab suo ad alienum declinare Pastorem. Cuique enim populo, nonnisi in parochia sua Missam dominicis, festisque diebus audire licebat secundum veterem disciplinam (4), Sacramenta suscipere, et verbum Dei audire. Corruptis deinde moribus quùm promiscua irrepserit administratio Sacramentorum in parochiis sine aliquo personarum, finiumque discrimine: decernendum pro tutiori animarum salute putarunt Patres Tridentini (5), ut illis in urbibus, locisque, ubi talis esset abusus, Episcopi populos in parochias omnino distinctas, finibusque circumscriptas distribuerent, quatenus suum quisque Parochum agnosceret ab eo solo Sacramenta licite suscepturus.

VI. Sicubi eatenus creverit multitudo populi, ut non unus ei sufficiat Parochus: alios ad sacra obeunda munia necessarios addet Episcopus coadiutores (6). Vel si aequo latiores parochiae fines, aut salebrosa itinera, aut interfluentes aquae praesertim hibernae magno saepe sint impedimento, quominus incolae omnes undique ad parochialem conveniant Ecclesiam: novas etiam tunc parochias eriget in locis commodioribus (7), citatis tamen, auditisque interesse habentibus, praesertim Parocho matricis, quamvis invito (8), ea lege, ut velut *filiae* antiquiorem Ecclesiam, perinde ac *matrem* honoraturae nonnulla ei signa cultus, et subiectionis, quae in more sunt, referant quotannis, in ipso erectionis limine praescribenda: puta ut earundem Parochi ad so-

(1) Habita *an. 904.* cui adfuit synodo Lambertus Imperator, ut scribit Baron. *tom. 1. ad an. 904.*, ab eaque desumptus textus *in cap. ut singulae 4., et ult. de offic. Archipresb.*

(2) De Chorepiscopis nonnulla iam dicta in superiori *tit. 24. num. 23.*

(3) Quos recensui supra *tit. 18. num. 6.*

(4) *Cap. in dominicis 2. de parochiis*, ibique Gonzalez.

(5) Trid. *cap. 4., et 13. sess. 24. de reform.*

(6) Trid. *in cap. Episcopi 4. sess. 21. de reform.*

(7) Alex. III. *in cap. ad audientiam de Eccles. aedific.* Trid. *loc. cit.*

(8) Faguan. in *cit. cap. ad audientiam de Eccles. aedific. num. 29.*

*

lemnem fontis baptismalis benedictionem in Ecclesia matrice adsint, ab eaque lustralem aquam, et sacra olea accipiant, inibique maiores anni festivitates concelebrent (1), vel annuum censum ei rependant (2). Deficientibus eiusmodi causis, animum non adiiciat Episcopus ad novas erectiones antiquae parochiae iura, et statum deminuturas, alias non effugiet suspicionem quaestus, et ambitionis notam: quum suas ipse potius utilitates, copiamque subditorum captare, quam Dei cultum, animarumque salutem quaerere tunc videatur (3).

VII. In iis quidem necessitatis casibus Tridentina synodus (4) decrevit, ut Episcopi, auctoritate etiam delegata Sedis Apostolicae, tam adiunctis Parochorum coadiutoribus, aut collegiis, quam recentium parochiarum rectoribus, vel congruam ex fructibus matricis Ecclesiae (si beneficiorum unione id fieri nequeat) portionem adiudicent, vel populum compellant ad necessaria iis alimenta suppeditanda. Hoc tamen posterius remedium in regno non patiuntur regii magistratus, rati laicos non ecclesiastica, sed regia solum Potestate cogi, re cognita, debere, ut iis, qui altari serviunt, curamque spiritalem exercent, decimas, aliave subsidia vitae contribuant (5). Idemque servandum esse tenent, ubi oporteat ad aptiora loca Ecclesias transferri, vel ruinosas refici (6) aere publico.

VIII. Itaque paupertati parochiarum, et deficienti Curatorum congruae substentationi consulturus Episcopus quum ordinaria (7), tum delegata Sedis Apostolicae auctoritate (8), uniet in perpetuum eis ecclesiastica beneficia unius eiusdemque loci sive dioecesis (9), summo etiam Pontifici quomodolibet reservata, et affecta, sine ullo possessorum detrimento, qui donec ea post decretam unionem suo ipsorum obitu, vel cessione, aliave legitima caussa vacaverint, integris fruentur fructibus. Eorum ideo consensus ea in re non requiritur (10), sed Capituli cathedralis utique ex communi Decretalium iure (11), quum *iuxta formam iuris* unionem eiusmodi faciendam iusserit Tridentina synodus (12). Quae duas itidem, pluresve simul parochias finitimas uniendi facultatem tribuit ob probatam Ecclesiae necessitatem, utilitatemque, puta ubi singulae alendo Parocho non sufficiant, populusve in alterutra defectionem,

(1) Gaudent. *de visitat. cap. 5. dub. 23. sect. 6. n. 108. tom.* 1. Fagnan. *loc. cit. n. 8.* — (2) Gl. *in cit. cap. ad audientiam* ver. *honor, arg. cap. omnis anima de censibus, cap. 2. de capellis monachor.*

(3) Zosimus Papa *in can. si officia 2. dist. 59.*

(4) *Cit. sess. 21. de reform. cap. 4. et 7., et sess. 24. cap. 13.*

(5) Videsis praenotata superius *tit. VI. de Conciliis* S. Congregatio Concilii pro augendis redditibus pauperrimae parochiae supra mille animas habentis, interrogata, possit ne populus, aliis deficientibus subsidiis, ad id compelli? respondit dandas litteras esse ad Archiep. Teatinum, ut cum Universitate loci rem ageret, Fagnan. in *cap. 3. de cler. aegrot. num. 13.*

(6) Trid. *in cap. cum illud. 7. sess. 21., et cap. locorum 8 sess. 7. de ref.*

(7) Coelestin. III. *in cap. sicut venire 8. de excessib. Praelator.*

(8) Trid. in *cap. ut etiam 5. sess. 21., et cap. quoniam 13. sess. 24. de reform.* — (9) Trid. in *cap. et quia 9. sess. 14. de reform.*

(10) *Clement. 2. de reb. Eccles. non alienand.*

(11) Inn. III. in *cap. tua nuper 8. de his quae fiunt a Prael. sine cons. Capit.*

(12) *In cit. cap. ut etiam 5. sess. 21. de reform.*

desolationemque bello, terraevc motu tulerit. At vetuit (1), ne parochiales Ecclesiae unirentur monasteriis, abbatiis, dignitatibus, praebendis Ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, hospitalibus, militiisque: nec liberae collationis beneficia Ecclesiis, vel parochialibus de iure patronatus (2), cum in unam, eandemque naturam evadant (*).

IX. Ab Episcoporum nutu omnia pendebant olim parochialia munera (3). Stata deinde facta sensim sunt, et necessaria, et communia, ipsoque iure cuiusque Parochi officio ita adnexa, ut quam semel adeptus est facultatem ea peragendi, qui curam animarum rite susceperit, eam illi nequeat omnino Episcopus limitare, nec suspendere, nec adimere, nisi ex legitima caussa in exteriori foro rite probanda (4).

X. Tria eorum sunt maxime praecipua a Patribus Tridentinis (5) enumerata, nimirum *Sacrificii oblatio*, *praedicatio* una cum cathechismo, *administratioque Sacramentorum*. Ad *oblationem Sacrificii* quod attinet, sat erit diebus omnibus festis de praecepto, iis etiam, quibus indultum nuper est servilibus vacare operibus post Missam, Parochus quilibet, etiam mobilis curatus Ecclesiae collegiatae sive saecularium sive regularium, debet omnino Missam pro populo applicare suo (6), adeo ut prohibeatur ullum pro ea stipendium sibi vindicare, quod pro

(1) Trid. *in cap. quoniam 13. sess. 24. de reform.*

(2) Idem *in cap. sicuti 9. sess. 24. de reform.*

(*) Conventione novissima an. 1818, art. VII. sancitum: Paroeciis, quae sufficientem congruam non habent, dos ita augebitur, ut iis Paroeciis, quae duobus hominum millibus non constant, ad minus ducata centum, iis, quam numerum quinque millium animarum non attingunt, ad minus ducata centum quinquaginta; caeteris vero, quae maiorem animarum numerum continent, ducata ad minus biscentum pro annuo redditu constituantur.

Parochialis Ecclesiae conservatio, uti et cooperatoris Parochi stipendia, ubi redditus ad id attributi non adsint, respectivis Civitatibus incumbent, et praedes dabuntur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia.

Haec dispositio non respicit Ecclesias Parochiales iurispatronatus sive regii, sive Ecclesiastici, sive laicalis canonice adquisiti, quarum onus respectivis Patronis incumbet.

Excipiuntur pariter Ecclesiae receptitiae sive numeratae, sive innumeratae, Capitula, et Collegiatae, quibus cura animarum inest, cum suam congruam in communibus bonis habeant.

(3) S. Ignatius martyr. *cap. 8. ep.* ad Smyrnaeos scribens, *sine Episopo nemo quidquam* (ait) *faciat eorum, quae ad Ecclesiam pertinent. Non enim licet sine Episcopo baptizare, neque agapen celebrare.* Consonat Tertullianus *de Baptismo cap. 17.*. Atque inter canones vulgo Apostolorum primitivae disciplinae formam exprimentes, ita cautum est *can. 38. Presbyteri, et diaconi absque voluntate Episcopi nihil peragunto: ipsius enim fidei populus Domini commissus est.* — (4) Trid. *in cap. quia 6. sess. 21. de reform. can. Ecclesias 1. C. XIII. qu. 1*, Gaudent. *cap. 3. dub. 3. sect. 6. num. 39.* Videsis tract. *de beneficiis cap. 23., et ult. num. 31. ad 34.*

(5) Trid. *in cap. cum praecepto 1. sess. 23. de ref.*

(6) Ex novissima *const.* die 29. Aug. 1744., Benedicti Pp. XIV., *cum semper* 103. *to 1. Bullarii sui.* Eaque sublatum est discrimen, quod inter pinguem, et tenuem congruam facere consueverat S. Congregatio Concilii, ut ad quotidianam Missae parochialis applicationem in primo casu Parochos obstringeret, secus in altero. Praeterea mandatum Episcopo dioecesano, ut pauperibus parochis indulgeat eleemosynas a pio benefactore oblatas pro applicandis sibi festivis Missis, eo tamen *pacto*, ut aliis intra hebdomadam diebus tot alias pro populo ap-

specialis fructus Sacrificii applicatione probe accipiunt celebrantes, sibique tribuat inopi serviens parochiae: quum onus istud subire cogatur, non secus, quam vir matrimonii onera fert omnia, quamvis uxorem duxerit pauperrimam.

XI. *Praedicationis officio* debet sermonem de rebus divinis ad populum habere cunctis dominicis saltem diebus, Quadragesimae vero, et Adventus tempore ter ad minimum in unaquaque hebdomada, praetereaque pueros festis omnibus diebus rudimenta fidei docere (1). Et quamvis mos inoluerit, ut Episcopi ad parochiales Ecclesias concionatores quotannis mittant vices Parochorum in Quadragesima suppleturos: si quando quis Parochorum velit suum per sese munus eo tempore obire quotidie, subsidiaria extranei praedicatoris missio cessabit (2). Huc refertur munus praenunciandi quum festos dies, indulgentiasque, tum vigilias per hebdomadam incidentes (3), cetera, quae emerserint, praecepta Ecclesiae, ea ut plebis ignorantia ne violentur.

XII. *Sacramentorum administratio* post Episcopos adeo propria Parochorum est, ut non modo sanxerit concilium Lateranense (4) omnem utriusque sexus fidelem ei tanquam proprio Sacerdoti peccata sua semel ad minus quotannis confiteri debere, ab eoque Poenitentiam, et Eucharistiam in Paschate accipere, sed Tridentinum insuper monuerit ab eo solo Sacramenta generatim (exceptis Confirmatione, et Ordine) licite suscipi (5). Nihilo tamen minus quum privilegia Regularium, et frequentes Episcoporum concessiones quamplurimos extra ordinem ministros Sacramentorum invexerint: ab iis etiam, quoties concessionum fines non excedunt, probe suscipiuntur.

XIII. Ab hoc speciatim munere *iura* profluunt, quae solis attributa sunt parochialibus Ecclesiis videlicet habendi *fontem baptismalem*, quae idcirco *matrices* appellantur, quia filios quotidie spirituales aqua, et Spiritu Sancto regenerant: servandi sacra item olea cathecumenorum infirmorumque; publica communionis annuae testimonia edendi, libros baptizatorum, coniugum (6), mortuorumque retinendi, et futura pu-

plicet; et festivae nonnisi in Ecclesia parochiali celebrentur. Haec Benedicti XIV. constitutio hoc in regno fuit regio placito promulgata, et Regis Caroli rescripto ad Curiam Capellani Maioris dato die 3. Octobris 1745.

(1) Trid. *in cap. 4. sess. 24. de reform.* Quinto abhinc saeculo placuit synodo Valensi I. in Gallia *can. 2., ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus* parochiis verbum faciendi *daret* presbyteris *potestatem*. Exinde ad alias regiones eadem est facultas propagata. Munus Parochorum, ut doctrinam christianam populos doceant, praesertim pueros, et rudiores, utque inferiores pastores in ea re studeant Episcopi dirigere, eosque simul coadiuvare ludimagistri, patresfamilias, piae feminae, laicique probi, ac sodalitates utriusque sexus, presbyteri etiam rurales non curati, methodum quoque tradendi rudimenta fidei, usumque libelli Cardinalis Bellarmini, luculenter exponit, iubique Benedictus XIV. in *const. etsi minime 42., to. 1.* Bullarii, regio placito die 5. Aprilis 1745. munita, et publicata.

(2) De qua superius dictum *tit. 18. de Episcopis num. 12.*, ibique *in notis.*

(3) Trid. post *sess. 25. de reform. in cap. de delectu* ciborum, ieiuniis, et diebus festis.

(4) Innoc. III. *in cap. omnis utriusque sexus de poeniten., et remiss.*

(5) Trid. *in cap. quoniam 13. sess. 24. de reform.*

(6) Trid. *cap. 1., et 2. sess. 24. de reform. matr.*

blicandi matrimonia, et ordinandorum nomina. Adhaec accedunt *functiones*, ut aiunt, *parochiales*, puta sponsos coelibes in Missa benedicere, et puerperas primo templum ingressuras, fontem quoque baptismalem, candelas in festo Purificationis B. M. V., cineres, palmas, domosque sabbato sancto: processiones cum stola ducere non modo statis diebus, sed adventitias etiam publicarum supplicationum, et funebres: cadaveribus fidelium, ante quam efferantur, benedictionem impertiri (1). Istis onerosis quidem muneribus, iuribus, functionibus respondent vicissim *stolae* utilia iura, seu emolumenta ex consuetis oblationibus modo voluntariis, modo necessariis obvenientia Parocho, intuitu laboris personalis, canonicisque portionibus quartae funerariae, primitiarum, decimarumque, ut congrua parochiali, quae ubi annuos ducatos centum non excesserit, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum gravari potest (2). De omnibus dicendum fusius in sequenti libro. Hoc unum hic generatim praenotare sufficiat, iura quaelibet Parochorum hodie non communi, certoque iure, sed particularibus locorum institutis, et moribus, synodorum etiam, et visitationum episcopalium decretis esse plerunque definienda.

XIV. Quoadusque perstitit communis clericorum vita canonica, quidquid ex oblationibus, primitiis, decimis, statisve redditibus olim singulis obveniebat Ecclesiis, in commune cathedralis Ecclesiae aerarium importabatur: ex eoque quantam iussisset Episcopus portionem, ab Oeconomo, vel Archidiacono accipiebant vel diurnam, vel menstruam, vel annuam singuli presbyterorum ad parochias etiam quum urbanas, tum rurales ablegati (3). Istos quidem presbyteros, quia maxime laborant verbo, et doctrina, *duplici honore*, idest portione alimentorum dignos renunciavit Apostolus ad Timotheum scribens (4).

(1) Barbosa *de offic.*, *et potest. parochi par.* 1. *cap.* 12.

(2) Trid. *in cit. cap. quoniam* 13. *sess.* 24. *de reform.*

(3) In *can.* 4. vulgo Apostolorum ita cautum. *Omnium primitiae Episcopo, et presbyteris domum mittantur, non super altare: manifestum est autem quod Episcopus, et presbyteri inter diaconos, et reliquos clericos eas dividunt.* Rursus *can.* 37. *Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et eas dispensato, quasi inspectante Deo.* Et *can.* 40., *ut Episcopus res Ecclesiae in potestate habeat . . et pecunia illius arbitratu dispensetur.* Synodus Gangrensis in Ponto an. 324. *can.* 7. ideo sanxit: *Si quis vult fructus Ecclesiae oblatos accipere, vel dare extra Ecclesiam, praeter Episcopi sententiam, vel eius, cui cura eorum tradita est, anathema sit.* OEcumenicae synodo Chalcedonensi anno 451. placuit *can.* 26., ut omnes Ecclesiae episcopales Oeconomum haberent, res Ecclesiae cum arbitrio Episcopi curaturum, veluti testem episcopalis earum dispensationis, *can. quia in quibusdam* 4. *dist.* 89: de cuius officio loquitur *l.* 14. *C. de sacros. Eccles.* Theodorus Lector *lib.* 1., Marcianum Ecclesiae Constantinopolitanae primum Oeconomum a Gennadio designatum anno 460., ut cuique Ecclesiae oblata distribueret eiusdem clericis, tradit Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 31. in fin. *Est autem*, ait, *eius loci* (puta Rinocurarae in Aegypto) *clericis communis domus, et mensa, reliqua denique omnia communia.* Videsis quae dixi in *tract. de Benefic. eccles. cap.* 1. *de orig. Benef.* scilurus quomodo, et quando desiverit reddituum communio.

(4) *Ep.* 1. *ad Timoth. cap.* 5., *et lib.* 2. *const.* vulgo *Apostolorum cap.* 28.

XV. Ea redditurum communio in causa fuisse videtur, ut quisque ferme Episcopus ex ipso matricis primariae Clero ad urbicas, et suburbanas parochias delegaret presbyteros, clericosque alternis vicibus, amoveretque inde suum ad libitum (1): in oppidanis vero Ecclesiis municipes earundem firmius instituerent (2). Hinc repetenda prima est origo parochialis curae Capitulis, et monasteriis cathedralium adnexae, processu temporum ad collegia, et coetus ecclesiasticos oppidorum maxime propagata.

XVI. Distracta ecclesiasticorum fructuum communione in quatuor partes primum, deinde in precarias (3) praediorum concessiones modo revocabiles, modo perpetuas arbitrio Episcoporum, ad extremum in perpetua beneficia cum irrevocabili iure, quod lex generalis firmavit, ea tuto ad vitam possidendi: suos sibi unaquaeque Ecclesia redditus fundorum, oblationesque retinuit, quibus singuli ei inservientes solum fruerentur presbyteri, clericique, eo pacto, ut tertiam sibimetipsis vindicarent, alteram Ecclesiae, aliam pauperibus portionem distribuerent, Episcopo non aliud nisi duos solidos ob honorem cathedrae, sive pro iure cathedratico quotannis persolverent (4). Sic parochiale officium singulis eodem perpetuo iure conferri coeptum una cum adnexo beneficio.

XVII. Oppidorum inopia quum saepe par non esset alendis Parochis, construendisque suis Ecclesiis, ut ad utramque rem ditiores viri, et magnates allicerentur, consueverunt sensim Episcopi fundatoribus Ecclesiarum, eorumque heredibus inter alia patronatus iura indulgere facultatem offerendi, seu praesentandi presbyteros, clericosque in eisdem instituendos, quae vim obtinuit magnam sexto abhinc saeculo (5). At nonnullos tunc etiam prava cupiditas eatenus traxit, ut suis in possessionibus Ecclesias aedificare satagerent, eo solum animo, ut religiosas populi oblationes ex aequo dividerent cum sacris earundem ministris (6);

(1) Id in more positum in Romana Ecclesia saeculo quinto, indicat Innocentius I. *ep. ad Decentium cap. 5.*, scribens sese die dominico consuevisse ad presbyteros Ecclesiarum intra civitatem fermentum ab ipso confectum per acolythos mittere, ut semetipsos, propter plebem sibi concessam absentes, non judicarent a communione Episcopi sui separatos. Idem in Ecclesia Constantinopolitana viguisse patet ex Iustiniani Nov. 3. *cap.* 1: Alexandriae tamen quod singulis Ecclesiis *suus* cuique praepositus esset presbyter, testatur Epiphanius *haeresi 6. cap. 1.*

(2) Ex paulo ante dictis *num.* 4. ibique in notis. Ut vicani presbyteri *non possint in Dominico urbis offerre, praesente Episcopo, vel* urbis presbyteri decrevit synodus Neocaesariensis in Ponto an 314., *can. 13.* Unde apparet non consuevisse ad oppidorum plebes mitti presbyteros urbanos, et mobiles.

(3) De quibus plures canones habet Gratianus in *can. precariae 44.*, *et can. saepe fit. 72. C. XII. qu. 2.*, et textus decretalium in *cap. 1. et seqq. de precariis*, et nonnulla dixi in *tract. de beneficiis cap. 9. de beneficiariis num. 5. et seqq.* Inde primam beneficiorum speciem deducit Spondanus *in epitome ad annum 506. num. 6.*

(4) Ex Conc. Bracaren. II. an. 572. in *cap. placuit 1. C. X. qu. 3.* Emeritensi an. 666., Toletan., Cabilonen., ceteris eadem *C. et qu.* relatis.

(5) Ex canonibus, legibusque, quas recensui in *tract. de iurepatronatus cap. 1. num. 17., et seqq.*

(6) In eos ita sanxit conc. Bracarense II. *can. 6. Si quis basilicam non pro*

manusque irreligiosas ad alia sacerdotum iura extendentes, non dubitarent presbyteros de Ecclesiis eiicere, aliosque adsumere ad libitum, sine iudicio Episcopi (1). Submotis deinde, expiatisque sacrilegis patronorum usurpationibus, restituta in integrum sunt iura Episcoporum, nedum in liberis Ecclesiarum, et beneficiorum collationibus, sed institutionibus etiam obnoxiis patronatui quum laicali, tum ecclesiastico.

XVIII. Patronatum ecclesiasticum collegiis, monasteriis, Capitulisque plus peperit adnexa cura paullo ante investigata, quam voluntas fundatorum. Quo tamen in loco esset parochialis cura non uni personae, sed toti collegio Canonicorum, aut Regularium, vel Clero oppidano commissa: ibi necesse fuit, ut universis curam *habitu* obtinentibus, singuli *actu* eam exercerent alternis, uti mos fuit olim. Postea recentior beneficiorum perpetuitas Innocentium III. (2) adduxit ad hanc edendam in concilio Lateranensi constitutionem, ut quaelibet parochialis maiori Ecclesiae adnexa idoneum, et *perpetuum* habeat *Vicarium* canonice institutum, congruam ex ipsius Ecclesiae proventibus portionem accepturum. Patribus autem Tridentinis (3) placuit, ut Ordinarii locorum, ubi curata beneficia cathedralibus, aliive Ecclesiis, aut monasteriis unita invenerint, *sollicite provideant, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi aliter expedire videbitur, animarum cura exerceatur*, quibus tertiam fructuum partem, aut maiorem, vel minorem suo adsignent arbitrio.

XIX. Ne tamen plus aequo ea in re excurrat arbitrium: S. Pius V. (4) iussit congruam perpetuis eisdem Vicariis fore, nec ultra centum, nec infra quinquaginta scutos adsignandam. Qui tamen ad curam animarum exercendam, quoad Parochus infirmitate, imperitia, morum culpa, absentia, decessu, aliave quavis causa defecerit, adsumuntur Vicarii non perpetui (5); eis Episcopus quantitatem portionis arbitrabatur, nedum pro indigentia, et meritis personarum, sed pro modo etiam reddituum (6).

devotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis aedificat, ut quidquid ibi de oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividat..... nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat.

(1) Quod execrati maxime sunt Patres in synodo Toletana IV. an. 633. in *can. noverint X. qu. 1.*, et Arelatensi II. an. 313., Leo IV. post. annum 847. in *ep.* ad Episcopos Britanniae in *can. regenda 4. eadem C. et qu.*, Nicolaus II. in Romana synodo an. 1059. *can. 3.*, Gregorius VII. in Romana an. 1074. *can. 1.*, Urbanus II. in Melphitana an. 1090. *can. 8.*, Calistus II. in Lateranensi I. an. 1123. *can. 4.*, *et* 7. ceteri.

(2) Innoc. III. in *cap. extirpandae 30. de praeben.*, *et dignit.*

(3) Trid. in *cap. beneficia 7. sess. 7. de reform.* Hoc utique decretum sat innuit Regulares exercendae curae addictos adhuc pro ea subiici dioecesano Episcopo, eique rationem reddituros: in quod diu ante Urbanus II. an. 1088. iam caverat in *can. sane quid monachorum 6. C.* 16. *qu.* 2., sed apertius Trid. in *cap. in monasteriis* 11. *sess. 25. de Regular.*

(4) S. Pius V. in bulla *ad exequendum 47. to.* 2. Bull. Cherubini.

(5) Luc. III. in *cap. de rectoribus 3. de cler. aegrot.*, *vel debili.* Trident. in *cap. quia illiterati 6. sess.* 21., *et cap.* 1. §. *eadem omnino sess. 23. de reform.*

(6) Fagnan. in *cit. cap. 3. de cleric. aegrot. num.* 11. Qui monet *seqq. num.* 35. titulum, possessionemque legitimam parochiae fructuum non Coadiutoribus eiusmodi, seu Vicariis, sed coadiutis ipsis fuisse non semel adiudicatam a Rota *dec. 410. num. 5. par. 4. rec.*, et alibi.

XX. Curam animarum adepturos oportet, non modo 25 aetatis annum saltem attigisse, verum etiam esse virtute, moribus, doctrina praestantiores. Enimvero, quamvis beneficiorum sine cura collationes, quae personis utcumque dignis, posthabitis plerunque dignioribus, fiunt, firmas habeant humana iura: lex Tridentina (1) multis corroborata constitutionibus Sedis Apostolicae nullatenus patitur quoslibet alios, nisi digniores ad parochiales curas promoveri, praevio concursu, sollemnique omnium competitorum examine coram tribus saltem examinatoribus, ut aiunt, synodalibus, et dioecesano Episcopo, vel eius Vicario generali peragendo. Formam concursus ab ipsa Tridentina synodo praescriptam, ut eius usum facerent expeditiorem, declarare, et ampliare censuerunt Pius V. (2), Clemens XI. (3), et Benedictus XIV. (4), vi solummodo devolvendi, non suspendendi iudicium appellationi concessa. Itaque ab irrationabili Episcopi, et examinatorum iudicio ad Metropolitanum, aut Sedem Apostolicam reclamantes, non impediunt, quominus ei, quem Episcopus in concursu praeferendum iudicaverit, detur possessio parochiae: aliudque ii fere non consequuntur appellationis beneficio, nisi ut sibi maculam repulsae, ac reprobationis detergant, ostendantque suam novo experimento virtutem (5).

XXI. Hac lege solvuntur Ecclesiae iurispatronatus laicorum duntaxat. Ad eas porro quem intra quatuor menses a die vacationis praesentaverint patroni suum ad libitum, Episcopus cum examinatoribus in synodo designatis, si publico examine sine concursu invenerit idoneum, omnino instituet. At patroni ecclesiastici vix inter adprobatos ab eisdem examinatoribus concurrentes, episcopali edicto ad examen convocatos, possunt ac debent digniorem eligere, eumque instituendum Episcopo praesentare (6). Episcopus autem, id quod rescripsit ad Archiepiscopum Florentinum Benedictus XIV. (7), iudicium patroni ecclesiastici in delectu, et praesentatione dignioris, quoties de iniuria nemo competitorum conqueritur (8), nequit plane non exequi: sed aliquo ipsorum reclamante, utique facultatem habet inquirendi, rectum ne, an iniurium illud fuerit (9). Et quoties electum a patrono Episcopus tunc instituere non abnuat, appellationi exinde locus erit in devolvendo tantum iudicio: secus ubi Episcopus a patronis dissentiens non digniorem esse iudicaverit ab eis electum: huius enim appellatio in suspenso relinquet omnia usque ad extremam causae definitionem.

(1) Trid. *in cap. expedit* 18. *sess.* 24. *de reform.* Fusius ea de re dixi in *tract. de beneficiis cap.* 10.
(2) S. Pius V. in bulla *in conferendis* 33. edita 15. Kal. April. 1567.
(3) Per litteras S. Congr. Conc. datas die 10. Ian. 1721.
(4) Bened. XIV. in *const. cum illud* 68. *to.* 1. Bullarii sui.
(5) Bened. XIV. in *const. redditae nobis* 4. *to.* 2. Bullar. Massobr. in *prax. habendi concurs. requis.* 5. *dub.* 4.
(6) Trid. in *cit. cap. expedit.*
(7) Bened. XIV. in cit. decretali *redditae nobis* 4. *to.* 2. Bullarii.
(8) Eo casu locum habet, quod monet Fagnanus in ms. commentario super *cap.* 18. *sess.* 24. *de refor.* laudatus in antedicta decretali.
(9) Hoc ipsum ante placuit. Pio V. in *cit. const. in conferendis.*

XXII. Vicarios curatos quum mobiles, tum perpetuos sine concursu quidem adsumi, sed non sine permissu, et examine Episcopi, sat innuit synodus Tridentina (1), quum sanxit, ne ad parochias regularibus monasteriis adnexas *aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de* Episcopi dioecesani *consensu, ac praevio examine* per eum, aut eius Vicarium faciendo. Idipsum firmavit Benedictus XIV. (2). Quosvis profecto adiutores quisque sibi Parochus cum Episcopi adprobatione deligit (3) sine ulla spe successionis.

TIT. XXXI.

De presbyteris diaconis ceteris inferiorum ordinum clericis.

I. Vetus Sacerdotium solis de sanguine Aaron, et Levi descendentibus Lege divina mandatum Christus Dominus ad sacros tantum ministros apostolica manuum impositione initiandos transtulit.

II. Universos Christi fideles etiam laicos fungi Sacerdotio blasphemavit Lutherus.

III. Hierarchiam vero ex Episcopis, presbyteris, et ministris rite ordinatis in Ecclesia consistere, a laicis seiunctam docet fides catholica.

IV. Sacra Parochorum munia omnes olim presbyteri obibant vi potestatis, quae Sacerdotio singulis traditur.

V. Novo nunc iure multiplicatis plus aequo presbyteris, vix licet Sacrificia Missarum celebrare, nisi cum officio parochiali, vel mandato Episcopi habeant facultatem exercendi alia suscepti ordinis ministeria.

VI. Ad presbyteratum requiruntur aetas XXV. annorum, morum probitas, et scientia.

VII. Diaconi stricta notione dicuntur ministri Sacerdotum, et Episcoporum.

VIII. Eos Apostoli ordinarunt ad ministerium, non ad Sacerdotium.

IX. Multa gerunt in solemnibus Sacrificii, et Sacramentis, et divinis officiis. et plura possunt Episcopo mandante agere.

X. AEtas XXIII. annorum in diaconis, XXII. in subdiaconis ordinandis nunc requiritur.

(1) Trid. in *cap. in monasteriis 11. sess. 25. de Regular.* Card. de Luca *de benefic. in summa num. 328.*

(2) Bened. XIV. in *const. quamvis 1. to. 2.* Bullarii sui, data die 24. Febr. 1746. pro Episcoporum iurisdictione in parochiis Regularium apud Indos.

(3) Trid. *in cap. 1. sess. 23. de reform., et cap. 11. sess. 25. de Regular.*

XI. Diaconatus ordo coniunctos implicite habuit olim hypodiaconos, et minores etiam subministros.

XII. Multos, et varios Levitarum gradus antiqua etiam Lex divina instituit, subiectos Sacerdotio Aaronico.

XIII. Subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores prisca etiam Ecclesia ab initio explicitos habuit.

XIV. Plura latini, quam graeci subdiaconi ministrant.

XV. Hypodiaconatum graeci inter minores ordines a coelibatus lege immunes accensent, latini inter sacros legitimo coniugio expertes.

XVI. Sacris Ecclesiae ministris lex humana uxores interdixit.

XVII. Patres Nicaeni ab ea ferenda lege Paphnutio suadente abstinuerunt.

XVIII. Ecclesiasticum coelibatum priscis moribus potius arbitrarium S. Leo M. imperavit generatim subdiaconis, in Episcopis firmavit speciatim Iustinianus.

XIX. Graecis diaconis, et presbyteris Quinisexta synodus uxores ante diaconatum ductas indulsit, Episcopis vetuit.

XX. In utriusque Siciliae provincias invectam Graecorum disciplinam reformarunt Pelagius II., S. Gregorius M., et Urbanus II.

XXI. Ordinatos in sacris clericos lex, professos Regulares votum obstringit ad coelibatum.

XXII. Iique recitationem divini officii quotidianam omittentes peccant graviter, suosque non faciunt beneficiorum fructus pro rata.

XXIII. Singulis clericis gradatim, per saltum nemini licet ad Sacerdotium ascendere.

XXIV. Per tonsuram ritu antiquissimo clerici aditum habent ad ordines ecclesiasticos.

XXV. Coronati dicebantur ex corona olim tonsili, et varia, nunc rasili, quae per gradus ordinum ampliatur.

XXVI. Tonsura sine fraude fori initientur uncti chrismate, tum fidei doctrina, et litteris imbuti.

XXVII. Titulo Ecclesiae olim omnes, clerici plerique nunc patrimonii titulo ad ordines promoventur.

XXVIII. Reformatio Tridentina necessarios, et utiles tantum Ecclesiae ministros ordinari ad titulum sufficientis beneficii, vel pensionis, aut congrui patrimonii permittit.

XXIX. Ex beneficii fructibus dioecesanam sacri patrimonii taxam aequaturis, an sint stipendia Missarum detrahenda, Episcopus arbitrabitur.

XXX. Ex lege Concordatorum patrimonium nec minus ducatis

24., nec maius 40., vel beneficium aut pensionem, quod, quaeve patrimonii medietatem aequet, debent Tonsura initiandi habere.

XXXI. Nec non triennium in Seminario degere, vel triennalem Ecclesiae famulatum cum veste clericali gerere, nisi arctati ad beneficium sui patronatus quum activi, tum passivi fuerint.

XXXII. Impuberes Tonsura, nonnisi praevia Pontificis et Regis dispensatione initiatur, exceptis septennibus arctatis ad beneficia iurispatronatus ante concilium Tridentinum fundata.

XXXIII. Laici etiam iura nunc sua experiuntur cum clericis competitoribus beneficiorum iurispatronatus.

I. Quum hebraeorum Sacerdotes, Levitaeque solo ex sanguine Aaron, et Levi in unam tribum eo selecti a D. O. M. sint, ipsum ut cruentis sacrificiis, hostiisque pacificis propitiarent, quas nefas esset profano populo unquam attrectare (1) : nemo, qui mens sit sana, dubitaverit Sacerdotium vetus non ad omnes promiscue christianos, sed ad solos novi Testamenti presbyteros translatum a Christo Domino fuisse (2), tradita his unis potestate quum consecrandi, et offerendi Corpus, et Sanguinem eius incruento sacrificio, tum remittendi, retinendique peccata. Aeternus enim Sacerdos ipse simul ac in nocte coenae novum instituit Sacrificium, solis Apostolis, quibusque ii sua manuum impositione gratiam divinae ordinationis daturi essent, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* (3). Tum post resurrectionem iisdem, non aliis ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (4). *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes* (perpetua scilicet successione collati ordinis), *idcirco, quod morte prohiberentur permanere: Christus autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium*, tradit Apostolus (5).

II. Deliravit insanus quidem Lutherus nullum esse in Ecclesia Christi Sacerdotium externum, quo sacri solum fungantur quotidie ministri: sed invisibile tantum, et spirituale universis christicolis communiter collatum beneficio fidei. Suumque deliramentum ex eo probari contendit, quod divus Petrus omnes electos ad fidem advenas allocutus (6), *et ipsi tanquam vivi lapides*, ait, *superaedificamini in* Sacerdotium *sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum... Vos autem genus electum, regale* Sacerdotium, *gens sancta, populus*

(1) Enim vero cum Ozias ingressus templum Domini adolere tentasset incensum super altare thymiamatis, spretis sacerdotibus ad huiusmodi ministerium consecratis, eum lepra in fronte statim Dominus percussit, 2. Paralip. *cap. 26. vers.* 16. *et seqq.* — (2) Ex *ep. ad hebraeos cap. 7. per tot.*

(3) Matth. *cap. 26. v. 26.*, Marci *cap.* 14. *v.* 21, Lucae *cap. 22. v.* 17. Paulli 1. *ad Corinth. cap.* 11. *v. 24. et 25.*

(4) Ioannis *cap. 20. vers. 22., et 23.* Matt. *cap.* 18. *vers.* 18.

(5) *Ep. ad hebraeos cap. 7. vers. 23. et* 24.

(6) *Ep.* 1. Petri *cap. 2. vers. 5., et seqq.*

adquisitionis . ut virtutes annuncietis eius , qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum. Idipsum iisdem fere verbis expressit divus Ioannes (1).

III. Numquid vero ista Principis Apostolorum verba demonstrant non traditam Apostolis , et Sacerdotibus a Christo Domino specialem potestatem consecrandi Corpus , et Sanguinem ipsius , et peccata solvendi? Minime gentium : sed vix innuunt Christi fideles solo Baptismo initiatos habere facultatem offerendi hostias tantummodo spiritales per Iesum Christum, puta preces, virtutum actus, et bona quaevis opera, Deum merito fidei sacramentalis propitiantia : vel etiam , ut mea fert sententia , offerendi *spiritu* , et animo concordi eandem Christi hostiam purissimam , quam Sacerdotes *re* sacrificant , Deoque viventi quotidie immolant *pro suis primum , deinde pro populi delictis* (2). Hoc tamen baptizatis omnibus *commune Sacerdotium* (voce scilicet impropria , et translata per similitudinem ita dictum) nil prorsus efficit , quominus in Ecclesia alterum sit *Sacerdotium speciale* , idque *verum*, ac *proprium*, sacris duntaxat , selectisque personis rite concreditum apostolica, et episcopali manuum impositione sine ullo sanguinis nationisve discrimine , quod pro veteri extincto creatum reapse a Christo fuisse Apostolus hebraeos informavit luculentissime. Caecus itaque caecorum dux Lutherus duplicem , diversamque vocabuli significationem , ut incautos seduceret, turpiter miscuit. *Sed insania est* , inquam cum divo Chrysostomo (3), *despicere Sacerdotium , sine quo neque salutis , neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si non potest quis in regnum caelorum ingredi , nisi per aquam , et Spiritum regeneratus fuerit ; et qui non manducat Carnem Domini , et Sanguinem eius non bibit, aeterna vita privatur; omnia autem haec, haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur , manus inquam Sacerdotum: qui fiet, ut citra illarum opem, aut gehennae ignem evitare quis possit, aut repositae in Coelo coronae praemia assequi ?* Catholicam hanc doctrinam Ecclesiae propugnans Tridentina synodus contra nefarios protestantium impetus execrata est eos, qui ecclesiasticam hierarchiam Episcopis , presbyteris, et ministris constantem , divinaque ordinatione fundatissimam miscere non verentur , dum somniant omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos : vel negant esse in novo Testamento Sacerdotium visibile , et externum (4).

IV. Sacerdotem oportet *offerre*, *benedicere*, *praeesse*, *praedicare*,

(1) Apocalypsis *cap. 5. vers.* 10., *et cap. 20. vers. 7.*, ibi: *Sed erunt sacerdotes Dei , et Christi , et regnabunt cum eo mille annis.* Haec verba exponens S. Augustinus *lib. 20. de Civit. Dei cap.* 10 *: non utique* (ait) *de solis Episcopis , et presbyteris dictum est, qui* proprie *iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes : sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma , sic omnes Sacerdotes , quoniam membra sunt unius Sacerdotis , de quibus Apostolus Petrus* , plebs , *inquit* , sancta , regale Sacerdotium.

(2) *Ad hebraeos cap. 7. vers. 27.*

(3) S. Io. Chrysost. *lib. 3. de Sacerdotio.*

(4) Trid. *sess. 24. de Sacram. Ordinis cap. 1., et 4., can. 1., et 6.*

et baptizare, ut quemque in actu ordinationis admonet Episcopus. Cuncta enim haec munia actu obibant primitivi Ecclesiae presbyteri, adeout eorum nemo ad Sacerdotii gradum sine cura animarum, titulo-que Ecclesiae, in qua eam actu exerceret, promoveretur. Chrysostomus (1) ideo monuit colendos maxime presbyteros esse, quod ii animarum periculum, curamque sustinerent, quam detrectare nefas ipsis erat. Et Augustinus (2) reprehendit illos, qui nollent eiusmodi officium subire, *desidiosam praetendentes excusationem nolle se rationem reddere de peccatis alienis*. Synodus hinc Antiochena (3) presbyteros generatim appellavit *collegas*, et *comministros Episcoporum*, et Chrysostomus (4) *compastores*. E contrario Cyprianus (5) eos presbyteros redarguit, *qui nec Evangelii, nec loci sui memores, neque sibi, praepositum Episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum erat, cum contumelia, et contemptu praepositi totum sibi vindicarent*. Nec mirum, quia prioribus saeculis ad Sacerdotii, sacrique ministerii gradus singulos non extollebantur, nisi qui statim, vel curam animarum susciperent, vel Ecclesiae, cuius quisque titulo ordinabatur, actu famularentur.

V. Sequiora deinde tempora otiosos, et presbyteros, et diaconos, clericosque sensim induxere. Zosimus ad solium pontificium elatus anno 417. palam redarguit aevi sui Episcopos, qui praeter necessitatem Ecclesiarum presbyteros multiplicarent ostentandi studio immoderatam subditorum pompam (6). Idem nihilominus plus crevit abusus exinde, quod plurimis Ordines sine canonico praebendarum, Ecclesiarumque titulo conferre coepissent: id quod inani ferme exitu vetuit oecumenica synodus Chalcedonensis (7) anno 451., Iustinianus (8) anno 535., et Alexander III. in concilio Lateranensi (9). Enim vero tolerandos eiusmodi vagos, nullique titulo adfixos presbyteros, et clericos duplex novae disciplinae ratio suasit. Primum, ne fidelibus innumeris quotidie Missarum copia deficeret, deinde, ut quo plurium esset vita clericalis diu explorata, eo feliciorem haberet eventum delectus digniorum ad vacaturas parochias, praebendas, et dignitates. Hinc patent causae, cur presbyteri simplices, quam sibi sacerdotali charactere collatam habent potestatem baptizandi, praedicandi, benedicendi, remittendique peccata poenitentium, nequeant actu exer-

(1) S. Io. Chrysost. *in Evang. Ioan. hom. 85.*

(2) S. August. *de fid., et operib. cap. 17.* Idemque ad Valerium Episcopum scribens *ep.* 21. conqueritur sibi vim factam, ut *secundus locus gubernaculorum* Sacerdotio traderetur sibi ipsi, eo quidem tempore, quo *nihil esse*. ait, *difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio.*

(3) Contra Paulum Samosatenum coacta an. 341., ex Euseb. *lib. 7. hist. cap. 24., et ep.* synodica ad Dionysium Papam, et ceteros Episcopos.

(4) Chrysost. *de divers. utriusque Testam. locis serm. de pseudoprophetis.*

(5) S. Cyprian. *ep. 10.*

(6) Zosimus *ep. 1.* ad Isichium Salonitanum Episc. in *can. si officia 2. dist. 59.*

(7) *Can. neminem* 1. *dist. 70., et cap. non liceat* 2. *de praebend.s*, ex corpore canonum Dionysii Exigui *cap.* 184., qui floruit aevo Iustiniani.

(8) *Nov. 3. de numero clericor. Constantinopol. Urbis*, seu *const. 5.* in Novellis per Iulianum translatis. — (9) *Cap. Episcopus 4. de praebendis.*

cere, nisi aliquem curae animarum titulum obtinuerit, vel speciale mandatum proprii Episcopi (1), aut Parochi: iisque suo vix iure licet Sacrificia Missarum peragere: Ut *nullus* autem *peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, et Sacramenta administranda admittatur*, synodus Tridentina decrevit (2).

VI. Presbyteros ante XXX. aetatis annum ordinari vetabant canones antiqui (3). Saeculo VIII. Zacharias indulsisse primus invenitur, ut exigente necessitate ad Sacerdotium sufficerent XXV. anni (4). Nec singulos hac aetate fore promovendos, sed dignos duntaxat, quorum probata vita senectus sit, decrevit Tridentina synodus (5). Πρεσβυτερος enim, idest *senior* potius dignitatis, quam aetatis vox est in Ecclesia (6). Iique insuper ad presbyteratus ordinem sunt ex Tridentina lege assumendi, *qui non modo in diaconatus ordine ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem, et necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta diligenti examine praecedente idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari* (7).

VII. *Diaconos* (idest ministros) in tertio, presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos scribit Optatus Milevitanus (8), ampliori usus notione vocum. *Tunc* enim *nomina*, uti Chrysostomus monet (9), *adhuc erant communia, atque ipse etiam* Episcopus *vocabatur* diaconus. De semetipso, aliisque Apostolis loquens Apostolus (10): *sic nos*, ait, *existimet homo*, ut ministros *Christi. Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei* ministros. Ad Timotheum Episcopum allocutus (11) inquit: *ministerium tuum imple.* Quoniam vero postulavit novi Sacerdotii dignitas amplissima, ut essent qui perinde, ac Levitae hebraeorum, servirent presbyteris, et Episcopis in altaris ministerio (12): ratio discriminis addixit eis, uti proprium diaconi vocabulum.

(1) Ex vetustissimo primitivae Ecclesiae more, quem superius detexi *tit. XXX. de parochis num. 8.* Trid. in *cap. quamvis* 15. *sess.* 23. *de ref.* aperte definivit neminem presbyterorum etiam regularem posse *confessiones* saecularium etiam Sacerdotum audire, nisi aut *parochiale beneficium*, aut ab Episcopo *approbatione* obtineat.

(2) Trid. in *cap. cum nullus* 16. *sess.* 23. *de reform.*

(3) Apud Gratianum *can.* 1., *et seqq. dist. 78.*, quos sequi non dedignatus est Iustinianus *Nov.* 123. *cap.* 13.

(4) *Can. si triginta 5., et ult. eadem dist. 78.*

(5) *Cap. nullus in posterum* 12. *sess.* 23. *de reform.*

(6) S. Isidor. in *can. cleros* 1. *dist.* 22.

(7) Trid. in *cap. qui pie* 14. *sess.* 23. *de ref.*

(8) Opt. Millevitan. *lib.* 1. *adversus Parmenianum de schism. Donatist.*

(9) S. Io. Chrysost. *hom. 1. in Philipp. cap. 1.*

(10) *Ep. 1.* ad Corinth. *cap. 4. vers. 1.*, et 2. ad Corinth. *cap. 6. vers. 4.*, atque ad Ephesios *cap. 3. vers. 7.*

(11) *Ep. 2.* ad Timoth. *cap. 4. vers. 5.*

(12) Trident. in *cap. cum autem 2. sess. 23. de Sacr. Ordin.* S. Isidorus

VIII. *Post ascensionem Domini in caelos, Apostoli sibi constituerunt diaconos episcopatus sui, et Ecclesiae ministros*, ut S. Cyprianus tradit (1); non modo in Ecclesia hierosolymitana, in quo septem diaconos Spiritu S. plenos elegerunt, communibus etiam mensis ministraturos, ut sic sedarent murmur Graecorum adversus hebraeos, aegre ferentium viduas suas a quotidiano ministerio segregatas (2): verum in aliis etiam per orbem Ecclesiis. Quandoquidem Apostolus ad Philippenses suam inscribit epistolam *omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis, et diaconibus*. Idemque Timotheum commonuit (3) *diaconos* (non secus, quam Episcopos) *esse debere pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium Fidei in conscientia pura, probandos primum, ut ministrent nullum crimen habentes, unius uxoris viros, qui filiis suis bene praesint, et suis domibus*. Eosque S. Ignatius martyr non ciborum, et potuum, sed Ecclesiae Dei, et mysteriorum Iesu Christi ministros nuncupat (4). Itaque *diaconi*, ut Nicaeni Patres iubent (5), *intra suas mensuras permaneant, scientes quod sunt quidem Episcopi* ministri, presbyteris *vero minores*. Nam ipsi *non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur* (6).

IX. Munera eorum summatim enumerat B. Isidorus (7). *Ad diaconum*, ait, *pertinet adsistere Sacerdotibus, et ministrare in omnibus, quae aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, in Chrismate, et patena, et calice: oblationes quoque inferre, et disponere in altare; componere etiam mensam Domini, atque vestire, Crucem ferre, et praedicare Evangelium, ad ipsum quoque pertinet officium precum, et recitatio nominum, ipse praemonet aures haberi ad Deum, ipse hortatur clare, ipse donat pacem, et ipse annuntiat*. Ad sollemniores liturgiae ritus antiquissimos referri mos debet iamdiu exoletus inferendi in altare oblationes fidelium (8), et offerentium nomina palam recitandi (9) ex sacris dyptichis (10),

lib. 2. cap. 8. de divin. offic. diserte affirmat Sacerdotem sine diacono nomen habere, non officium.

(1) S. Cyprian. *epist. 65.*, alias 3.

(2) Actor. *cap. 6. vers. 1., et seq.*—(3) *Ep. 1.* ad Timoth. *cap. 3. vers. 8.*

(4) S. Ignat. *ep.* ad Trallianos num. 2., et 3. ad Magnesios *num. 6.* ad Polycarp. *num. 6.* Erravit certe quidem Trullana synodus erratica *can. 16.*, dum ab apostolica traditione secedens, primum Apostolos *esse locutos non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usum mensarum adhibebatur.* — (5) Synod. Nicaena I. *can. 18.*

(6) Syn. Carthagin. IV. *can. 4.*, *et can. diaconus 11. dist. 23.*

(7) *Can. perlectis 1.* §. *ad diaconum dist. 25.*

(8) De quibus loquuntur *can. 3., 4., et 5. vulgo Apostolorum.*

(9) S. Cyprianus *ep. 9.*, alias 16., eos redarguit, qui ad mensam eucharisticam lapsos nondum acta poenitentia, et exomologesi admitterent, eorumque *nomen* offerrent. B. Hieronymus *comm. in Ezechielem cap. 18.*, itidem conqueritur, quod *publice diaconi in Ecclesia recitent offerentium nomina*, sibi fraudibus, et furtis, aliisque sceleribus consciorum. Innoc. I. in *can. de nominibus ult. de consecr. dist. 1.*

(10) Quinta Synodo in *can. sane 6. C. 24. qu. 2.*, et Cabilonensi II. in *can.*

puta tabellis simul et Episcoporum, personarumque illustrium tum viventium in signum communionis, quam in pace defunctorum. Quemadmodum et energumenos, poenitentes, cathecumenos ad concionem Episcopi, communesque preces ipsi sacri Ecclesiae praecones diaconi olim advocare, silentium indicere, infideles exinde eliminandos proclamare, fideles duntaxat ad Sacrificium, et synaxin, ceteris exclusis admittere, et re confecta dimittere consueverunt (1). Praeterea iussi eucharisticum Panem a Sacerdotibus confectum, et saepius Calicem Domini fidelibus distribuebant (2), praeterquam presbyteris (3). Sacra proinde vasa diaconis solis tangere licebat, praeterea nemini subministrorum (4). *Baptizandi* quoque facultatem aeque diaconis, ac presbyteris alicubi dabant, ubi vellent, Episcopi (5): quemadmodum et *praedicandi* (6), exemplo SS. Philippi, et Stephani, quos evangelizasse tradunt Acta Apostolorum (7); poenitentes urgente mortis periculo, si presbyter abesset, per exomologesin cum Ecclesia *reconciliandi* (8): clericos inferiores, et diaconissas *excommunicandi* (9), eosque in of-

visum 72. de consecr. dist. 1., consuetudo probatur commendandi in Missarum sollemnibus defunctos nedum recitatis, sed tacitis etiam nominibus eorum.

(1) Liquent haec omnia ex *lib. 8. const. apostol. cap. 5. et 6.*, Chrysostomo *hom.* 18. *ad Hebr. 9. et hom. 2. in ep.* 1. *ad Corinth.*

(2) S. Iustin. *apolog. 2. pag.* 91., S. Cyprian. *serm. de lapsis*, et S. Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 41., qui divo Laurentio diacono S. Xystum Papam dominici sanguinis *consecrationem* commisisse scribit, puta non sacerdotalem utique potestatem convertendi vini in Sanguinem, sed sacrum in consummando Sacramento, distribuendoque sub utraque specie ministerium, ut ea, quae subsequuntur continuo ipsius Ambrosii verba, explicasse videntur: *cui consummandorum consortium Sacramentorum* etc., eaque item alia, quae praecedunt: *nunquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Nam suis ipse manibus Xystus Domini Corpus distribuere, Sanguinem vero a semetipso confectum per diaconi manus dispensare suevit. Quare Baronius ad *an.* 261. *num. 7.* non *consecrationem*, sed *dispensationem* in eo Ambrosii loco monet esse legendum. Cuiusmodi emendationem sequi praestat, non ut scribentis, sed legentium error vitetur. Vel Ambrosio fortasse visus est diaconus sanguinem ideo consecrare, quod ante Sacramenti confectionem Sacerdos una, et diaconus calicem vino plenum uterque sustinentes, ut nunc etiam fit in sollemni Missa, offerrent dicentes: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*: hostiam vero solus Sacerdos offert aiens: *Suscipe S. Pater. . hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus* offero *tibi Deo meo vivo, et vero.* Propterea Cardinalis Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap. 25. num.* 4. sectatus fidem antiquorum codicum ms., aliorumque vulgatorum legit *consecrationem*, et ait: *huic lectioni nullatenus formidandae, aut corrigendae, sed omnino restituendae favet textus.*

(3) Id enim voluit Nicaena synodus I. *can.* 18.

(4) Synod. Laodicoena *can.* 21., et Agathens. *can. 66.* in *can. 26.*, et *30. dist.* 23.

(5) Tertull. *de Baptismo cap.* 17., S. Hieron. *cap. 4. dial. contra Luciferr.* Syn. Eliberitana can. 77., S. Cyrill. *cateches.* 17. *num.* 18. Quidquid aliter scripserit S. Epiphanius *haeres 79. n.* 4., et auctor *const. apost. lib.* 8. *cap. 38.*

(6) Synod. Vasens. III. *can.* 2., et Vigilius *ep. ad Rustic. et Sebast.*

(7) Act. Apost. *cap. 6.*

(8) Qua de re in *seq. lib. 2. tit. 8. de Sacr. Poenit. num.* 41.

(9) Const. vulgo apost. *lib. 8. cap. 28.*

ficio delinquentes *corripiendi* (1). Eleemosynas, obventionesque ecclesiasticas itidem curabant, ut iussu episcopali pauperibus, et captivis fidelibus dispensarent (2). Nunc Episcopo, et presbyteris divina ritu solemniori facientibus, et ministrantibus adsistunt ad ministerium : cetera vero eis munia diaconatus non licet sine speciali mandato Episcopi exercere.

X. Nonnisi annos XXV. nati olim inter diaconos cooptabantur (3). Sed Patribus Tridentinis placuit, ut ipsi non minores sint annis XXIII., hypodiaconi vero annis XXII. (4) puta incoeptis.

XI. An alios praeter diaconatum ordines Apostoli speciatim statuerint, quum sacrae prorsus sileant Scripturae : omnia fere ministeria Ecclesiae etiam inferiora diaconos generali vocabulo ita dictos obiisse, quoadusque *hypodiaconi*, *acolythi* (5), *exorcistae* (6), *lectores*, *ostiarii* propriis distincti sunt nominibus, et gradibus, traditum accepimus a divo Dionysio Areopagita. Hinc S. Ignatius (7) sine diaconis Ecclesiam non vocari, nullamque tunc esse scribit (8). Ministerium porro diaconi, ut genus in se continens omnes implicite species inferiorum Ordinum, eos explicite propagavit pro necessaria divini cultus dignitate, simul ac adolevit Ecclesia (9). Itaque *ab ipso Ecclesiae initio*, inquam cum Patribus Tridentinis (10), *sequentium Ordinum nomina*, *atque uniuscuiusque eorum propria ministeria*, subdiaconi *scilicet*, acolythi, exorcistae, lectoris, ostiarii *in usu fuisse cognoscuntur*, *quamvis non pari gradu ; nam* subdiaconatus *ad maiores Ordines a Patribus, et san-*

(1) Chrysostom. in Act. Apost. *hom.* 24., *et lib.* 2. const. ap. *cap. 57.*

(2) Cyprian. *ep. 49.* ad Cornel., Dionys. apud Euseb. *lib. 7. cap.* 11., et Const. apost. *lib. 2. cap.* 31.

(3) Syn. Agath. *can.* 16., Carthagin. III. *can. 4.*, Trullana *can.* 14., Toletana IV. *can. 20.* apud Gratianum. in *can. 5., et 7. dist. 77.*, Zacharias in *can. ult. dist. 78.* Iustinian. *Nov.* 123. *cap.* 13., Clem. *generalem de aetat. et qualit.*

(4) Trid. in *cap. nullus* 12. *sess. 23. de ref.*

(5) Ἀκόλουθος, *idest iunior assecla, pedissequus*, *famulus, comes ministrans :* non ut vulgus putat, *ceroferarius.*

(6) Ἐξορκιστής, idest *adiurator*, metu Religionis percellens, seu terrefaciens. S. Cyprianus *ep. 76.*, alias *69 ; hodie etiam geritur*, ait, ut per exorcistas *voce humana*, *et potestate divina flagelletur*, *et uratur*, *et torqueatur diabolus.* Iraenaeus *lib.* 2. *cap. 57.*, *in illius nomine*, *qui vere illius discipuli ab ipso accipientes gratiam... alii doemones excludunt firmissime.* Contestantur idipsum S. Iustinus *apol.* 1. *pag. 45.*, Origenes contra Celsum *lib. 7.* Tertullianus *de spectaculo cap.* 26., ceteri.

(7) S. Dionys. de *eccl. hierarch. cap. 3.* tradit : Diaconorum *alii stant ad portas clausas*, *alii aliud proprii ordinis operantur : alii autem Sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem*, *et benedictionis calicem.* Consonant const. apost. *lib. 8. cap.* 11. Euseb. *de martyre Palestin. cap.* 2.

(8) S. Ignat. *ep.* ad Trallian. *num. 3.*

(9) S. Thomas *in suppl. par. 3. qu. 37. art. 2.*, *in primitiva Ecclesia* (inquit) *propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur. Nihilominus erant omnes praedictae potestates*, *sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus*, *et Ecclesia, quod implicite habebat in uno Ordine*, *explicite tradidit in diversis.*

(10) Trid. in *cap. cum autem 2. sess. 23. de Sacr. Ord.*

ctis conciliis refertur, in quibus, et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

XII. Multiplices sacri ministerii gradus divina Lex antiqua praesignavit, dum distribuit diversa officia tribus familiis *Gerson*, *Caath*, *et Merari* filiorum Levi. Dominus enim iussit (1), ut filii Aaron soli Arcam Testamenti, et vasa Sanctuarii contrectarent, quae filii Levi non tangerent unquam, ne morerentur: sed involuta solummodo ea portarent progeniti familiae *Caath*, obtemperantes Eleazaro filio Aaron, ut ab eo singuli sua scirent onera: *Gersonitae* sub Ithamar sacerdote cortinas tabernaculi, tectum foederis, tentorium, omnia ad altare pertinentia, funiculos, et vasa ministerii: *Meraritae* tandem sub eiusdem sacerdotis potestate deferrent tabulas tabernaculi, vectes, columnas, bases cum paxillis, et funibus suis. Externus qui ad ministrandum accessisset, moreretur (2). Ex iisdem Levi filiis alii *cantores* in domo Domini, alii *custodes* vestibulorum, et *ostiarii* erant, aliis credita ministerii vasa, vel utensilia sanctuarii, vel panes propositionis. His addebantur *Nathinaei* (3) Levitarum subministri, et singuli stabant iuxta ordinem suum in ministerio (4). Quid ita? inquam. Quid solos Levi filios cuivis ministerio tabernaculi Deus ipse mancipavit, externos procul habuit omnino? Ut clericos nimirum solos, in aeterni Sacerdotis hereditatem sine sanguinis respectu ab Episcopis rite vocandos, Sacerdotio, et sacrificiis novi Testamenti famulaturos esse praemoneret. Quorsum tot illorum antiquos gradus, ordinesque distinxit, nisi ut hos novos delinearet? Si typus utrorumque divinus, si veterum ordinum divina certe institutio, si novos omnes in se implicitos habet diaconorum Ordo plane apostolicus: consequens est, ut a suis Ecclesia primordiis, nedum maiores, sed minores quoque clericorum Ordines habuerit, rèipsa iam tunc distinctos, deinde magis ex intervallo nominibus, ritibusque propriis explicitos (5). Cur non uni etiam, sed pluribus discipulorum, Petro speciatim, et Ioanni demandavit Christus Dominus, ut mensam in coenaculo pararent (6)? Quia eos oportuit quidem, antequam Sacerdotii acciperent potestatem, sacrum obire ministerium in coena sacratissima, ipsique Domino famulari novum Sacrificium celebranti. Quemadmodum et eosdem omnes ministerio eiiciendi doemones exorcismis pridem functos iam esse constat (7).

XIII. Disputant nihilominus in scholis ex novi Testamenti Scriptura-

(1) Numer. *cap. 4.*

(2) Numer. *cap. 1. vers. 5., et cap. 3. vers. 11., et 39.*

(3) I. Paralip. *cap. 6. vers.* 31., 32., *et 48., cap. 9., vers.* 19., 28., 29., *et 32.*

(4) I. Esdrae *cap., 7. vers. 7., et cap. 8. vers. 17., 20.*, ibi: *Dederat David, et principes ad ministeria Levitarum Nathinaeos ducentos viginti.* Qui lavabant hostias, ligna coesa, et aquam deferebant ad sarificia, ut fatetur gl. *in can. cleros dist.* 21. *ver. Nathinaei.* Eosque subdiaconis aequiparat S. Isidorus in *cit. can. cleros.*

(5) Vim Sacramenti Ordinis in Sacerdotio, et ministerio edisseram in *seq. libro II. tit.* 10.

(6) Matt. *cap.* 26. *vers.* 19. Marci *cap.* 14. *vers.* 13., *et seqq.* Lucae *22. vers. 8.* — (7) Matth. *cap.* 17. *vers.* 15., *et seq.* Lucae *cap. 3. vers. 39.*

rum silentio, Apostoli ne distinxerint inferiores diaconatu Ordines, an posteriori aevo Ecclesia? Amalarius diaconus Metensis (1) saeculo IX., scribit eos Ordines tantum, sine quibus non potest incruentum Sacrificium rite celebrari, scilicet sine Sacerdote, et diacono, ab Apostolo Paulo denominatos, tum *crescente Ecclesia* adiectos *inferiores*. Magistro Sententiarum (2) inde saeculo XII. visa est solos *diaconos primitiva Ecclesia* habuisse *: subdiaconos vero, et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi* constituisse. Sed an ultra aevum Apostolorum processerit tempus ecclesiasticae institutionis, neuter eorum dixisse videtur. Cunctos tamen iam dictos Ordines inferiores ab Apostolis institutos tenent, nonnullis id negantibus, plerique Doctorum gravissimi (3) priscam traditionem secuti. Enim vero aeque *hypodiaconos*, *acolythos*, *exorcistas*, *lectores* recensent, atque *diaconos*, *et presbyteros* SS. Cornelius, et Epiphanius (4), item auctor, vel vetustissimus constitutionum, et canonum Apostolorum (5), quique delitescunt sub nomine S. Ignatii (6), aliorumque Patrum primitivorum. Synodus hinc Tridentina *ab ipso Ecclesiae initio*, quod potius apostolico aevo, quam suppari, vel proximo congruit, cuiusque Ordinum inferiorum *nomina*, *propriaque ministeria in usu fuisse* cognovit.

XIV. *Hypodiaconi* munia in Ecclesia latina sunt, sacra vasa, calicem videlicet, ac patenam, panis hostiam, vinum, et aquam ad sollemne Sacrificium praeparare, paucasque aquae guttas in calicem, simul ac diaconus vinum immiserit, adfundere, epistolam canere, diacono inservire, eique Evangelium canenti librum sustinere, tum calicem, patenamque eidem ipsi ad aram deferre, linteum corporale, et linteola calicis, et purificationis abluere. Ritus vero Graecorum vix indulgent hypodiaconis sacra vasa parare in mensa propositionis, quum ea ipsi inde ad aram transferre prohibeantur (7).

XV. Ex hoc inter alia uno discrimine pulchre arguitur *hypodiaconatum* a Graecis adhuc inter minores Ordines, a Latinis inter maiores,

(1) Amalarius (qui *de eccles. seu divin. offic.* libros quatuor iussu Ludovici Pii edidit anno 827.) *lib. 2. cap. 6.* haec habet. *Notandum est eos Ordines, qui potissimum necessarii sunt in Ecclesia, Apostolum Paullum denominasse, et eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine Sacerdote, et diacono. Ut sine retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus ad ministranda ea, quae necessaria sunt Sacerdoti* : ceteri Ordines his adiecti sunt. *Crescente Ecclesia crevit officium ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiae subveniri posset, adiiciuntur inferiores* in adiutorio Praepositorum.

(2) Petr. Lombard. *sent. lib. 4. dist.* 24.

(3) Baron. *ad ann. 49. num. 78.*, Bellarmin. *de clericis lib.* I. *cap.* 11, Schelestrat. *in concil. Antioch. dissert. 4. cap.* 17. *art.* 2., ceteri.

(4) S. Corn. *ep.* ad S. Fabian. apud Euseb. *lib. 6. cap. 43.*, et S. Epiphan. *exposit. fid. num.* 21.

(5) Const. apost. *lib.* 3. *cap.* 11., et *lib. 8. cap.* 26., item Apost. *can. 69.*

(6) S. Ignat. *ep.* ad Antiochenos *num.* 12.

(7) Ex *can.* 21. synodi Laodicenae, ubi cautum, *quod non oporteat ministros locum habere in diaconiis, et sacra vasa tangere.*

et sacros (1) accenseri. Alteram hac in re differentiam parit ecclesiasticus coelibatus. Graecis porro hypodiaconis fas est uxorem legitimo conjugio ducere, eamque habentibus ad Sacerdotium tendere. Latinis nefas (2): quum inferiores minorum ordinum clerici etiam Latini ad saecularia vota probe redeant (3).

XVI. Non divina, sed humana Ecclesiae lex antiquissima sacros altaris ministros ab uxoribus abdicavit. Monogamos quidem, quique filios haberent subditos, fidelesque, perinde ad episcopatum. atque ad Sacerdotium adsumi, apertis verbis scribit Apostolus (4). *Omnes Apostoli*, uti S. Ambrosius (5) affirmat, *excepto Ioanne, et Paullo* (6) *uxores habuerunt*. Verum a B. Hieronymo (7) fuisse dicuntur *Apostoli*, *vel virgines, vel post Apostolatum continentes*. Apostolica vestigia ingressi primitivae Ecclesiae Episcopi plerique ad sacrum ministerium, et Sacerdotium, nonnisi coelibes, vel viduos, vel suis ab uxoribus continentes deligere consueverunt, quidam alicubi liberum coniugii usum in Sacerdotio tolerare. Origenes (8) eos tantum, qui se perpetuae devovissent castitati, idoneos ad Sacerdotium pronunciavit. S. Epiphanius (9) *qui adhuc*, ait, *in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi Ordinem admitti, sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur*. Et sciens nonnullos aliquo in loco sacros tunc ministros procreandis liberis adhuc vacare, subdit: *non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, qui certis temporibus negligenter agere, ac connivere solent ob nimiam populi multitudinem: quum scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facile repe-*

(1) Innoc. III. in *cap. a multis 9. de aetat., et qualit.* Trid. in *cap. cum autem. 2. sess. 23. de Sacr. Ord.*

(2) *Cit. cap. a multis.* Vide inferius dicenda *num. 20.*

(3) *Cap.* 1., *et seq. de clericis coniugatis, et eodem tit. in VI.* Concordata Regni an. 1741. *cap. 3. art. 2.*

(4) I. ad Timoth. *cap.* 3. ad Titum *cap.* 1. Consonat lex antiqua Levitici *cap.* 21. *vers. 14.*

(5) S. Ambros. ad Hilar. *in 2. ad Corinth. cap.* 11.

(6) Clemens Alexandrinus *stromat. lib. 3.* exinde coniicit uxorem divo Paullo fuisse, quod ipse *germanam comparem* sit allocutus in *ep.* ad Philippens. *cap. 4. vers. 3.* Et 1. ad Corinth. *cap. 9. vers 5.*, quod potestatem haberet *mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas.* Scilicet ut eam sine carnali prorsus coniugio sustentaret de mercede praedicationis, *can. omnino* 11. *dist. 31.*

(7) Hieronym. *ep. 50.*

(8) Origen. *in lib. Numer. hom. 23. Certum est*, ait, *quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui coniugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius est solius offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti, et perpetuae se devoverit castitati.*

(9) S. Epiph. *haer. 59.* Catharorum, seu Novatianorum. Idemque repetit in *exposit. Fidei cathol. cap.* 21. Consonat Eusebius Caesarecnsis *lib.* 1. *demonstr. Evangel. cap. 9.*, et S. Gregorius Nyssenus *de virginit. cap. ult.*

riuntur. S. Hieronymus (1), *Episcopi*, inquit, *presbyteri*, *diaconi*, *aut virgines eliguntur*, *aut vidui*, *aut certe post Sacerdotium in aeternum pudici*. Ex hisce indubiis testimoniis liquet a primis Ecclesiae saeculis ad coelibatum obstrictos, aeque presbyteros, ac diaconos, et hypodiaconos. Et quamvis ab auctoritate *canonum vulgo Apostolorum* (2) traditum accepimus, nec Episcopo, nec presbytero, nec diacono licere uxorem suam respectu religionis abiicere, tum ab aliis scriptoribus aliquot Episcopos, et Sacerdotes una cum uxoribus, filiisque suis martyrii coronam adeptos (3): tamen neutris eos in statu Sacerdotii, vel diaconatus iure coniugii usos probant, sed solum subiisse onus alendi uxores cum filiis ante sacram ordinationem progenitis (4), easque, ut domi haberent, quasi non habentes.

XVII. Prima synodus Nicaena quamvis thorum coniugalem universis ubique hypodiaconis, diaconis, presbyteris simul, ac Episcopis prona fuisset generali sanctione prorsus interdicere: Paphnutio tamen inclyto Ægypti Episcopo summopere contradicente, satius duxit ab ea ferenda lege abstinere, sicuti tradunt Socrates, Sozomenus, et Nicephorus (5). Quoniam vero id ii superaddunt, *uniuscuiusque voluntati* tunc dimissum: graeca eorum fides hac in re merito suspecta videtur Bellarmino. Si enim Patres Nicaeni sacris ministris generatim interdixerunt subintroductam habere mulierem, praeterquam matrem, aut sororem, aut amitam, nullo de uxoribus prolato verbo (6): potius omnem cum uxoribus familiaritatem, consuetudinemque tacite interdixisse, quam cuiusque eam arbitrio post sacram ordinationem reliquisse videntur.

XVIII. S. Leo M. saeculo V. iussit hypodiaconis, ceterisque superiorum Ordinum, ut qui uxores haberent, essent tanquam non habentes, quique non haberent, nequaquam ducere possent (7). Sequenti saeculo VI. placuit Iustiniano Imperatori sacros firmare canones, dum sanxit, ut eligendus Episcopus nec superstitem uxorem, nec filios haberet, aut viduus esset unius, et virginis (8). Quinisexta synodus anno 692. clericis ante subdiaconatum indulsit uxorem accipere (9).

(1) Hieron. *cit. ep.* 50.; tum *lib.* adversus Vigilantium, et *lib.* 1. adversus Iovinianum *cap.* 19. in *can. si laicus 7. dist.* 31. Idem sentiunt permulti Patrum apud Gratianum *dist. 27. et 28. per tot.*

(2) *Can. 5.*, unde sumptus est *can. si quis* 14. *dist. 28.*

(3) S. Cyprianus *ep. 35.*, alias 40. tradit, quod Numidicus presbyter martyrium sub Decio passus, uxorem suam ea in persecutione concrematam pro fide laetus adspexerit. Alias quoque Episcoporum, Sacerdotumque coniuges cum filiis suis in persecutione Diocletiani sanguinem pro Christi fide profudisse, refert Eusebius *lib. 8. histor. cap. 9.* S. Epiphanius *haeres 45. num.* 1., Marcionem haereticum Episcopi filium sententia patris sui Episcopi sanctissimi ob incestum fuisse ab Ecclesia deiectum enarrat.

(4) Quemadmodum et in circumducenda sorore Apostoli probe censuit Leo IX. *in can. omnino* 11. *dist.* 31., *de qua* superius hoc eodem *num.* 16.

(5) Apud Gratianum in *can. Nicaena* 12. *dist.* 31.

(6) Syn. Nic. *can. interdixit* 16. *dist* 32.

(7) S. Leo ad Anastasium in *can. omnium Sacerdotum dist.* 32.

(8) *Nov.* 123. *cap.* 1., *et Nov. 6. cap.* 1. Eam Principis constitutionem collaudavit Pelagius Papa in *can. de Syracusanae* 13. *dist.* 28.

(9) *Can. si quis eorum 7. dist.* 42., *et cap. a multis 9. de aetat., et qual.*

XIX. Eadem Quinisexta, seu Trullana Graecorum synodus, pontificiis Legatis absentibus, pro canone traditum ab Ecclesia Romana, quod negare nequibat, sane affirmavit, ut diaconatum, vel Sacerdotium adepturi profiterentur fuisse uxoribus non amplius fore coniungendos: at legitima Graecorum coniugia post eosdem quoque Ordines non dissolvere, sed ratam, liberamque coniugii consuetudinem illis maluit retinere: praeterquam Episcopis, quorum uxores, post consecrationem episcopalem superstites cogendas censuit, vel monasterium ingredi, vel ad gradum transire diaconissarum (1). Isto primum scripto iure Graecis largitum omnibus, quod prisco more nonnullis speciatim indulgeri contra regulam consuevisse testatur S. Epiphanius (2). Verum communis et Graecis, et Latinis Episcopis lex coelibatus fuit aevo abhinc Iustinianeo, qua solutis adhuc ex Trullano decreto Graecis, presbyteris, diaconisque obstringuntur Latini.

XX. Graecorum imperium, et Constantinopolis Patriarcharum usurpatio (3) in plures utriusque Siciliae Ecclesias graecam disciplinam interea invexit. Eam isthinc depellere studuit Pelagius II., a quo Siculorum consuetudinem, ut subdiaconi suis licite miscerentur uxoribus, abrogatam tradit divus Gregorius M. Petro subdiacono Siciliae (4), et Leoni Catanensi Episcopo (5) rescribens: simul et iubens, ut subdiaconos ab uxoribus ante Pelagianam decretalem acceptis non divellerent Episcopi: sed non alios ipsi deinceps ordinarent, nisi qui se caste victuros palam sponderent. Neglectas processu temporum in nonnullis huius praesertim Regni Ecclesiis constitutiones Pelagii, divique Gregorii Urbanus II. in synodo Melphiensi anno 1090. innovare sategit, cavens, ut nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo probatae castitatis, aut coelebs, qui usque ad subdiaconatum unicam, et virginem uxorem habuerit: sanxitque subdiaconos uxoribus utentes officio, et beneficio fore suspensos, eorum coniuges servituti Principum mancipandas, et Episcopos in id consentientes interdictione officii coërcendos (6).

XXI. *Si quis autem dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit*, ex canone Tridentino (7). Alterna haec

(1) Trullan. Syn. Constantinop. an. 692. *can.* 13., et 48., cuius decretum Sextae synodo minus probe inscribit Gratianus in *can. quoniam* 13. *dist.* 31.

(2) Ex antedictis *num.* 16. — (3) De qua superius *tit.* 14. *num. 5.*

(4) Pelag. II. in *can. ante triennium* 1. *dist.* 31.

(5) *Can. multorum* 2. *dist.* 32. Idemque S. Gregorius maxime commendavit presbyterum, qui suam ex tempore accepti ordinis presbyteram, puta uxorem, uti sororem diligens, quasi hostem cavit, cum eaque omnino penitus familiaritatem abscidit, *can. presbyter* 18. *ead. dist.* 32.

(6) *Can. eos qui* 10., *et can. nemo* 12. *dist.* 32., *et cap. a multis* 9. *de aetat., et qualit.*

(7) Trid. in *can.* 9. *sess.* 24. *de reform. matr.* In ecclesiasticam coelibatus legem post Tridentina comitia summis, at irritis conatibus, insurrexerunt Germaniae Principes, in his Imperator, et Dux Bavariae, postulantes a Summo

verba innuunt sacris initiatos lege solum ecclesiastica, professos regulares voto ad coelibatum teneri: illi enim id palam vovere non adiguntur.

XXII. Pensum divini officii quotidianum qui non peragit ex subdiaconis, diaconis, et presbyteris, grave peccatum omissionis admittit. Praetereaque si beneficiarius erit, suos non facit fructus pro rata temporis, eosque pauperibus dare omnino debet, vel fabricae Ecclesiae ex duabus pontificiis sanctionibus. *Statuimus*, in Lateranensi concilio, ait Leo X., *ut quilibet habens* beneficium *cum cura, vel sine cura, si* post sex menses *ab obtento beneficio, divinum* officium *non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum* fructus suos *non faciat pro* rata *omissae recitationis officii, et temporis, sed eos, tanquam iniuste perceptos in* fabricam *huiusmodi beneficiorum, vel pauperum* eleemosynas *erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, beneficio ipso privetur: cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc, ut beneficio privari possit, qui per* quindecim dies *illud* bis *saltem non dixerit, Deo tamen, ultra praemissa de dicta omissione redditurus rationem. Quae poena in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit, quoties contra facere convincantur* (1). Tum S. Pius V. eiusmodi sanctionem declarans constituit, *ut qui* horas omnes canonicas *uno, vel pluribus diebus intermiserint*, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis *diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero* matutinum *tantum,* dimidiam: *qui ceteras* omnes horas, *aliam* dimidiam; *qui harum* singulas, sextam *partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque, et distributiones forte aliter assignatas sola praesentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse praetendat etiam, praeter fructuum, et distributionum amissionem. Item ille, qui* primis sex mensibus *officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit*, grave peccatum *intelligat admisisse, declarantes praestimonia, praestimoniales portiones, et qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum praedictis pariter convenire. At quicunque* pensionem, *fructus, aut alias* res ecclesiasticas, *ut clericus percipit, cum modo praedicto ad dicendum officium parvum* B. Mariae Virginis *decernimus obligatum,* et pensionum, fructuum, *rerumque ipsarum omissioni obnoxium* (2).

XXIII. Nonnisi per singulos gradus ad Sacerdotium pervenitur (3). *Fit clericus*, ait B. Hieronymus (4), *et per solitos gradus presbyter ordinatur*, nimirum, ut diutius quisque probetur in ministeriis inferiori-

Pontifice pro laicis communionem sub utraque specie, et pro ecclesiasticis uxores, Praes. Tuanus *lib. 36. hist.*

(1) Leo X. in *const. supernae 7.* §. *38. to.* 1. Bull.
(2) S. Pius V. in *constit. ex proximo 35. tom.* 2. Bull.
(3) Secundum canones apud Gratianum *dist. 77.*
(4) Hieron. *ep.* ad Heliodorum de morte Nepotiani.

bus per longa temporum interstitia (1). Vetant porro canones neophytum, vel laicum, quique singulorum munia ordinum non exercuerit, ad Sacerdotii, vel episcopatus culmen ascendere repentina per saltum ordinatione (2): tametsi ante synodum Sardicensem neque omnes, nec semper minores sacris praemittebantur ordinibus (3): Patresque Tridentini cunctas ordinum functiones a diaconatu ad ostiariatum, ab Apostolorum aevo in Ecclesia receptas, pluribusque in locis aliquandiu intermissas in usum iuxta sacros canones revocandas censuerunt, in cathedralibus potissimum, et collegiatis Ecclesiis (4).

XXIV. Ecclesiasticos ordines per Tonsuram clericalem ingredi, veluti per ianuam, oportet. Qui suum prisco tempore nomen clericali militiae daret, eum, et circumtonsis infra capillis, et rasis simul in vertice initiatum continuo mancipabat Episcopus alicuius ordinis ministerio rite collato. Mox seiuncta ab ordinibus Tonsura est, ut ne pueri potissimum in scholis ecclesiasticis ad Religionis officia informandi prorsus profani viderentur. Morem radendi quoque verticis in modum coronae, non Anicetus (5) Papa, et martyr secundi saeculi, sed pacata iam Ecclesia introduxit. Divus Hieronymus (6) suo id aevo viguisse tradit, scribens. *In Deo regnum habent, et hoc designat corona in capite. Hanc* (signum passionis Dominicae) *coronam habent ab institutione Romanae Ecclesiae in signum regni, quod in Christo expectatur.* Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio. Ut sacrum Romanae Ecclesiae ritum, eumque antiquissimum clericalis Tonsurae carperet sagacissimus antiquitatum vestigator Binghamus (7) angelico fermento corruptus, contra exploratam hac in re ipsius Hieronymi testimonium calumniose negat aevo Hieronymi usitatam fuisse rasuram verticis circinatam. At falsus quidem is est, vel fallere studet rerum inscios altero, quod promit, Hieronymi testimonio, exponentis illud Ezechielis (8): Sacerdotes, et Levitae Domini *caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua. Hoc perspicue de-*

(1) Zosimus Papa *in can. in singulis 2.*, et Siricius *in can. quicunque 3. dist. 77.*, plures annos interstitiorum praefixerunt.

(2) Synod. Sardicens. in *can. Osius 10. dist. 61.*, Syricius *in can. monachos XVI. qu. 1., cap. 1, et seqq. de clerico per saltum promoto.*

(3) S. Ambrosius *lib. 1., offic. cap. 44.*, monet non cuncta Ordinum officia singulis clericorum, sed singula seiunctim pro cuiusque ingenio, et facultate ab Episcopo distribui debere, ita inquiens: *alius distinguendae lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Haec omnia spectet Sacerdos, et quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.*

(4) Trid. in *cap. ut sanctorum 17. sess. 23. de reform.*

(5) Aniceti epistola ad Episcopos Galliae, qua Gratianus in *can. prohibente 21. dist. 23.* rasi verticis coronam ab eo iussam probare putavit, apocrypha quidem est. Furor persecutionum tunc latere potius Sacerdotes in communi habitu, quam sese exteriori signo prodere coegit.

(6) Hieron. *ep.* ad Levitam in *can. duo sunt 7. C. 12. qu. 1.*

(7) Bingham. *to. 2. antiq. eccles. lib. 6. cap. 4. §. 16.*

(8) Ezechiel. *cap. 44. vers. 20.*

monstratur, ait maximus doctor (1), *nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapidis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosum est, barbarorumque, et militantium; sed et honestus habitus Sacerdotum facie demonstraretur, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis* Nudari totum crinibus, vel abrasis, vel resectis caput Sacerdotum, aut nimia coma ornari, palam hic dissuasum a Hieronymo esse, qui rasilem coronam in summa capitis parte alibi commendaverat, vident omnes vel myopes, quod non inspexit vir oculatissimus. Eandem in toto capite abrasionem, ad cutemque detonsionem, quae Scythica, seu Thracica Tonsura dicebatur (2), utique deformem, non alteram partis decoram, exprobavit Donatistis Optatus Milevitanus (3), qui ea Sacerdotes poenitentiae publicae obnoxios instar laicorum dedecoraverant.

XXV. Petrus Blesensis (4) caput Divi Petri detonsum ludibrii causa in modum coronae perhibet, quae postmodum adeo versa in honorem est, ut *coronatorum* titulo clericos olim cohonestarent (5) leges Principum. Forma coronae locis, temporibusque variata, Sidonius Apollinaris saeculo V. tradit clericos Gallicanos coma brevi, barbaque prolixa usos, aeque ac monachos, et poenitentes (6). Synodus Bracarensis Martini in Gallecia anno 572. decrevit clericos attonso capite patentibus auribus ministraturos (7). Concilio Toletano IV. anno 636., cui praefuit S. Isidorus, placuit, ut *omnes clerici, sicut levitae, et Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam* relinquerent, reprobato more Galleciae provinciae, in qua Lectores *prolixis, ut laici comis in solo capitis apice modicum circulum* tondebant, in Hispaniis tunc solis ab haereticis usurpatum, utque omnibus una esset Tonsura secundum totius Hispaniae consuetudinem (8). Synodi Bituricensis, et Lemovicina Tonsurae ecclesiasticae coronam in apice, et barbam rasam attribuunt (9). Clericis generatim induxit *coronam, et tonsuram congruentem* Innocentius III. in generali concilio

(1) Hieronym. *lib. 13. in Ezechiel. cap. 44.*

(2) Apud Athenaenum *lib. 4.*, da qua Sophocles in Oenomaeo.

(3) Optat. *lib. 2.* contra Parmen. *Docete,* inquit, *ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cum e contrario sint tota exempla proposita fieri non debere . . . qui parare debebas aures ad audiendum, parasti novaculam ad delinquendum.*

(4) P. Blesens. *in lib. Iob. cap. 1.*

(5) Gothofred. *in l. 38. Cod. Th. de Episcop.* Cur coronatorum *appellatione* (ait) *clerici designentur, proclive dictu: nempe ob* ξύρισμα Ὑυροειδὲς, *corona scilicet iam hoc tempore insigne clericorum, et exinde clericalis reverentiae per Africam saltem, mox alibi nomen fuit.*

(6) Sidon. *lib. 4. epist. 34.*

(7) *Can. non liceat 32. dist. 23.*

(8) Syn. Tolet. IV. *can. 41.* Consonat S. Isidorus *lib. 2. de divin. offic. cap. 4.*

(9) Florens ad *lib. 3. Decretal. tit. 1. de vit., et honest. cleric. to. 1. pag. 309.*

Lateranensi (1). Quae scilicet initio parvum minoris hostiae circulum laicae communionis non excedat in clericis, mox gradatim per singulos ordines sic amplianda, ut presbyteri parem hostiae sacerdotali deferant, ex synodicis decretis etiam Toletanis quum a Francisco Ioyosa, tum a Xysto IV. latis (2).

XXVI. Quoniam cuncta clericorum privilegia, in his exemptionem a foro laico (3), prima Tonsura quisque adipiscitur: ad hanc illos solum admittendos iure merito decrevit Tridentina synodus (4), *de quibus probabilis coniectura sit eos non saecularis iudicii fugiendi fraude hoc vitae genus elegisse, sed ut Deo fidelem cultum praestent*: qui Sacramentum Confirmationis susceperint, fideique rudimenta, et legere, ac scribere calleant.

XXVII. Neminem antiqui canones sinebant, sine fixo Ecclesiae titulo ad quemvis ordinem adsumi, hoc videlicet pacto, ut cui quisquam Ecclesiae inserviret, quam derelinquere iniussu Episcopi nullatenus posset, ab ea acciperet alimenta, vel redditum portionem, seu praebendam (5). Saeculo XII. novus *patrimonii* titulus primum emersit ex canone concilii Lateranensis III. sub Alexandro III. (6), quo obstricti sunt Episcopi diaconos et presbyteros sine certo Ecclesiae titulo ordinatos alere, nisi de suo, vel paterno axe necessarium haberent vitae subsidium. Mox ita invaluit, ut ferme plures patrimonii, quam Ecclesiae titulo ad Ordines promoveantur, eorumque non pauci statum clericalem turpi egestate dedecorent.

XXVIII. Duplicem huius rei abusum cohibitura synodus Tridentina decrevit necessarios tantum, vel utiles cuiusque loci Ecclesiae famulantes fore ordinandos (7): utque duntaxat qui beneficium ecclesiasticum, vel pensionem, vel patrimonium vitae sustentandae sufficiens reapse possideant, ad sacros deinde ordines promoveantur (8). Beneficii, pensionis, patrimoniive redditus debent taxam patrimonii synodis dioecesanis constitutam deductis oneribus aequare (9). Quae cum alibi maior, alibique minor sit pro variis locorum moribus: Innocentius XIII. (10).

(1) *Cap. clerici* 15. *de vit., et honest. clericor.*
(2) Emm. Gonzalez. *in notis ad cit. cap. clerici ver. congruentem.*
(3) De qua in *seq. lib. 3.*
(4) Trid. *in cap. prima Tonsura 4. sess.* 23. *de refor.*
(5) Syn. Nicaen. in *can. non oportet.* 19., *et can. si quis vero* 13. *C. 7. qu.* 1., Placentina sub Urbano II. *in can. neminem, et can. sanctorum dist. 70.*, etc. Ea lege vix exempti aliquot doctrina, et sanctitate insignes, ex. gr. S. Paulinus Nolae Episcopus, qui *ep.* 6. ad Severum Sulpitium de semetipso loquens, *ea conditione*, inquit, *in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiae non alligarer, in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiae dedicatus.* Et S. Augustinus *ep.* 355. *Suo me Clero*, ait, *vindicare voluit Ambrosius, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censeat.*
(6) *Cap. episcopus 4. de praebendis.*
(7) Trid. in *cap. cum nullus* 16. *sess.* 23. *de reform.*
(8) Trid. in *cap. cum non deceat* 2. *sess.* 21. *de reform.*
(9) Innoc. XII. in bulla *speculatores.*
(10) Inn. XII. in *const. apostolici ministerii*, quam collaudat Benedictus XIV. *lib. 7. de synod. dioeces. cap. 72. num. 2.*

declaravit eam, quae in loco domicilii vigeat, esse adhibendam, quoties beneficium nullo residentiae vinculo sit obnoxium, secus illam eius loci, in quo situm est residentiae beneficium.

XXIX. Onera Missarum, an ex redditibus beneficii, quod ordinum titulo subiicitur, sint detrahenda, doctores adhuc disputant. Alii generatim negant esse ullatenus deducendas Missarum eleemosynas, quippe quas, uti stipendium substentationis ipsorum sacrificantium (1) inter fructus ecclesiasticos accensent. Placet aliis distinguere, quas per sese beneficiarii, quasque per alios debent Missas celebrare, opinantibus in priori casu locum esse deductioni, secus in posteriori. Nam per seipsum celebraturus, dum aegrotat, aliove legitimo detinetur impedimento, per alium celebrare non obstrictus (2) integros sibi redditus retinet: qui vero potest per alium suis oneribus beneficii satisfacere, cum debeat utique stipendia Missarum aliis celebrantibus persolvere, fame perire vel mendicare cogeretur, quoties diuturno morbo, aliove malo implicitus sacra non faceret. Perpensis utriusque sententiae rationibus (3). S. Congregatio Concilii censuit id Ordinariorum arbitrio remittendum, ipsi ut, inspectis personarum, et locorum conditionibus quaestionem, vel singulis in casibus, vel generatim in synodo dioecesana definiant (4).

XXX. Nostro Concordatorum iure novissimo an. 1741. (5) taxa patrimonii clericalis nequit esse citra 24. ducatos neapolitanos, nec ultra 40. Eosque integros ex fructibus praediorum, annuisve redditibus habeat opus est, quo quisque tempore tonsura, ordinibusque minoribus initietur (6) titulo patrimonii ob utilitatem Ecclesiae, vel necessitatem iudicio Episcopi aestimandam. Initiandis autem titulo beneficii, vel perpetuae capellaniae, aut ecclesiasticae pensionis, sat erit ex huiusmodi redditibus tot quotannis ducatos demptis oneribus habere, quot medietatem patrimonii dioecesani saltem aequaverint: alteramque medietatem supplere hypodiaconatus tempore (*).

XXXI. Constitutum praeterea Concordatis est primam tonsuram non aliis conferendam esse, nisi qui post decimum aetatis annum, vel in aliquo seminario degerit, vel deferens vestem clericalem alicui Eccle-

(1) Ex traditis a S. Thoma 2. 2. *qu. art. 2. ad 2.*

(2) Ut putat Leander *to. 2. oper. moral. tract. 8. disp. 7. qu. 19.* At longa aegritudine infirmum post mensem, aliudve modicum tempus debere per alios Missam eum satisfacere, qui semetipsum esset celebraturus, rectius tenent Card. de Lugo *de sacr. Euchar. disp. 11. sect. 2. num. 48., et 49.*, Passerin. *de statu homin. to. 2. qu. 587. art. 4.*, S. Congr. Conc. in *Romana 4. Iunii 1689., et 2. Octobris. 1721.*

(3) Eas exposuit dissertatione elegantissima *to. 2. thesaur. resol. pag. 214.*, dum Secretarium Congreg. Conc. ageret insignis Prosper Lambertinus, deinceps dictus in pontificio solio Benedictus XIV.

(4) Idemmet Bened. XIV. *lib. 7. de syn. dioec. cap. 72. num. 6.*, decretum istud S. Congr. promit, editum *die 17. Iulii 1723.*

(5) Concord. *an. 1741. cap. 4. art. 1., et seqq.*

(6) Tridentina lex non inferioribus clericis, sed hypodiaconis primum ordinandis patrimonii necessitatem imposuit, *d. cap. 2. sess. 21. de ref.*

(*) Videsis nostras additiones ad Tit. X. de Sacramento Ordinis Lib. II. §. LXIX.

siae iussu Episcopi serviverit tres iugiter annos diebus festis, vel in aliqua universitate scientiis addiscendis incumbens inibi litteris Episcopi sui commendatus clericale servitium obiverit per triennium in Ecclesia ab Episcopo eius loci designata. Istaque lege vix excipiuntur *arctati*, quorum duplex genus. In primo quidem sunt ius patronatus passivum habentes ad aliquod beneficium ecclesiasticum, puta quos fundator aliquis ad beneficium, vel capellaniam ecclesiasticam, ut aiunt *collativam*, et *perpetuam* in ipso fundationis limine vocavit, vel generatim sub collectivo vocabulo familiae, domus, descendentium, agnationis, cognationis, vel speciatim ipsas eorum personas. Alterum *arctatorum* genus complectitur, quos sine iure passivo unam, eandemque familiam, et progeniem cum patronis activis sortitos patroni intra legitima tempora nominaverint, uti censuit tribunal mixtum die 23. Augusti 1763. Aequitas porro non patitur, ut patroni cogantur extraneos clericos ad beneficia sui iurispatronatus intra quatuor menses omnino praesentare, suos autem filios, vel consanguineos, quamvis ad clericatum idoneos negligere non alia de causa, nisi quod hi triennalem antea in famulatu Ecclesiae probationem non confecerint, quae fieri deinceps poterit. Quae ante Concordatum arctatio cuiuslibet personae, vel extraneae oriebatur ex activa patronorum nominatione, itaque iam hinc exolevit.

XXXII. Ante decimum quartum aetatis annum puta incoeptum cuique, vel clerico beneficium conferri quum vetet synodus Tridentina (1): impuberes arctati opus habent quum pontificia, tum regia aetatis dispensatione, ut valeant simul tonsurae gradum, et beneficium post publicationem concilii Tridentini fundatum adipisci. Hanc aetatem in beneficiis vetustioribus antea erectis non necessariam esse monet lex ipsa Concordatorum (2). Ad ea proinde arctati septennes iurispatronatus gratia sine dispensatione promoventur (3).

XXXIII. Si plures de iure quaesito ad aliquod beneficium contenderint, vel vocati simul a fundatore, vel divisis patronorum vocibus praesentati: inter eos adhuc etiam laicos erit ante definienda, quam alteruter, vel uterque tonsura clericale initietur. Iura enim sua in foro ecclesiastico experiendi facultatem candidatis ad tonsuram laicis adversus clericos etiam competitores, non secus quam clericis ipsis, indulgent Concordata (4): contrario more abrogato, quo clerici solum, ut praesentarentur ad beneficia, idonei, et legitimi collitigantes in iudicio institutionis reputabantur. Cetera ad formam, ritus, resque sacramentales singulorum ordinum spectantia videsis in sequenti *lib. II. tit.* X. *de Sacramento Ordinis.*

(1) Trid. in *cap. nullus 6. sess. 23. de reform.*
(2) Concord. *cit. cap. 4. num. 5.*
(3) Hac de re dixi plura *in tract. de beneficiis cap. 9. num. 16., et seqq.*
(4) Concord. iam dicto *cap. 4. num. 6.*

TIT. XXXII. ET ULT.

De Regularibus.

I. Primam religiosae vitae formam a Rechabitis, Essenis, et Therapeutis monachi acceperunt.

II. Fugienda persecutio plurimos Christi fideles aevo martyrum in solitudinem, et speluncas coniecti.

III. Pacata Ecclesia, statim soli vagi societatem vitae in coenobiis coluere, in primis Antoniani, tum Tabennenses, ceteri quum coenobitae, tum anachoretae.

IV. Ii primam regulam vivendi secundum consilia evangelica suo ab abbate oretenus acceperunt, mox in scriptis a Pachomio Tabennenses, a S. Basilio Graeci, a S. Augustino Afri, a S. Benedicto occidentales.

V. Episcopis dioecesanis monasteria, monachos, abbatesque subiecit quarta synodus oecumenica, eorumque regulae episcopalem auctoritatem diu subivere.

VI. Tres tantum regulas SS. Basilii, Augustini, et Benedicti probavit concilium Lateranense II., quartam S. Francisci Innocentius III., ceteras ab Apostolica Sede non probatas delevit concilium Lugdunense.

VII. Alium ab alio Regularium ordinem distinguit, et diversitas regulae, et mendicitas, et votorum numerus.

VIII. Basilii regulam profitentur Basiliani, et Carmelitae maiores, calceati, mitigati, discalceati, discalceataeque.

IX. Augustinianam Canonici regulares, Clerici regulares, et Somaschi, et Barnabitae, et minores.

X. Tum fratres eremitae S. Augustini, et discalceati.

XI. Dominicani.

XII. Cruciferi.

XIII. Iesuati.

XIV. Ioannitae charitatis fratres.

XV. Trinitarii, Redemptionis captivorum.

XVI. Pluresque monialium ordines.

XVII. Benedictinam Casinenses cum ceteris monachis nigris, Camaldulenses, Vallisumbrosae, Cistercienses, Montisvirginis, Guilielmitae, Coelestini, Olivetani, Bernardini, Bernardinaeque, et Benedictinae.

XVIII. Franciscanam Fratres minores, Reformati, Capuccini, Clarissae, Urbanistae, et Capuccinae.

XIX. Mixtam ex SS. Augustini, et Benedicti regulam tenent Cartusiani, ex SS. Basilii, et Augustini pariter mixtam Brigidani, Brigidanaeque.

XX. Novam a multis Pontificibus, et Tridentina synodo probatam regulam suscepit Societas Iesuitarum.

XXI. Mendicantium regulam saeculo XIII. primus omnium invexit S. Franciscus Assisiensis.

XXII. Errores, et calumnias Willelmi de S. Amore contra mendicitatem regularium profligavit Alexander IV.

XXIII. Ex regula mendicantes Franciscani tantum sunt, ceteri ex constitutionibus.

XXIV. Reformatio Tridentina Capuccinos, et Minores de Observantia tantum regulae mendicantium obstrictos reliquit: ceteros ab ea solutos, et capaces hereditatum, praediorumque in communi possidendorum declaravit.

XXV. Mendicantes utriusque familiae praediorum, annuorumque reddituum omnino incapaces vix pretium alicuius praedii specialiter legatum, vel annuas praestationes in eleemosynam a sponte dantibus accipere, non petere possunt.

XXVI. Tria vota solemnia castitatis, paupertatis, obedientiae regularem cuiusque probati ordinis statum faciunt immotum, solius Apostolicae Sedis auctoritate mobilem.

XXVII. Paupertatis votum non communitates, sed singulas regularium personas afficit, quarum bona, et cura legitima monasterium cuiusque proprium succedendi capax adquirit, ac retinet etiam post episcopatum, vel transitum ad aliud.

XXVIII. Voto castitatis coniugium cuiuslibet post solemnem professionem fit irritum.

XXIX. Prisci canones videntur ea in re dispensandi arbitrium Episcopis reliquisse, quoad status Regularium episcopalem pertulit potestatem.

XXX. Ratum quoque matrimonium solemni alterutrius coniugis professione dirimitur.

XXXI. Ut Canonicis Eccles ae, Praepositorumque praeceptis omnes homines iure divino, ita regularium superiorum iussis obedientiam ex voto debent professi.

XXXII. Quidquid professi egerint in iudicio externo sine consensu proprii Superioris, irritum aestimatur.

XXXIII. Quartum propagandae fidei, specialisque Romano Pontifici obedientiae votum addunt Iesuitae.

XXXIV. Strictiorem paupertatem cum voto non mendicandi eleemosynas, sed spontaneas tantum oblationes accipiendi profitentur Theatini.

XXXV. Hospitalitatem, curamque peregrinorum, vel infirmorum, vel captivorum hospitalarii, et eleemosynarii multiplices.

XXXVI. Educationem, instructionemque orphanorum Somaschi, et Fratres vitae communis.

XXXVII. Ciborum duntaxat esurialium usum Fratres minimi, simul et solitariam vitam Carthusiani, et Camaldulenses.

XXXVIII. Sacram militiam equestres ordines in primis S. Georgii, et S. Sepulcri antiquiores omnium.

XXXIX. Tum S. Lazari, et S. Mauritii equites, qui Sabaudiae Duci tanquam ordinis magistro subsunt, hospitalia leprosorum hoc in regno diu habuere, mox depulsi ob exemptionum controversias.

XL. SS. Cosmae, ac Damiani, tum S. Catharinae Ordines in Palestina, et monte Sinai instituti sub ditione Turcarum defecerunt.

XLI. Equites S. Ioannis hierosolymitani ab urbe sancta in Cyprum, Rhodum, Cretam, Viterbium, Melitam denique demigrarunt.

XLII. Templarios in terra etiam sancta institutos Clemens V. suppressit.

XLIII. Theutonici S. Mariae hierosolymitanae hospitalarii commendas pinguissimas in Germania habent.

XLIV. Milites pacis, et fidei in Vasconia.

XLV. Hispania equites Calatravae, S. Iacobi de Spatha, et Alcantarae, tum S. Dominici, et S. M. Rosarii, et Smi. Salvatoris Montisregalis.

XLVI. Burgundia insuper Ordinem velleris aurei.

XLVII. Lusitania milites Christi.

XLVIII. In Italia olim stetere fratres gaudentes S. M. gloriosae, tum equites SS. Petri, et Pauli.

XLIX. Hoc regnum Neapolis olim equites Lunae, Nodi, Navis, Ergatae, Leaenae, Armellini habuit.

L. Nunc solos divi Ianuarii primarios equites.

LI. Et Constantinianos habet.

LII. Statum saeculari, et religioso mixtum tenent equestres ordines.

LIII. Forma regiminis regularium omnium aristocratica in consilio fratrum, et comitiis generalibus nunc viget.

LIV. Electiones abbatum, et praepositorum ab Episcopis olim, communibus nunc religiosorum fratrum suffragiis fiunt.

LV. Abbatissas vero dum sacrae virgines eligunt, Episcopus per se, vel Vicarium adest votà singularum exquirens.

LVI. Libertatem eligendi superiores in Capitulis regularium secundum statuta ipsorum placuit Benedicto XIV., et Carolo Regi nostro integram servare.

LVII. Professio regularis aequatur contractui oneroso ultro, citroque obliganti.

LVIII. Ea nonnisi post expletum XVI. aetatis annum emissa valet.

LIX. Vi, aut metu emissa professio irrita est, ad eamque cogentes, vel ab ea deterrentes excommunicationem incurrunt.

LX. Nulliter professi possunt intra quinquennium instituere iudicium nullitatis coram Ordinario dioecesano, et Superiore monasterii, postea adversus lapsum quinquennii, nonnisi ab Apostolica Sede restituuntur in integrum ad reclamandum.

LXI. Benedictus XIV. plura declaravit, et constituit ad iudicia nullitatis professionum regularium rite exercenda.

LXII. Moniales fere nunquam reclamant in iudicio.

LXIII. Novitii ad saeculum redeunt ultro, professi, nonnisi causa cognita a regulari statu, vel discedunt voluntarii, vel eiiciuntur inviti. Apostatae simul, et eiecti quotannis, ut redeant monendi sunt.

LXIV. Ad strictiorem religionem transire professis licet, ad laxiorem secus, sine pontificia dispensatione.

LXV. Monialibus extra clausuram promovere pedes nunquam licet,

nisi necessitas urgeat extrema incendii, terraemotus, aliusve id genus periculi.

LXVI. Clausurae custodes Episcopi sunt in monasteriis etiam exemptis.

LXVII. Extraordinaria indulta ingrediendi clausuram, ab eaque egrediendi Benedictus XIV. reformavit: salvis hoc in Regno iuribus fundatorum.

LXVIII. Episcopis et monasteria, et monachos prisci canones subiecerunt.

LXIX. Ex recentioribus constitutionibus monachi exemptionem ab Episcopis ex immediata Sedis Apostolicae protectione habent, praeterquam in casibus exceptis.

LXX. Abbates Regularium nonnulli iurisdictione quasi episcopale fruuntur.

LXXI. Clericis saecularibus de Oratorio, ceteris eiusdem generis nulla ab Ordinariis locorum indulta exemptio est.

LXXII. Libertas eligendi sepulturam efficit, ut Regulares corpora defunctorum deferre, atque suis in Ecclesiis tumulare non prohibeantur.

I. Sanctior vitae religiosae forma in hebraeorum *Rechabitis*, *Essenis*, *Therapeutis* praeluxit, ut sileam antiquiores solitariae vitae imagines, quas ab Elia, et Elisaeo, filiisque Prophetarum repetunt SS. Basilius, Chrysostomus, et Eucherius (1). *Rechabitas*, qui ab ipso Domino per Hieremiam (2) collaudantur, pater eorum Ionadab, filius Rechab, iussit vinum non bibere, nec domum extruere: sed in tabernaculis habitare, simul et agris, vineis, satis omnino carere. *Esseni* morum austeritate, philosophiae studio, virtutumque exercitatione commendatissimi procul ab urbibus domum communem in Palaestinae vicis incolentes, albaque veste induti praefecto suo parebant, uno epulo, et pane contenti, spretis superfluis, vacabant honestis laboribus, quorum lucris in unum collatis, alimenta sibi necessaria compararent, a nuptiis abstinentes aliorum natis a puero educandis, instruendisque ad religionem, et philosophiam incumbebant, erantque caeremoniarum Legis mosaycae observantissimi (3). *Therapeutas* praeterea tradit Phi-

(1) Lugdunensis Archiepiscopus in *lib. de laude eremi ad Hilarium.*

(2) Ierem. *cap. 35. per totum.* Eos divus Hieronymus *ep.* 13. *ad Paulinum* monachos appellat.

(3) His eos characteribus exornatos a Philone Iudaeo, ut extolleret nationis suae mores, monet B. Hieronymus, qui non alios, nisi hebraeos Christi fidem amplexos, et praecepta Moysis adhuc custodientes, in Ecclesiae incunabulis revera *Essenos* fuisse affirmat, sive *Iesseos*, ita dictos a nomine *Iesu*. Grotius cum *Hasideis* vetustioribus eos miscens, putat eo hebraicae linguae vocabulo nuncupatos, quos Latini dicerent *maxime pios*, *devotosque*. Cum vero Iosephus *lib. 2. de bello Iud. cap. 12*, duabus Pharisaeorum, Sadducaeorumque festis tertiam Essenorum adiecisset, in causa fuisse videtur S. Epiphanius hosce inter schismaticos hebraeorum accensuerit, perinde ac Samaritanos, quod et ii Pentatheucon solum admitterent, et sacrificare in templo hierosolymitano renuerent, rati sese caeremoniis uti sanctioribus. Fleury *lib. 1. hist. eccles. num. 4.*, Grotius insuper *ep. 552. par. 1.*, scholas Pythagorae coetibus Essenorum comparat,

lo (1) potissimum in Aegypti, Graeciaeque regionibus, et alibi diffusos extitisse, qui contemptis voluptatibus, amicitiis, consortiis, rebusque omnibus relictis, in solitudine assiduam navabant operam contemplationi, libris Prophetarum perlegendis, psalmodiae, et orationibus in Samneio, quod singulis erat sacra, et inaccessa domus; iique nonnisi post solis occasum pane vix nutriebantur sine ullo, praeterquam salis, et hyssopi obsonio. Sunt, qui in unam eandemque classem cum Essenis Therapeutas collocant, quique hos ab illis e contrario segregant. Neque concors omnium sententia est, hebraei ne solum, an primi fideles aevo Christi Domini, eiusque Apostolorum, vel alterutrum, vel utrumque vitae genus delegerint. Id unum, quod proposui, indubium videtur et Essenos, et Therapeutas in primordiis Evangelii iam florentes specimen vitae sanctioris ascetis (2), et monachis christianis dedisse. Exploratum praeterea est primos Ecclesiae hierosolymitanae fideles eam ab Apostolis vitae institutionem habuisse, qua disciplina regularis praecipue constat (3).

II. Paganorum Principum persecutionibus quidem per tria martyrum saecula factum est, ut plurimi christianorum fugam consilio evangelico,

id ex eo arguens, quod Porphyrius, et Hermippus Pythagorae sectatores tradunt Pythagoram in Iudaea fuisse, eorumque sententias, moresque in pluribus secutum.

(1) Philo *lib. 1. de vita contemplativa* haec habet. *Cum* viris *autem, quos dicimus, sunt et* foeminae, *in quibus plures iam grandaevae sunt* virgines, *integritatem casti corporis non necessitate aliqua, sed devotione servantes... Primum omnium, quod* renunciant *cunctis facultatibus suis, qui se ad huius* philosophiae *studium dederint, et* bonis suis, *quibus interest, cedunt. Tum quod omnes etiam vitae solicitudines procul abiiciant, extra urbes* egressi *in hortis, vel exiguis quibusque* cellis *degunt. Cibum potumque nullus illorum capit ante solis occasum... Vinum nemo omnino ne gustatu quidem contingit*, sed *nec quamlibet carnem : tantum aqua est eis poculum, et panis cum sale, vel hyssopo cibus.... Est autem in singulis locis consecrata* orationi domus, *in qua* Sacerdotes *honestae, et castae vitae* mysteria *celebrant: nihil illuc prorsus quod ad cibum, potumque pertinent inferentes, vel ad reliqua humani corporis ministeria, sed legis tantum libros, et volumina Prophetarum. Hymnos quoque in Deum, ceteraque his similia... eos hymnos in metris, et sonis honeste satis, et suavi compage modulantes.* Euseb. Caesareens. *lib. 2. hist cap. 17. Philo Iudaeus*, ait, *abstinentium vitas eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis, vel monasteriis degunt, describit ad liquidum primo omnium viros ipsos* cultores, *et foeminas cum ipsis* cultrices *appellari.* Nam *Therapeuta* vox graeca apud Latinos idem ac *cultor*, vel *inserviens* aliorum saluti, et remedia infirmis subministrans : per translationem vero idem, ac Dei cultor, et famulus saluti animarum prospiciens.

(2) Qui orationibus, ieiuniis, aliisque se virtutibus exercent, *ascetae* dicuntur: nam ασκησις graece *exercitationem* latine sonat. Origenes *hom. 25. in Num.* describens diversos Christianorum status circa saeculi III. medietatem, ex ascetis prodivisse monachos tradit.

(3) Id monet Cassianus saeculi V. scriptor *collat. 18. cap. 5. Coenobitarum disciplina*, ait, *a tempore praedicationis Apostolicae sumpsit exordium.* S. Ioan. Chrysostomus contra vituperatores vitae monasticae *lib. 3., Apostoli*, ait *huius philosophiae documenta dederunt.* S. Marcum Evangelistam Alexandriae monachos instituisse tenent alii cum S. Epiphanio *haeres. 29.*, et Eusebio *lib. 2. hist. cap. 15., et 16.* Alii S. Io. Baptistam monachorum principem praedicant cum Chrysostomo *hom. de S. Io. Bapt.*, et Hieronymo *ep. 22. ad Eustochium.*

exemplisque SS. Cypriani, Athanasii, Paulini, aliorumque Patrum commendatam capientes in Thebaidem, aliasque Orbis solitudines secederent, ibique latitantes, vitam ducerent sanctissimam sine praeposito, et sociis pro suo quisque arbitrio. A Graecis isti appellantur *eremitae et monachi*, idest solitarii (1). Μόνος enim *solum*, et ἄχος *moestum*, tristemve significat. Eorum princeps fuisse fertur divus Paullus Thebaeus (2).

III. Deinde quum aliquot Caesarum lenitate furor persecutionum quiesceret aliquandiu, tum pacem accepisset universa Ecclesia Constantini M. beneficio: satius monachi duxerunt e speluncis, et solitudinibus sese ad coenobia in unam societatem conferre, ibique sub communi tecto communem vitam colentes a conspectu populorum semotam, uni Abbati velut omnium parenti obtemperare, ut unum aeternae salutis negotium simul peragerent. Eosque sectati sunt permulti et virorum, et mulierum, qui pristinum fidei fervorem aegreferentes in exundantibus Christianorum multitudinibus frigescere in diem, non dubitabant, ut in coenobiis Christum tutius sequerentur, suos, et omnia derelinquere, sese abnegare, et crucem tollere. Istis coenobitis adhaesit quidem, sed minus propria nomenclatio *monachorum*, et *monialium*, ipsorumque domus *monasteria* inde nuncupata. Societatem huiuscemodi monachorum primus omnium ineunte saeculo IV. instituit in Thebaide divus Antonius abbas aegyptius, qui obiit anno 356., unde orti *Antoniani*, quorum plura sunt monasteria in Aegypto, et Syria. S. Pachomius paullo post fundavit monasterium Tabennense in insula Nili, cuius asseclae ab Antonianis plerunque non distinguuntur. A B. Athanasio Alexandrino, Antonii coaevo, et socio, Romam e sylvarum latebris invectos in coenobia monachos fuisse anno circiter 340., tradit Hieronymus (3). Inde ad alia Occidentis loca ab aliis sanctissimis viris propagatos contestantur Ambrosius, et Augustinus (4). Mediolani priusquam

(1) Hinc illud Hieronymi ad Paulinum. *Si cupis esse, quod diceris*, monachus, *idest* solus, *quid facis in urbibus, quae utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? can. si cupis 5. C. 16. qu. 1.*

(2) S. Hieronymus ad Paulinum *ep. 3. Hos enim habemus* ait, *propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios: et ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster princeps Elisaeus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris, et solitudinibus et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.*

(3) S. Hieron. *ep. 28. ad Principium. Nulla eo tempore*, ait, *nobilium foeminarum noverat* Romae *propositum monachorum. Haec* Marcella *ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem arianae haereseos declinantes Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii, et virginum, ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.*

(4) S. Aug. *lib. 8. confess. cap. 6., et lib. de morib. Eccl. cap. 33.*, S. Ambr. *ep. 82. lib. 2.*, tum S. Gregorius M. *in dialogo.* In Capraria insula nihilominus opinione vetustiorem stetisse monachorum sedem, innuit Orosius *lib. 7. cap. 36.*, et Rutilius Numantianus *in itenerario lib. 1.*, dum cecinit.

Processu Pelagi iam se Capratia tollit,
Squallet lucifugis Insula plena viris.
Ipsi se monachos graeco cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste nolunt.

Romae institutum a S. Martino Episcopo Turonensi monasterium anno circiter 356., quo S. Hilarius ab Arianis exul factus est, cum Severo Sulpitio Lud. A. Muratorius adstruit (1), additque testimonia SS. Ambrosii, et Augustini (2). Prisca in regionibus nostris, et provinciis Samnitum, Calabriae, et Apuliae, alibique coenobia, et monasteria, eorumque subiectionem Episcopis dioecesanis paulatim inde excussam, inferius exponam (3). Duplex hinc genus *monachorum* in veteri Ecclesiae disciplina, videlicet *coenobitarum*, quos et *synoditas* vocant (4), idest consociatos, et *anachoretarum*, quos latini *inclusos*, *et reclusos* (5) nuncupant, solitariam omnino vitam colentes Episcopi, et abbatis permissu in cella ab aliis semota, atque a monasterio accipientes alimenta.

IV. Primaria coenobitarum regula non alia, quam cuiusque abbatis vox, et voluntas fuit, eo collineans mores omnium, ut consilia evangelica servarentur adamussim. Nonnullis deinde SS. Patrum placuit monachos suos ad religionem litteris informare. Pachomius fertur primus omnium regulam (6) Tabennensibus scripto tradidisse, ceteras per orbem alii, quas collegit in *codice regularum* Lucas Holstenius. Praecipuos nihilominus regularum conditores in Oriente *S. Basilium* M. (7), in Africa *S. Augustinum* (8), in Occidente *S. Benedictum* fuisse consentiunt scriptores, quippe quas innumerae utriusque sexus religiosae familiae pro communi lege servant. Id vero unum praestitit prae ceteris S. Benedictus, quod monachis antiquam coercuit libertatem mutandae regulae, deque una ad aliam transeundi. Is porro suis primum di-

(1) Murator. *dissert. 65.* ex Sulpitio in *vita S. Martini cap. 4.* haec habet. *Italiam repetens, quum intra Galliae quoque discessu S. Hilarii, quem ad exilium haereticorum vis coegerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit.*

(2) S. Ambros. *ep. ad Vercellens* ait: *Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis... Sed heic positi ieiunabant*, monasterium *continebantur*. S. Aug. *lib. de morib. Eccl. cath: video ego diversorum*, ait, *sanctorum* Mediolani *non paucorum hominum, quibus unus presbyter praeerat vir optimus, et doctissimus:* Romae *etiam plura cognovi*. His autem verbis quaestio de antiquitate susceptae vitae monasticae inter Romanos, et Mediolanenses non satis eliquatur. Videsis dicta inferius *lib. 3. tit. 12. num. 3.*

(3) Hoc *tit. num. 5., 53., 67, et 68.*

(4) Arcadius, et Honorius Imp. *in l. addictos 6. C. de episcop. audientia.*

(5) *Secessores* appellat Cassianus, de quibus Trullana synodus VI. *can. 42.* et Aurelianensis I. *can. 22.*

(6) Plura eiusdem capita recenset Sozomenus *lib. 3. hist. eccles. cap. 14.*

(7) Qui duos *asceticorum* libros edidit circa medietatem saeculi IV.

(8) Ad unius Πχρθενωνος, seu virginum coenobii, cui praefuit S. Augustini soror, regulam scripsisse S. Doctorem, putat cum Erasmo, et aliis Daniel Papebrochius *ad vitam S. Alberti die 8. Aprilis*, eamque viris aptatam nonnisi saeculo IX. fuisse a B. Benedicto Ananiensi abbate in *concordia regularum* contendit contra P. Sebastianum a S. Paulo Carmelitam aliter sentientem *in exhibitione errorum Papebrochii art. 13.* Christianus Lupus in *not. ad Tertull. lib. de praescript.*, ita scribit: *usque ad Augustini episcopatum Africana Ecclesia, et virorum, et virginum coenobia penitus ignoravit, Nam et ipse Augustinus, cum in Italia doceret Rhetoricam, ignoravit vocem* monasterium.

scipulis praecepit, ne susceptam semel regulam, a qua discedere nefas esset, derelinquerent, et ita primus solemnis professionis formam instituit (1).

V. Ad extirpandos *Sarabaitas* (2), *furva tunica pullatos*, qui scilicet iugum regularis disciplinae abiicientes, marte suo vivere sine abbate, et sine claustro malebant, nec non *gyrovagos*, et *circumcelliones* (3), cautum merito fuit generali synodo Chalcedonensi (4), ut monasteria, et monachi omnes dioecesano Episcopo subiicerentur, qui curam disciplinae regularis haberet, et vagantes ad claustra vel invitos revocaret. Aliis praeterea canonibus antiquis (5) constitutum, ut abbates a monachis electos Episcopus institueret, indignos causa cognita removeret, utilitatibus monasteriorum consuleret, causasque cognosceret. Canonica tot monimenta patefaciunt vim fuisse antiquis regulis monasticis tributam non privato solum cuiusque abbatis arbitrio, quod putat Wan-espenius (6): sed publica Episcoporum auctoritate vel expressa, vel tacita, a quibus olim regulas monachorum et probatas, et emendatas fuisse rectius affirmat Franciscus Florens (7).

VI. Quid ergo mirum, si gliscente in dies varietate regularum, praevaluit inter universas episcopalis auctoritas SS. Basilii, et Augustini, posthabitis tot aliis, et sanctitate, et doctrina eximiis? Octavo saeculo synodus VII. (8), nonnisi secundum Basilii regulam monasteria dupla institui permisit: tum Augustini regula in synodo Rhemensi sub Eugenio II. commendata anno 823. Cumque iandiu accessisset tertia S. Benedicti, confirmatione pontificia S. Gregorii M. suffulta: Innocentius II. in concilio Lateranensi II. anno 1129. (9) religiosa virginum coenobia, quae neque *Benedicti*, neque *Basilii*, neque *Augustini* regulam haberent, abolenda decrevit. Quartam *mendicantium* a B. Francisco Assisinense inventam probavit Innocentius III. anno 1215. Interea in immensum excrescebat multitudo religionum adeo difformium habitu, moribus, et regulis, ut alia aliam haud semel supplantaret, pellibusque ovium lupi non raro contecti perniciem animabus inferrent. In his fuere *Waldenses* haeretici, alias dicti *pauperes de Lugduno*, qui catholicam fidem multis foedantes erroribus, iactabant sese veros Christi discipulos, et religiosos evangelicae doctrinae sectatores. Iis ut haereticis a Lucio III. damnatis (10), occasionem arripuit concilium Lateranense IV.

(1) Id observat Io. Mabillonius *praefat. ad par. 1. saec. IV. Benedictinorum.*

(2) Eos aegyptiaco vocabulo ita dictos monet, simul et eorum instituta describit Cassianus *collat. 18. cap. 17.*, et saepe carpit B. Hieronymus.

(3) Quippe qui (ut scribit S. August. *in psalm. 132.*) *circum cellas vagantur: solent enim ire hac, atque illac, nunquam habentes sedes* sub habitu monachorum hypocritae.

(4) *Can. qui vere 12., et can. quidam monachi 17. C. XVI. qu. 1.* Id ipsum firmavit Iustinianus *Nov. 133. cap. 4.*

(5) A Gratiano congestis *C. XVIII. qu. 2.*

(6) Wan-Espen *par. 1. tit. 14. cap. 1. num. 13.*

(7) Florens *par. 2. in tract. de statu monachorum ad qu. 2. C. 18.*

(8) Syn. VII. in *can. diffinimus 21. C. 18. qu. 1.*

(9) Innoc. II. in *can. perniciosum 25. eadem C. et qu.*

(10) Lucius III. in *cap. ad abolendam 9. de haereticis.*

sub Innocentio III. constituendi (1), ne quis novam inveniret religionem, religiosamve domum fundaret, eam nisi uni ex approbatis regulis subiiceret. Tum Gregorius X. in Concilio Lugdunensi (2) cunctas religiones mendicantium post concilium Lateranense adinventas, nullaque Sedis Apostolicae confirmatione probatas, delevit: salvis quatuor ordinibus *praedicatorum, minorum conventualium, eremitarum S. Augustini, et carmelitarum*, rite iam institutis ante canonem Lateranensem. Postremis hisce canonibus conservata Sedi Apostolicae est approbatio ordinum regularium.

VII. Ut clarius mox innotescat vigens regularium omnium utriusque sexus disciplina, operae pretium est in plura eos genera partiri. Prima partitio eruitur ex quatuor praecipuis regulis *SS. Basilii*, *Augustini*, *Benedicti*, *et Francisci*, aliisque recentioribus. Secunda ex duplici *non mendicantium*, et *mendicantium* instituto. Tertia ex solemnium votorum diverso numero, et genere.

VIII. *S. Basilii* regulam profitentur in primis *Basiliani* S. Salvatoris monachi ritu graeco adhuc utentes in hoc etiam regno, et Sicilia, a Graecis orientalibus huc propagati saeculo XI. lique in Germania, alibique ritum latinum amplexi sunt. Gregorius XIII. cunctos ordinis S. Basilii monachos in unam congregationem sub unius abbatis regimine redegit, officia triennalia fore statuit, et Capitulum generale quolibet triennio cogendum pro moribus reformandis, et regulari observantia, privilegia Cassinensium eis indulsit, ab Ordinariis locorum, et commendatariis abbatibus regulam ipsorum non professis exemit, et mensam conventualem in monasteriis commendatis ab abbatis commendatarii mensa separatam fore iussit (3). Eorumque statuta a protectore revisa confirmavit Clemens VIII (4). Idemque reformatis Basilianis tria communia vota aeque profitentibus duo addidit praecepta speciatim servanda, orationem, et manuum laborem (5). II. *Carmelitae* in monte Carmelo intra Ptolemaidis, et Galileae fines, in quo spectatur Eliae Prophetae spelunca, a Bertoldo Calabro primum in societatem collecti ex Eliae revelatione anno 1156., tum a B. Alberto hierosolymitano Patriarcha initio subsequentis saeculi regulam ex S. Basilii, aliorumque institutis concinnatam acceperunt, quam iis comprobavit Honorius II. anno 1226. (6). Eorum alii dicuntur Fratres Carmelitae *maiores* sive *calceati*, alii *mitigati* ob regulae mitigationem ab Innocentio IV. (7), et Eugenio IV. (8), et Xysto IV. (9) ipsis indultam,

(1) Innoc. III. in conc. Lat. IV. *cap. ne nimia 9. de religios. domibus.*
(2) Greg. X. in *cap. religionum un. eodem tit. in VI.*
(3) Greg. XIII. in *const. benedictus 58.*, edita an. 1579, *to.* 2. Bullarii. Idque firmavit Clemens VIII. in *const. Altissimi 103*, tum Paulus V. in *const. iniuncti* 17. *to. 3.* Bullarii.
(4) Clemens VIII. in *const. quae ad restituenda 14 to. 3.* Bull.
(5) Idem *const. 1.*, *et cit. const. 103.*
(6) Honorius III. *const. ut vivendi 8.*, *to. 1.* Bull.
(7) Innoc. IV. *const. quas honorem 6. to.* 1. Bull.
(8) Eugen. IV. *const. Romani 3. eod. to. 1.*
(9) Xyst. IV. *const. dum attenta 11. eod. to. 1.*

alii demum *discalceati*, nedum viri ex constitutionibus Gregorii XIII., aliorumque Pontificum, sed *discalceatae* etiam virgines Carmelitanae ex reformatione S. Theresiae anno 1562 (1).

IX. *S. Augustini* regula utuntur primum *Canonici regulares*, quos ab institutis Apostolorum declinatos ad officium reduxit sanctus Episcopus, pluriesque relapsos usque ad saeculum X., reformarunt usque adeo nonnulli abbatum religiosissimi, ut eorum ordo saeculis X., et XI. maxime floruerit in multis nedum monasteriis, sed cathedralibus etiam Ecclesiis (2), praesertim congregationes Lateranensis (3), Lucensis, Mortariensis, S. Sepulcri, et S. Spiritus in Italia, S. Rufi, S. Victoris, et Praemonstratensis in Gallia, cetera eiusdem Ordinis Capita. II. His adduntur *clerici regulares*, puta *Somaschorum* congregatio anno 1531. ab Hieronymo Aemiliano Veneto senatore fundata inter Mediolanum, et Bergomum, quam probavit S. Pius V., sub regula S Augustini pro erudiendis orphanis, et cura seminariorum gerenda anno 1568. (4). Altera *S. Pauli decollati*, seu *Barnabitarum* in basilica S. Barnabae

(1) Hanc confirmavit Gregorius XV. *const. Omnipotens 20. to. 3.* Bull.

(2) Cum vero temporum iniuria sensim regularibus Canonicis destituerentur cathedralium monasteria, ratio postulavit, ut ad saeculares Canonicos, et clericos transferrentur. Hos enim eam ob rem in eis ordinari, et institui rescripsit Innocentius III. *in cap. inter quatuor 5. de religios. domib.*

(3) Paschalis II. in *const. quanto lateranensis Ecclesia 2.*, an. 1106., *to.* 1. Bull. Canonicis regularibus basilicae Salvatoris, et S. Ioannis Baptistae, ac S. Ioannis Evangelistae, quae *Constantiniana* dicebatur, ordinis S. Augustini totam parochiam Lateranensis Ecclesiae in perpetuum concessit. Anastasius IV. *const. potestatem* 1., anno 1154. *eod. to. 1.*, eorum ordinem, et privilegia, et possessiones confirmavit, et nonnulla ad ipsorum claustralem disciplinam statuit. Benedictus XII. anno 1339. in *const. ad decorem 6. eod. to. 1.*, hanc ipsam religionem in primitiva Ecclesia sacris institutionibus stabilitam reformare sategit, peculiaresque ei constitutiones dedit, et explicuit. Clemens III. in *cap. super quodam 4. de statu monachor.* de rebus Canonicorum regularium resignandis in articulo mortis cavit. Innocentius III. Canonicum regularem parochiali Ecclesiae etiam saeculari posse praefici rescripsit in *cap. quod Dei 5. eod. tit.* Martinus V. in *const. sollicitudinis 7. to. 1.* Bull. Canonicos regulares in unam congregationem redegit, constitutiones innovavit, privilegia explicuit. Eugenius IV. basilicam Lateranensem iisdem Canonicis regularibus restituit, et congregationis Lateranensis nomen indidit. Nicolaus V. idipsum confirmavit. Dein ipsos, quum a basilica Lateranensis regimine eiecissent nonnulli cives Romani: Calixtus III. iussit, ut ab ea curanda, et gubernanda regulares desisterent, in eaque instituerentur Canonici saeculares. Tum a Paulo II. in eam restituti regulares, eo defuncto, amoti denuo fuere auctoritate Xysti IV. Nam Xystus IV. in *const. dum ad universos 10. eod. to. 1.*, expositas Canonicorum regularium vicissitudines memorans iis titulum congregationis Lateranensis, et privilegia omnia servavit. Sed novum in urbe templum S. Mariae de Pace eis construxit, in quod lateranenses Canonici regulares tandem abierunt relicta saecularibus basilica S. Salvatoris, et S. Ioannis.

(4) Paulus III. *societatem* ecclesiasticorum, et saecularium inservientem hospitali *pauperum orphanorum*, et mulierum poenitentium S. M. Magdalenae, quod in suburbio S. Leonardi Bergomensis, et Mediolanensis instituerat Hieronymus Mianus Venetus, aliisque alibi pariter fundatis, probaverat anno 1540., *const. in iuncto 21. to. 1.* Bull. Ea inde transiit in congregationem *clerico-*

iuxta Mediolanum erecta anno 1533. auctoritate Clementis VII. (1). Alia *clericorum minorum* a Xysto V. probata anno 1588., quam fundavit Ioannes Augustinus Adomos (2). Congregationem *clericorum doctrinae christianae* cum arbitrio emittendi votum spontaneum, elapso tyronicinii anno in ea perpetuo manendi Gregorius XV. probavit anno 1621. (3). *Scholas pias* ad pauperes erudiendos, et gratis instituendos in urbe Paulus V. erexit anno 1614., *congregationi clericorum pauperum Matris Dei* demandatas, quibus post biennium probationis indulsit tria vota simplicia paupertatis, castitatis, et obedientiae eo pacto emittere, ut sola Romani Pontificis dispensatione dissolvi ea possint (4). Tum Gregorius XV. eos vota solemnia profiteri, ut ceteros probatarum religionum alumnos maluit (5), et privilegiis mendicantium frui (6), eorumque constitutiones probavit (7). *Clericorum regularium infirmis ministrantium* congregationem probavit Xystus V. (8) anno 1586., regulam firmavit privilegiorum largitione Gregorius XV. anno 1591. (9), eamque reformavit Clemens VIII. (10).

X. Eandem regulam specialius nomine, ac re profitentur *fratres eremitae S. Augustini*, ante concilium Lateranense IV. iam vigentes, quos nonnullis ab Innocentio III. privilegiis auctos in unam ex pluri-

rum regularium de Somascha quod ad erudiendos orphanos auctoritate S. Pii V. *const. iniunctum 78. to. 2.* Bull., cui nonnulla privilegia largiti sunt Gregorius XIII., tum Xystus V. in *const. aequum* 4, et Clemens VIII. *const. decet* 22.: et speciatim privilegia Mendicantium Paulus V. *const. 37.* Idemque ipsis univit Clericos doctrinae christianae, *const. 96. to. 3.* Bullarii. Oratoria privata in collegiis Urbanus VIII. *const. 181. to. 5.* Bull. Libertatem confitendi cuivis presbytero ab Ordinariis locorum probato, et sepeliendi cadavera alumnorum sine Parochi interventu Alexander VII. in *const. 64.*, *et const. 175. to. 5.* Bull. Idemque eos in tres provincias divisit *const. 119.*

(1) Clemens VII. Bartholomaeo Ferrario, et Antonio Mariae Zachariae presbyteris Mediolan., et Cremonens., tribusque sociis indulsit facultatem emittendi tria regularia vota in manibus Archiepiscopi Mediolanensis, et congregationem religiosam intra eandem dioecesim instituendi, futuris vero asseclis suis profitendi in Praepositi sui manibus, ut liquet ex *const. vota 37.* an. 1433. *to. 1.* Bull. Paulus III. eandem Congregationem firmavit *const. dudum* 5. Iulius III. conservatores ei dedit *const. ad hoc 10.* Gregorius XIII. transitum ad alios ordines vetuit *clericis istis regularibus, eorumque Congregationem S. Pauli decollati* primus appellavit *const. in specula* 48. Idemque ad professiones publicas accedere invitos noluit. Hoc etiam placuit Xysto V. in *const. rationi 5.*, qui formam recipiendi novitios eis imperavit *const. exigit 77.*

(2) Xystus V. in *const. sacrae 81. to. 2.* Bull. Tribus notis Regularium communibus addunt quartum de non petendis praelaturis extra religionem, a Clemente VIII. probatum *const. quaecunque* 115. Gregorius XIV. in *const. Romanus 2.* eis indulsit privilegia Theatinorum a Clemente VIII. deinde firmata.

(3) Greg. XV. in *const. ex incumbenti 12. to. 3.* Bull.

(4) Paulus V. in *const. inter pastoralis 81.*, *et const. ad ea 101. to. 3.* Bull.

(5) Greg. XV. in *const. in supremo 14.* an. 1621., *to. 3.*

(6) Idem in seq. *const. ad uberes*, anno 1622.

(7) Idem in *const. sacri apostolatus 17.*, anno 1621.

(8) Xystus V. in *const. ex omnibus 25. to. 2.*

(9) Greg. XV. in *const. illius 17. to. 2.*

(10) Clemens VIII. in *const. superna 78. to. 3.*

bus congregationibus societatem uni Superiori generali obtemperantem redegit Alexander IV. anno 1256. Nam aegre Pontifex ferens eremitarum titulo, vestesque magis, quam ipsorum professionem religiosam dispares, congregationesque diversas S. Guilielmi, S. Augustini, Fratris Ioannis Doni de Fabalis, et de Britinis insimul univit, unique generali totius ordinis Priori omnes subiiciens, ad uniformem habitum, et cucullas nigri coloris gerendum obstrinxit, atque a baculis, ferulisque deportandis exemit (1). Congregationem Siciliae postmodum cum ordine toto univit Paulus V. (2). Bonifacius VIII. anno 1295. vetuit aliis mendicantibus nova monesteria, Ecclesias, oratoria aedificare prope Ecclesias, et conventus fratrum eremitarum S. Augustini intra spatium cannarum 140. (3), praeterquam in eremis, absque licentia Sedis Apostolicae (4). Aliorum ordinum gratias, et privilegia mendicantium eis largitus est Iulius II. anno 1508 (5). Sacrarii pontificii administrationem pertetuo concessit Alexander VI. (6). Facultatem alienandi bona Ordinis Gregorius XIII. (7) : ambitum vetuere Clemens VIII., (8), et Paulus V. (9). Formam eligendi magistros theologiae in Italia eisdem praescripsit Gregorius XIII. (10); eodem ex ordine prodivit congregatio *Augustinianorum discalceatorum* anno 1585. in Hispania.

XI. *Praedicatorum* ordinem insignem S. Dominicus Hispanus (11) canonicus regularis Ecclesiae Oxomensis, saeculo XIII. ineunte instituit, eumque confirmavit primum Innocentius III. in concilio Lateranensi IV. anno 1215, secundum B. Augustini regulam: quum praecipua ordinis Praemonstratensis Canonicorum regularium statuta fundator ipse ore, et exemplo tradiderit, comitiis deinde generalibus declarata, et aucta (12).

(1) Alexand. IV. in *const. licet Ecclesiae 6. to. 1.* Bullar. Lanfranco totius ordinis eremitarum S. Augustini primo generali, et universis fratribus eiusdem data 4. Maii 1256. — (2) Paulus V. in *const. exponi 99. to. 3.* Bull.

(3) Bonif. VIII. in *const. ad consequendam 2. to. 1.* Bull.

(4) Idem in *cap. 1. de excess. Praelator. in VI.* Aliam in eiusmodi licentiis concedendis formam recentiorem usu vigentem super minorum conventuum, et monasteriorum aedificatione statuit Clemens VIII. in *const. quoniam 99. to. 3.* Bull. — (5) Iulius II. in *const. etsi ad bene merendum 18. to. 1.* Bull.

(6) Alex. VI. in *const. ad sacram 5. eod. to. 1.*

(7) Greg. XIII. in *const. dum ad uberes 5. to. 2.* Bull.

(8) Clem. VIII. in *const. quoniam 114. to. 3.* Bull.

(9) Paul. V. in *const. admonemur 30. to. 1.*

(10) Greg. XIII. in *const. dominicum 83. to. 2.*

(11) Gregorius IX. eum in Sanctorum catalogo adscripsit in *const. fons 8. to. 1.* Bull.

(12) Honorius III. in *const. religiosam 2. to. 1.* Bull. eundem ordinem confirmavit, et sub Apostolicae Sedis protectione suscepit. Vere mendicantem declaravit S. Pius V. *const. Romanus* 44., eumque omnibus Mendicantium Ordinibus praecedere, in *const. divina 71. to.* 2. Bull. Clemens IV. multa ei privilegia indulsit in *const. providentia 11., et const. ordinis to. 1.* tum Bonifacius VIII. *const. ad augmentum* 4., Gregorius XI. *const. vetute 7.*, et Xystus V. *const. regimini 7., et const. sacri 19. to. 1.*, nec non S. Pius V. *const. dum ad uberes 11. to. 2.* Clemens VIII. habitum ei peculiarem praefinivit *const. ex iniuncto* 104, ambitumque prohibuit *const. religiosos 7. to. 1.* Fratres, et Sorores tertii Ordinis eidem addidit Innocentius VII. *const. Sedis 1. eod. to. 1.*

XII. *Cruciferos* Innocentius IV. Augustinianae item regulae subiecit (1).

XIII. *Iesuatos* B. Hieronymi a Ioanne Columbino Senensi ortos Urbanus V. anno 1367. (2).

XIV. *Ioannitas* Fratres *Charitatis* S. Ioannis de Deo Lusitani S. Pius V. anno 1572. (3). *Trinitarios* redemptionis captivorum auctore S. Ioanne de Matha Gallo Innocentius III. anno 1209. (4).

XV. Mox ordinem S. M. de Mercede redemptionis quoque captivorum a S. Petro Nolasco fundatum Gregorius IX. anno 1235 (5).

XVI. Sacrae item virgines *Augustinianae*, *S. Catharinae Senensis, Poenitentes S. M. Magdalenae, S. Ursulae*, *Visitationis B. Mariae*, et si quae sunt aliae, ut regulam S. Augustini profiteantur, placuit Sedi Apostolicae.

XVII. Sub S. Benedicti regula militant in primis *monachi nigri*, inter quos praecellit ordo *Casinensium* a divo ipso Benedicto Nursino institutus in monte Casino, unde nomen accepit anno circiter 520, confirmatus a divo Gregorio M. in Romana synodo anno 595, dein reformatus a Ludovico Balbo Abbate S. Iustinae civitatis Patauiae anno 1410. Ab eo multiplices promanarunt religiosae familiae, nimirum Ordo *Camaldulensium* anno 997. a B. Romualdo Ravennate editus anno 1060., ab Alexandro II. probatus anno 1073. (6). Tum *Vallisumbrosae* anno 1060. (7): et *Cisterciensium* a quodam Stephano, vel Ro-

(1) Ab Alexandro III. probatam Cruciferorum regulam iuxta disciplinam B. Cleti, ab Innocentio VIII. officia eis ad triennium reducta, a Clemente VII. formam eligendi officiales indictam, a Paulo III. plura pro eodem Ordine conservando imperata tradit S. Pius V. in *const. nihil. 59. to.* 2. Bull., qua abusus reformavit circa proprietatem, administrationem, et munus officialium.

(2) Eos Martinus V. probavit *const. piae* 11., et Alexander VI. *const. ad sacram 9. to.* 1. Clemens VII. ipsis privilegia eremitarum S. Augustini indulsit, ipsorum regulam profitentibus, *const. sacrae 36. to. 1.* Mox privilegia mendicantium S. Pius V. *const. Romanus 50. to.* 2. Promotionem ad sacros ordines Paulus V. *const. religiosos 16. to. 3.* Facultatem audiendi confessiones in parochialibus Ecclesiis suae congregationis, praevia Ordinariorum approbatione Gregorius XV. *const. ex iniuncto 35. to. 3.* habitum, et capitium reformavit Urbanus VII. *const. onerosa 33. to. 4.* Bull.

(3) S. Pius V. in *const. licet* 143. *to.* 2. Bull. Pro Italis Ioannitis nonnulla speciatim statuit Clemens VIII. *const. Romani 44. to.* 3. ex iis promoti ad sacros ordines facti sunt inhabiles ad religionis munera, et dignitates a Paulo V. *const. inter alias* 55. *to.* 3. Eorumque Sacerdotes disponere non posse in usus proprios de Missarum eleemosynis edixit Urbanus VIII. *const. circumspecta* 84. *to.* 4.

(4) Innoc. III. in *const. operante 1. to. 1.* Bull. Gregorius XV. Trinitariis privilegia omnia, et indulta confirmavit *const. iniuncti* 22. *tom. 3.* Bull.

(5) Greg. IX. *const. devotionis 9. to. 1.* Eos ad ordines mendicantium transire vetuit Calistus III. *const. super gregem 3. to. 1.* Nec vicissim ad ipsos licet Fratribus minoribus S. Francisci de Obs. transire ex Clementis VIII. *const. nuper* 46. *to. 3.* Clemens VIII. *const. infirma 4. to. 3.* Bull. eis indulsit facultatem faciendi generalem benedictionem et absolutionem in diebus S. Catharinae, Cinerum, et Coena Domini.

(6) Alex. II. *const. nulli fidelium 1. to. 1.* Bullarii M.

(7) Urban. II. *const. cum universis eod. to. 1.* Bull. hanc congregationem

berto Abbate anno 1098: institutus, in quo unus omnium maxime, floruit anno circiter 1120. divus Bernardus Claravallensis (1). Congregatio *Montisvirginis* a divo Guilielmo eremita Vercellensi erecta anno 1124. (2). Et *Guilielmitarum* in Tuscia ortorum ab alio Guilielmo, postremo Aquitaniae Duce, ac Pictonum Comite anno 1152. Ordo *Coelestinorum* a B. Petro de Morrhone, qui ad solium pontificium elatus, Coelestini V. nomen assumpsit anno 1194. (3). Congregatio *Montis Oliveti* in Aretina dioecesi a Bernardo Ptolomaeo anno 1319. (4): alia Sylvestrinorum (5). His adduntur sacrae virgines *Benedictinae, et S. Bernardi.*

XVIII. Regulam *S. Francisci* tenent *Fratres minores*, seu *conventuales* a fundatore ipso praescriptam anno 1208, et ab Innocentio III. probatam anno 1216. (6). Tum *Fratres minores reformati*, seu *strictio-*

probavit, et immediata sub protectione Sedis Apostolicae suscepit, a S. Ioanne Gualberto institutam. Uni eam abbati subiecit Innoc. VIII. in *const. alto* 2. Tum privilegia confirmarunt Iulius II. in *const. militantis 13.*, et S. Pius V. *const. etsi mendicantium* 41.

(1) Paschalis II. in *const. desiderium* 1., anno 1100. data ad Albericum abbatem Cistercii in Cabilonensi parochia, seu dioecesi novam Cisterciensem congregationem, abbatiam, et coenobii monachos sub Apostolicae Sedis protectione suscepit, *salva Cabilonensis Ecclesiae canonica reverentia.* Eugenius III. in *const. sacrosancta 2. to. 1.* Bull. anno 1152. constitutiones Ordinis Cisterc. quos *chartam charitatis* appellant, confirmavit. Mox Clemens IV. *const. partus 3.*, Benedictus XII. *const. fulgens 3.*, Greg. IX. *const. quia 7.*, Innoc. IV. *const. devotioni* 4., Eugenius IV. *const. ad universalis* 14., et *regularem 16.* Innoc. VIII. *const. ad Romani 4. cap. 5.*, *et const. si cunctis*, Xystus V. *const. Pontifex 34.*

(2) Eam probavit Coelestinus III. anno 1147. *const. religiosam 3. to. 1.* Bull. Exemptiones, et privilegia plurima ei indulserunt Urbanus IV. *const. Ecclesia 6. to. 1.*, et Xystus V *const. dudum 85. to. 2.* De oblatorum tyrocinio annali, et Abbatum privilegiis, et iure suffragiorum, et Doctoratus insigniis plura statuit Paulus V. *const. postulat. 89. to. 3.* Mitram, baculum, pontificalia cetera indulsit Abbatibus Montis Virginis Urbanus IV. *const. ecclesia 6. to. 1.*

(3) Coelestinis privilegia Casinensium communicavit Urbanus VIII. *const. sacrosancti 26.*, et constitutiones emendatas probavit altera *const. sacrosanctum 56. to. 4.* Bull.

(4) Hanc probavit Ioannes XXII. *const. cum a nobis 15. to. 1.* Bull. A decimis, aliisque oneribus eximit Pius II. *const. licet 9.* A processionibus Iulius II. *const. etsi ad universas 12.* Privilegia Casinensium indulsit Pius II. *ibidem.* Ab Ordinariis exemit Iulius II. *const.* 13. Visitatoribus alienare bona in evidentem Congregationis utilitatem indu'sit Leo X. *const. ex debito* 18. Abbatibus facultatem absolvendi monachos ab irregularitatibus, exceptis casibus quatuor, Pius IV. indulsit in *const. votis vestris 7. to. 2.* Bull. Baldacchino, et pontificalibus utendi formam, et ritum statuit Urbanus VII. *const. exponi 97. to. 4.*

(5) Hanc congregationem in eremo S. Benedicti de monte Fano a Silvestro Guzzolino Abbate Auximano fundatam probavit Innocentius IV. *const. religiosam 5. to. 1.* Bull. privilegiis medicantium frui, aliisque gratiis statuit Paulus III. *const. exposcit 38. to. 1.*, et Paulus V. *const. sanctorum 106. to. 3.*

(6) Honorius III. in *const. solet 5. to. 1.* Bull. inservit regulam Fratrum Minorum, et testamentum B. Francisci, et utrumque probavit. Innocentius IV. in *const. cum tanquam 7. eod. to. 1.* Bull. decrevit, ut Ecclesiae Fratrum

ris observantiae, seu *recollecti*, quorum congregationem Clemens VII. approbavit anno 1232. (1). *Capuccini* a Fr. Matthaeo de Bassio ex Umbria oriundo Ordinis Minorum Observantium instituti, et a Clemente VII. confirmati anno 1538 (2). Sacrae item virgines *S. Clarae* ab ipso B. Francisco institutae. *Urbanistae* eiusdem ordinis, quae ab Urbano Papa IV. regulam Franciscana mitiorem acceperunt, et *Capuccinae*.

XIX. Mixtas ex iisdem antiquis regulas nonnullae religiones, aliae novas adhibent. *Carthusiani* in eremo *Carthusiae* dioecesis Gratianopolitanae anno 1086. a B. Brunone Coloniensi eorum parente regulam ex SS. Augustini, et Benedicti institutis decerptam servant, quam probavit primum anno 1090 Urbanus II. (3): tum Alexander III. eam privilegiis auxit (4), et Honorius III. (5), Gregorius IX. (6), Urbanus V. (7), Bonifacius IX. (8), Martinus V. (9). Privilegia Mendicantium communicavit Gregorius XV. (10). Uni eam Abbati, scilicet Priori Maioris Domus Carthusiae, et generali Priorum Capitulo subiecerunt in perpetuum Innocentius VIII. (11), et Iulius II. (12). *Brigidanis* sub titulo S. Salvatoris, et viris, et foeminis S. Brigida circa annum 1363. in Svecia regulam, quae consonat cum Basiliana, et Augustiniana, tradidit, confirmatam ab Urbano V. anno 1370.

XX. Novam regulam *evangelicis consiliis, et canonicis Patrum san-*

minorum *omnes*, *ubi Conventus* existunt, *Conventuales vocentur*. Martinus V. an. 1430. eandem declaravit regulam ad totius Ordinis Conventualium reformationem, in *const. cum generale capitulum 13.*, *et const. pervigilis 16. to. 1.* Bull. Tum Pius IV. in *const. Sedis Apostolicae 103. to. 2.* Multa eis privilegia, et exemptiones indulsit Clemens IV. *const. virtute* 4., et Xystus IV. *const. regimini 60. to. 1.* Bull. Hanc Xysti IV. constitutionem amplissimam *mare magnum* vulgo appellant. Eam moderatus est Leo X. in *const. dum intra 22.*, et Pius IV. in *const. in principis 94.* At alias eidem Ordini gratias largitus est S. Pius V. in *const. dum ad uberes* 11.

(1) Reformationem eorum semel, iterumque statuit, edixitque S. Pius V. in *const. ad extirpandos 61.*, *et const. illa 66. to. 2.* Bull. Reformatos istos *Minores de observantia* cum Capuccinis Tridentina Synodus excepit nominatim ab indulto possidendi immobilia in *cap. concedit 4. sess. 25. de regularib.*

(2) Clement VII. in *const. religionis rebus 21. to. 1.* Bull. *Minores* Conventualium *eremitas*, seu de vita eremitica, quos *Capuccinos* dicimus, in peculiarem Congregationem redegit, iisque habitum cum caputio quadrato, et barbam deferre, indulsit specialim, simul et privilegia Camaldulensium. Cum vero ipsi Fratres minores sint, Vicarium sibi generalem eligunt, qui a Magistro Generali Ord. Min. Convent. confirmatur, ex Pauli III. *const. exponi 11. to. 1.* Bull, — (3) Urban. II. in *const. cum universis 1. to. 2.* Bull.

(4) Alex. III. in *const. cum vos 7.*

(5) Honor. III. in *const. cum dilecti 3.*

(6) Greg. IX. *in const. quoties 3.* — (7) Urbanus V. in *const. sincerae 2.*

(8) Bonif. IX. in *const. sacrosancta 3.* — (9) Martin. V. in *const. fons 4.*

(10) Greg. XV. in *const. ad uberes 42. to. 4.*

(11) Innoc. VIII. in *const. alto 2. to. 1.*

(12) Iul. II. in *const. dum ad fructus 17. eod. to. 1.* Ordinem Carthusianum ex eo maxime collaudat Bened. XIV., quod plures sanctos nedum patefecit, sed et ipse fecit: in his B. Nicolaum Albergatum Card. Episcopum Bononiens. ord. Carthus., quem vulgo appellarunt *Cardinalem Pacis*, Bened. XIV. in *const. quoniam* 108. §. 13. de cultu B. Nicol. Albergati *to.* 1. Bull. sui.

etionibus conformem in paucos articulos distinctam S. Ignatius de Loyola cum novem sociis lectissimis conscripsit pro Clericis regularibus Societatis Iesu, videlicet de voto castitatis, de praepositi munere et auctoritate, de obedientia erga Romanum Pontificem, de missionibus non procurandis, nec vitandis, de paupertatis voto privatim, et communiter exceptis collegiis, de officio divino privatim recitando, de diuturna probatione tyronum. Eam Paulus III. probavit anno 1540. (1), indulgens iisdem sociis facultatem condendi particulares constitutiones, non obstantibus concilii generalis, et Gregorii X., aliisque apostolicis constitutionibus: mox Iulius III. anno 1550 (2). Tridentina synodus anno 1563. sub Pio IV. de reformatione Regularium plura constituens, *per haec tamen*, ait, *non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin religio clericorum* Societatis Iesu *iuxta pium eorum institutum a S. Sede Apostolica approbatum Domino, et eius Ecclesiae inservire possint* (3). S. Pius V. eam inter ordines Mendicantium esse, ipsorumque privilegiis frui declaravit anno 1571. (4). Gregorius XIII. anno 1584. constitutiones eiusdem Societatis de novitiis biennio probandis, iisque ad tria vota publica, sed simplicia dein admittendis, de coadiutoribus, et scholaribus cooptandis, de quatuor vota solemniter professuris, et hereditatum incapacibus, de apostatis sine licentia discedentibus, de communi vita post novitiatum, de paupertate servanda quamvis dominium bonorum non professi retineant, de fruitione privilegiorum aequa inter omnes post biennium probationis confirmavit, multis circa ea dubiis explicitis, et amotis (5). Cumque multa contra eiusmodi institutum obiecta essent libellis ad Xystum V. delatis, rebus maturo Cardinalium consilio discussis, Gregorius XIV., et regulam, et constitutiones, et privilegia Societatis confirmavit anno 1591. (6): tum alias eidem gratias alii Pontifices indulserunt.

XXI. Altera inter regulares differentia segregat a mendicantibus non mendicantes. Prisca monachorum institutio universos adegit victum sibi quaerere labore manuum suarum, ne otium in coenobiis vitia gigneret, nec desidiosos alendi onus ferret respublica, iandudum officio praedicationis, ministerioque Sacramentorum expertes. Verum Constantini M. lex (7) nedum cunctis Ecclesiis, sed etiam collegiis monachorum largita cum esset capacitatem adipiscendi hereditates, legata, fideicommissa: latifundiis, opimoque censu religiosas domus eatenus ditavit liberalitas piorum disponentium, ut cura quaerendi victum labore manuali cunctis ferme Regularibus sensim adempta, assiduam eorum operam verterit ad litterarum studia, praedicationem, ceteras animarum utilitates multimodas. Ineunte saeculo XIII. beatos pauperes spiritu ae-

(1) Paul. III. in *const. regimini 25. to. 1.* Bullarii.
(2) Iul. III. in *const. exposcit 9. eodem. to. 1.* Bull.
(3) Trid. in *cap. nulla quoque 16. sess. 25. de regular. et monial.*
(4) S. Pius V. in *const. dum indefessae 131. to. 2.* Bull.
(5) Greg. XIII. in *const. ascendente Domino 89. to. 2.*
(6) Greg. XIV. in *const. Ecclesiae catholicae 10. eod. to. 2.*
(7) L. 1. *C. de sacros. Eccles.* Cumque Valentinianus II. in *l. 27. C. Th. de Episc., et clericis* fraudulentas circumcellionum cupiditates cohibendi studio

mulatus divus Franciscus Assisiensis, extremamque mendicitatem professus, regulam recentiorem fratribus suis indixit, ut ii bonis omnibus, redditibusque in communi etiam destitui vitam eleemosynis tantum sustentarent. Eandem regulam Franciscanorum mendicantium mox amplexi sunt *Dominicani*, *Augustiniani*, *et Carmelitae*. Deinde alii nimirum *Servi B. Mariae*, *Minimi* B. Francisci de Paula, *Iesuitae*, et *Hieronymitae*.

XXII. Quo tempore duos primo dictos mendicantium Ordines iam clarificabant sanctitate, doctrinaque insignes divi Thomas de Aquino, et Bonaventura, ambo universitatis Parisiensis magistri, contra insurrexit primus omnium Willelmus de S. Amore theologus Parisiensis (1), qui inter alios errores asserere non dubitavit improbam prorsus, et evangelicae perfectioni adversantem esse in regularibus mendicitatem: quos veluti pseudo prophetas, et nuntios antichristi diffamabat, quod Christus loculos habuisset, iisque corpore validis alimenta necessaria, nonnisi labore, vel communibus, firmisque monasterii proventibus accipienda, nefas esse ostiatim mendicare. Eum Alexander IV. damnavit quum proscriptione libelli *de periculis novissimorum temporum* (2), tum promulgatione (3) probatae ab Ecclesia sententiae, quod status mendicitatis propter Christum sit salutis, et perfectionis: quodque religiosi pauperes, qui omnia propter Christum reliquerunt, mendicando possint quaerere victum suum sine labore manuum, etiamsi validi corpore sint, maxime qui student verbo Dei, legendo, disputando, et praedicando: adiecitque plures utriusque Ordinis alumnos gratia miraculorum a Deo auctos, et catalogo Sanctorum rite adscriptos obtrectantem, seditiosumque scriptorem aperti mendacii redarguere.

XXIII. Mendicantium duplex olim genus: alterum *ex regula*, alterum *ex constitutionibus*. Qui B. Francisci Assisiensis regulam profitentur, prohibentem ne quid praediorum, censusve in communi, neve quidquam omnino proprium haberent: ii *ex regula* quidem mendicantes sunt: ceteri vero *ex constitutionibus*. Nam S. Dominicus ordinem suum probantibus Innocentio III., et Honorio III. (4), regulae S. Augustini primum subiecit, communes possessiones indulgenti: mox anno

sanxisset, ne viduae, vel diaconissae quidquam Religionis intuitu testarentur: S. Hieronymus *ep. 2.* ad Nepotianum: *pudet dicere*, scripsit, *sacerdotes idolorum, mimi, et aurigae, et scorta hereditates capiunt, solis clericis. ac monachis hac lege prohibetur, et prohibetur non a persecutoribus, sed a Principibus christianis. . . nec de lege conqueror, sod doleo, cur meruerimus hanc legem.* Dein Valentinianus ipse Tatiano praefecto rescribens eam prorsus deletam voluit, ut patet ex *l.* 28. *C. Th. eod. tit.*

(1) Willelmus de S. Amore in concione *de publicano, et pharisaeo*, in libro *de periculis novissimorum temporum*, et in quaestione *de valido mendicante.*

(2) Alex IV. 3. Non. Octobris 1256. in *const. Romanus 7. to. 1.* Bull.

(3) Anagniae die 23. Octobris 1256., de qua N. Alexander in *saec. XIII. hist. eccles. cap. 3. art. 7.* Idipsum Nicolaus III. condocuit in *cap. exiit qui seminat 3. de verb. signif. in VI. §. porro, et seqq.*

(4) Hon. III. in const. *religiosam vitam*, 11. Kal. Ian. 1216; religiosum Ordinem, simul possessiones, decimas, et parochiales Ecclesias Dominicanis confirmavit.

1220. in primis comitiis generalibus Bononiae asseclas suos possessionibus omnino abdicatos maluit. Reliquos Mendicantium profecto non regula, quam vovent S. Augustini, sed constitutiones manifestius ad paupertatem communem obstrinxere usque ad Tridentini concilii promulgationem.

XXIV. Deinde comperto quotidianas eleemosynas tot tantisque religiosorum copiis non sufficere: alimentaria necessitas postulavit, ut synodus Tridentina tandem cunctis Regularium ordinibus utriusque sexus, etiam mendicantium bona immobilia, censusque in communi possidere tandem sineret, praeterquam Fratribus Capuccinis, et minoribus de Observantia in prisco mendicitatis statu relictis (1): simul cautum, ut personarum numerus cuiusque monasterii facultates non exsuperet. Eo ex tempore Minorum conventualium religiosae domus franciscana inopia solutae, non secus, quam ceterae omnes aliorum. Ordinum nedum fundos obtinent in limine fundationis: sed hereditates etiam, et fideicommissa ex cuiusque professi personis, qui ante vota solemnia successiones consanguineis non renunciaverit, iure capiunt quum testamentis, tum ab intestato delatas. Eaque bona soli monasteriorum, et conventuum officiales, nutu Superiorum eligendi, amovendique administrant: quum nemini regularium sine officio quodvis praedium liceat sibi ad usumfructum, vel commendam annuentibus quoque Superioribus habere (2). Verum Ordinarii locorum, Regularesque nunc veri mendicantes nequeunt Fratribus conventualibus S. Francisci prohibere, quin eleemosynas quaerant in locis, ubi suos hi conventus habent (3).

XXV. At Mendicantes nullius omnino rei immobilis quovis titulo capaces etiam in communi vix poterunt per idoneum deputatum, seu procuratorem in usus ipsorum necessarios convertere pretium alicuius praedii, quod iis sit, nonnisi sub hac sola conditione utiliter legatum (4). S. Congregatio cismontanae familiae Fratrum minorum de observantia negotiis praeposita, secundum S. Bonaventurae sententiam censuit die 4. Iunii 1628., licere iisdem Fratribus annua legata cum onere Missarum, officiorumque, sive gratis relicta sibi recipere tuta conscientia, quatenus heres voluntate libera maluerit ea dare in eleemosynam, iisque Missarum, officiorumque celebrationem committere. Cum vero tribunal fabricae S. Petri contenderet ad eam eiusmodi legata spectare, uti caduca ob Fratrum eorundem incapacitatem: eadem S. Congregatio Urbano VIII. probante simul, et iubente decrevit die 14. Februarii 1663., *proprietatem*, sortemque talium legatorum supremo tantum Papae arbitrio esse in alios usus pios applicandam, irritamque fore quamlibet de ea transactionem, reductionem, extinctionemque a ministris etiam fabricae, et quibuslibet aliis absque speciali Sedis Apostolicae auctoritate gestam. Postquam dies solutionis cesserit, lapso inde biennio tribunal fabricae posse a morosis, vel invitis debitoribus annuos lega-

(1) Trid. *in cap. concedit. 3. sess. 25. de Regular.*
(2) Trid. in *cap. nemini 2. eodem sess. 25. de Regul.*
(3) Urban. VIII. in *const. cum sicut 279. §. 2. to. 5.* Bull.
(4) Nicol. III. in *cap. exiit 3. de verb. sign. in VI. §. ad haec.*

torum fructus duntaxat exigere, sine ullo sortis detrimento, donec, et nisi aliter de hac, iisque Pontifex disposuerit. Fratribus autem minoribus interea nefas esse ab invitis debitoribus, aut sortem, aut fructus annuos postulare in iudicio, vel extra iudicium petere ab invitis debitoribus: sed ipsis tantum licere annuas fructuum praestationes in eleemosynam a sponte dantibus accipere. Quemadmodum nec apochas, nisi de quantitatibus reapse acceptis conscribere, diemque inibi ipsum, quo solutio spontanea facta sit, obsignare sine fraude, ac simulatione, nec ullo unquam pacto pontificias de iisdem fructibus, aut sorte dispositiones impedire, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda (1).

(1) Verba decreti S. Congregationis ita se habent *I. Quod huiusmodi legata per debitores, vel heredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricae faciendam, vel alio quovis modo, sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua deminutione conservetur semper, et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti bene visos possint applicari: ita tamen, ut quandiu applicationem specialem auctoritate apostolica fieri non contingerit, heredes, vel debitores possint libere, si velint dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quaevis extinctio, reductio, seu deminutio capitalis, seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus, aut aliis quibuscunque suffragetur. 2. Quodque commissarii, aliique ministri ven. fabricae super huiusmodi capitale, seu proprietate supradicta se de caetero non intromittant, nec dictos heredes seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem applicationis auctoritate apostolica factae, vel faciendae. 3. Quod nolentibus dictis heredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas seu annuas praestationes, sive legata, ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc et eo casu lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatae illius solutionis eadem Fabrica, et illius commissarii, et ministri totum, quod solutum non fuerit pro praeterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut supra elapsum biennium, vel ultra, possint, et valeant annuas praestationes huiusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium iuxta suas facultates, et privilegia: salvo semper capitali, seu proprietate, ut supra ad effectum. 4. Quod heredes, vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec praedicta legata in alios usus eius auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocunque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica eosdem heredes, vel debitores molestare possit, et valeat toties, quoties casus contigerit, nisi pro praeterito, et tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut supra, salva semper erectione beneficiorum, et applicatione legatorum, seu quorumcunque bonorum, et reddituum, ac iurium eisdem beneficiis, seu aliis usibus piis auctoritate apostolica facta, vel in posterum quandocunque, et quomodocunque facienda, et executione litterarum apostolicarum desuper expeditarum; ita ut praefata ad illas nequaquam se extendant, sed illae semper firmae, et illaesae remaneant, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque heredes, vel debitores praefati ullo modo illas impedire, retractare, vel convertere valeant, et salvis semper Sedis Apostolicae auctoritate, ac facultatibus competentibus S. Congregationi*

XXVI. Tertium, quod proposui, discrimen oritur ex *votis*, iisque sollemnibus (1). Tria praecipua *paupertatis*, *castitatis*, *et obedientiae* vota cunctis Regularibus adeo sunt communia, ut sine illis nequeat Status regularis consistere (2). *Quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est adnexa regulae monasticae, ut contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*, inquit Innocentius III. (3): scilicet, ut solutus votis statum adhuc regularem retineat professus religiosus. At utrumque nexum, et professionis, et votorum sollemnium simul dissolvere proculdubio valet suprema Pontificis maximi auctoritas: propterea quod votorum sollemnitatem statuit

ven. Fabricae. 5. *Prohibuit tamen eadem S. Congregatio Fratribus supradictis sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant, seu praesumant, nec quilibet eorum audeat, seu praesumat per se, nec per alios syndicos, ministros, seu procuratores tam saeculares, quam regulares dictas annuas praestationes, seu legata, nec iudicialiter tam coram quocunque Iudice ecclesiastico quam saeculari, ordinario, vel delegato nec alias, nisi iuxta formam dicti decreti Congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanae Familiae a Sanctissimo Domino Urbano VIII. deputatae ab heredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusque dictis heredibus, seu debitoribus facere aliquas apochas pro dictis annuis praestationibus, nisi pro rata, et pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere, et realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua vere fuerit iisdem Fratribus aut aliis, pro eis facta realis satisfactio; et insuper, ne provisos apostolicos pro tempore de beneficiis, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum procuratores, et ministros super exactione dictorum legatorum directe, vel indirecte impedire, vel molestare quovis quaesito colore, vel praetextu audeant, vel praesumant.* Huius decreti exemplum authenticum ex registro S. Congr. R. Fabricae S. Petri de urbe *fol.* 118. desumptum est, regiumque *recipiatur* super eo expeditum in Regali Camera S. Clarae die 5. Martii 1765.

(1) *Votum* dicimus cum divo Thoma deliberatam promissionem Deo factam de meliori bono, ad quod homines iura divina, et naturalia non obstringunt. *Cum votum voveris Deo, non tardabis reddere: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, ait Dominus, Deuteronomii *cap. 23. vers. 21.*: nisi irritetur per dispensationem, vel status mutationem, vel conditionem non impletam, vel dissensum eius, cui alterius votum damna inferret. Divino iure par omnibus votis obligatio. Ius humanum vota *sollemnia* distinguit a *simplicibus*, uti monuit Bituricensem Episcopum Bonifacius VIII. in *cap. un. de voto in VI.*, simul docens solemne votum contrahi, aut susceptione sacri ordinis, aut professione regulari non modo expressa, verum etiam tacita: quod nonnisi apostolica dispensatione dissolvi potest. At simplicia vota Episcopi etiam quum permutando, tum dispensando relaxant, exceptis *quinque* praecipuis summo Pontifici reservatis, videlicet *perpetuae castitatis*, *religionem* adprobatam *ingrediendi*, *et peregrinandi* ad terram sanctam, vel ad Apostolorum limina, aut ad S. Iacobum Compostellanum, *Extravag. 2. de poenit., et remiss.*

(2) *Cap. cum ad monasterium 6. de stat. monach.* Trid. *cap. 1. sess. 25. de Regularib.*

(3) Ad Abbatem, et Conventum Sublacensem in *cit. cap. cum ad monasterium.* S. Pius V. in *const. lubricum 76. to. 2.* Bullarii itidem cautum voluit, ut statum religiosum amplectentes debeant in solemni professione tria vota substantialia emittere, et perpetuum Altissimo famulatum ferre sub una ex probatis Regulis, quam semel elegerint.

sola Ecclesiae constitutio humana (1). Hinc canonica Episcopi electio monachum a iugo regulae eximit (2) : quum nemo valeat episcopatus munia obire , et sui simul Ordinis regulam tenere (3). Nonnullique Principum feruntur non sine scriptorum dissensione, ex Apostolicae Sedis indulto fecisse transitum e regulari statu ad coniugalem. Ramirus II. Alphonsi IV. Aragonii regis frater e monasterio Tomeriensi Ordinis Benedictinorum, adprobante Innocentio II. eductus, ut solium Aragoniae ascenderet , filiam ex accepta coniuge progenuit (4). Casimiro Cluniacensi monacho Poloni ab Sede Apostolica dispensationem a regulari professione , facultatemque ducendae uxoris , antequam ad regium solium efferrent , impetrarunt (5). Constantiam Rogerii Siciliae regis natam, emissis primum in coenobio Panormitano S. Mariae votis, exinde illis a Coelestino III. absolutam nupsisse Henrico V. Imperatori sunt , qui ex lapideis monimentis affirmant (6). Alexandri III. dispensatione fertur etiam Nicolaus Iustinianus a claustro monachorum ad saecularia vota rediisse, ut nobilem inter Venetos stirpem , quae parum abfuit, quin defecisset , propagaret ; qui sex maribus , tribusque foemellis progenitis ad monasterium remigravit , concordi uxoris animo , quae virum aemulata, vitae reliquum in regulari statu peregit sanctissime. Equitibus religiosorum ordinum Alcantarae , et Calatravae , simul Commendatariis Christi in regno Lusitaniae a Sede Apostolica, ut uxores ducerent, castitatem simplicem , sed non coniugalem voventes, testantur Molina, et Rodericus (7).

XXVII. *Paupertatis* votum non communitates , domosque religiosas, si quae iam dictae Mendicantium familiae superstites excipiantur : sed singulas Regularium personas adeo abdicat rerum omnium proprietate , ac dominio , ut quidquid post professionem lucratur monachus, monialisve , aut labore , aut legitima successione (8) , aut legato , aliave qualibet causa , id non sibi , sed monasterio suo perinde adquirat, ac servus domino (9) , nullusque suum quidquam habeat , sed omnia cun-

(1) Uti rescripsit ad Bituricensem Episcopum Bonifacius VIII. in *cap. un. de voto in VI.*, *gl. in cap. ad monasterium 6. de stat. monachor.*

(2) *Can. statutum 1. C. 8. qu. 1.*

(3) Inquit divus Gregorius M. in *can. nemo potest 2. C. XVI. qu. 1.* Quia etiamsi Episcopi regulares ad claustra redeant suo dimisso episcopatu, officia, et dignitates claustrales obtinere adhuc prohibentur ex Pauli IV. *const. in sacra 21. to. 1.* Bullarii.

(4) Scribunt Hieronymus Zurita, Odericus Vitalis, Guillelmus Neubrigensis, et Robertus de Monte , a quibus dissentit N. Alexander in *hist. saec. XII. cap. XI. art. 4.*

(5) Ex Martino Cromero *lib. 4. de reb. Polon.* refert Altaserra *de iurisdict. eccles. lib. 10. cap. 15.*

(6) Iis tamen Cardinalis Baronius fidem prorsus denegat ex silentio historicorum illius aevi.

(7) Roderic. *to. 1. quaest. regular. qu. 25. art. 3.*

(8) *L. Deo nobis 58. §. 1. C. de Episc., et cler. Nov. 123., can. si qua mulier 9 , et can. non liceat 10. C. 19. qu. 3.*

(9) Innoc. III. in *cit. cap. cum ad monasterium 6. de stat. monach.*

ctis unius eiusdem monasterii sint communia (1). Quin immo ne abbatis quidem concessione potest quilibet proprietatem sibi habere (2), nec etiam bona stabilia, nisi officialis erit monasterii sui, administrare (3). Usum tantummodo eorum, quae sunt vitae, ac studiis cuiusque necessaria, et suppellectilem statui paupertatis convenientem, Superioris permissu habent singuli, ea statim, ac Superior iusserit, relicturi (4). Si quid vero sibi proprium aliquis, invito, vel inscio Superiore detineat: fracti voti reus utriusque suffragii iure ad biennium privabitur, vel depositionem ab officio, aut eiectionem de monasterio, aliasque poenas regula sancitas pro modo praevaricationis feret, moriensque, nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra coemeterium (5). Nihil itaque suum habentes Regularium personae quum dare aliis nihil valeant: improba, et inanis erit quaevis ipsorum dispositio tam inter vivos, quam causa mortis (6), nisi communi collegialium consensu, et accedente Sedis Apostolicae auctoritate fiat ob evidentem monasterii necessitatem, vel utilitatem (7). Ad episcopatum promoti cuncta ante consecrationem quomodolibet quaesita, delataque ad monasterium, quaerenda dehinc pertinent ad Ecclesiam (8). Res quidem remigrantis ad saecularem vitam illi, a quo recesserit, monasterio adiudicat Iustinianus (9): nisi irrita ob vim, aliamve causam fuerit professio (10). De uno ad aliud monasterium quoque sponte sua transiens non defert secum, quae ad primum antea detulerit: in transitu coacto, et necessario vix usufructus posteriori monasterio ad vitam ipsius transeuntis conceditur (11). Quod vero ad iura sanguinis naturalia, quae nequit humana Status religiosi lex dirimere, in his est iuspatronatus gentilitium, et familiare a personis ad monasterium non transiliens (12): ea monachi, annuente solum Superiore, probe exercent.

XXVIII. Voto *castitatis* tanta vis est, ut ipso iure dirimat matrimonium, quod professus, vel professa post illud iniverit. Si priscos Ecclesiae mores inquiramus, patefiet non interruptum fuisse Patribus studium tuendi sacram huiusce voti fidem inviolabilem. Apostolico, totoque martyrum aevo ecclesiasticas, et virgines, et viduas extitisse, quae castitatem profitebantur, dum Ecclesiae ministerio manciparentur,

(1) Uti mos fuit primitivae multitudinis credentium in Ecclesia hierosolymitana traditus in Apostolorum Actis *cap. 2. et 4.*

(2) *Cit. cap. cum ad monasterium.*

(3) Ex ante dictis *num.* 15.

(4) Trid. in *cap. nemini 2. sess. 25. de Regular.*

(5) *Cap. super 4. de statu monach.* et Trid. in dicto *cap. 2. sess. 25. de regul.*

(6) *Can. quia 7. C. XIX. qu. 3. Auth. ingressi C. de Episc., et cler.*

(7) Extravag. *ambitiosae de reb. eccl. alien.* Clement. *1. eod. tit. et cap. un. §. confirmatos de religios. domib. in VI.*

(8) *Can. statutum 1. C. XVIII. qu. 1.* Fagnan. in *cap. quae in ecclesiis num. 80. de const.*

(9) *Cit. l. Deo nobis §. 2. C. de Epis. et cler.*

(10) *Cap. eum simus 14. de Regularibus.*

(11) Roderic. *quaest. Regular. to. 2. qu. 79.*

(12) Ex iis, quae disserui in *tract. de Iurepatronatus cap. II. n. 23.*

Regularibus earum claustris nondum extructis, explorata res est (1). Timotheum monuit Apostolus (2), ne viduas adolescentiores ministerio Ecclesiae dedicaret : *cum enim* (ait) *luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. . . . . iam enim quaedam conversae sunt retro satanam.* Quae itaque semel Deo se devovisset, mox eam, fracta fide ad saeculares nuptias demigratam procul dubio damnavit Apostolus (3). S. Cyprianus sacram virginem, quae infida Christo fuerit, uti adulteram censuris, poenisque gravioribus corripiendam censuit (4). Sacrilegas eiusmodi nuptias in viris pariter castitatem professis execrati semper sunt canones (5). Qui dixerint castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, eos anathemate contundit synodus Tridentina (6).

XXIX. Illicita solum, non irrita fuisse olim coniugia monachorum, et monialium contendit cum suo protestantium agmine Binghamus (7), quum ex vetusto poenae irritantis silentio, tum ex eo, quod synodus Chalcedonensis, tametsi *non licere* virgini Deo sacrae, monachove nuptias contrahere, indicta excommunicatione sanxit, tamen Episcopo loci auctoritatem concesserit largiendi *confitentibus misericordiam, humanitatemque* (8). At quoniam nuptias illas ipsamet oecumenica synodus (9) perpetua separatione, poenitentiaque acerbiore ita dissolvendas iussit, ut *nunquam amplius coniugali vinculo religari possent :* palam est (pace tanti viri) eas generali Ecclesiae lege quinto saltem abhinc saeculo fuisse invalidas. Id unum verosimilius crediderim in prisco more positum, antequam disciplina regularium robur, protectionemque ab Apostolica Sede acciperet, nonnullos Episcoporum usos aliquando fuisse potestate solvendi vota religiosa, tunc episcopali solum auctoritate, ac nexu colligata. Iique sequebantur sententiam divi Augustini (10), coniugia voventium castitatem minime dissolventis: contradicente

(1) Eas Christi sponsas appellat S. Cyprianus *ep. 4.*, alias 62. ad Pomponium, *can. nec aliqua 4. et seq. C. XXVII. qu. 1.* Sozomenus *lib. 8. hist. cap. 23*, virgines ecclesiasticas, Socrates *lib. 1. cap. 17.* virgines in matricula Ecclesiarum descriptas.

(2) *1. ad Timoth. cap. 5. vers. 12., et 15.*

(3) Eamque damnationem anathemate innovarunt Patres Carthaginenses in *can. sicut bonum 1. C. 27. qu. 1.*, et S. Hieronymus *in can. si nupserit 3. dist. 27.*

(4) S. Cyprian. *in cit. can. 4., et 5. eadem C., et qu.*

(5) Synodi Ancyrana, Eliberitana, Carthagin. Aurelian. Toletan. ceterae apud Gratianum *eadem C. XXVII. qu. 1.* per totam S. Augustinus, *nubendi licentia* (inquit) *quibusdam tribuitur : illis videlicet, qui virginalem, vel vidualem castimoniam nequaquam professi sunt, quibusdam autem non tribuitur, illis videlicet, qui virgines, vel continentes esse decreverunt.*

(6) Trid. *can. 9. de Sacram. matr. sess. 24.*

(7) Bingham. *tom. 3. lib. 7. cap. 4. §. 2., et seqq.*

(8) Chalcedonensis *can.* 16., in *can. virginem* 12. *C.* 27. *qu.* 1.

(9) *Can. hi ergo 13. eadem C. et qu.*

(10) *Can. quidam 2. dist. 27., et can. nuptiarum 41. C. 27. qu. 1.*

in primis B. Hieronymo (1), qui apostolica damnatione vituperabat nubentes post votum virgines, tanquam adulteras, et incestas. Nisi dissentientes Patres in concordiam cum Gratiano (2) redigere velimus, distinguendo votum professione religionis, vel sacra ordinatione emissum a voto simplici, ut locus in hoc sententiae Augustini, in illo autem detur Hieronymi.

XXX. Ratum quoque matrimonium, ante quam consummetur, subsequens professio religiosa dissolvit, invito etiam coniuge, cui licebit ad secundas nuptias transire (3). Post consummationem mutuo uterque consensu ad religionem migrare possunt; unus, vel altera non item, si coniux suspectae continentiae in saeculo remanserit: tunc enim de monasterio revocabitur ad societatem coniugalem (4).

XXXI. Obedientiam non modo baptizati omnes communibus Ecclesiae praeceptis, verum etiam subditi Praelato quisque suo debent iure divino. *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, inquit Apostolus (5). Hanc vero spondentes speciatim singuli Regularium obstringuntur voto facere cuncta Superiorum iussa tam externos mores, quam interiorem animae directionem spectantia: quotiescunque Iuri divino, legibus, aut regulae statutis ea non adversantur. Beguardos, et Beguinas in Alemania delirantes eos, qui sunt in gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non esse humanae subiectos obedientiae, nec ad aliqua Ecclesiae praecepta obligari, detortis in falsum illis Apostoli verbis, (6) *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, profligavit in concilio Viennensi Clemens V. (7). Apostolus porro de libertate a iugo Legis mosaycae, peccatorumque servitute loquutus inibi est, sicut et alibi (8). *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae.* Pariter Innocentius XI. execratus est non absimile Michaelis Molinosi deliramentum (9), sic conceptum stultissime: *Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore vero res aliter se habet, quo solus Deus, et director intrant.*

XXXII. Cum itaque religiosum obedientiae votum profitentes renuncient voluntati suae, et voluntariam subeant servitutem religionis, ut libertate spiritus aeternae saluti solummodo vacent: nec velle, nec nolle in humanis actibus fori exterioris habere dicuntur, et nihil probe, aut valide, nisi ex placito, nutuque superiorum agunt in iudicio, quia mundo mortui putantur instar servorum.

(1) Hieron. *in can. si nupserit 5.*, *et can. virgines 9. et ult. dist. 27.*
(2) Gratianus *post can. 8. eiusdem dist. 27.*
(3) Alex. III. ad Salernit. Archiep. in *cap. verum 2. de convers. coniugator.*
(4) *Cap. 1.*, *3.*, *et 4. eodem tit.*
(5) *Ep.* ad hebraeos *cap. 13. vers. 17.*
(6) *Ep. 2.* ad Corinth. *cap. 3.*
(7) Clementin. *ad nostrum 3. de haereticis.*
(8) *Ep.* ad Romanos *cap. 7. vers. 5*, *et 6.*
(9) Inter propositiones ab Innoc. XI. damnatas *num. 65.*

XXXIII. Tribus huc usque expositis votis communibus *Iesuitarum* Societas addit quartum propagandae Fidei apud infideles, animarumque salutis procurandae, eamque ob rem ii specialem Romano Pontifici obedientiam spondent migrandi ad Indos, aliasve regiones, vel remotissimas etiam Turcarum, vel haereticorum, et quarumvis gentium, statim ac iusserit Pontifex, aut Praepositus generalis (1). Aliud praeterea votum habet de non acceptandis extra religionem dignitatibus, nisi praevia Romani tantum Pontificis dispensatione (2).

XXXIV. Clerici regulares *Teatini* ab Episcopo Teatino Ioanne Petro Caraffa, qui solium pontificium adeptus Pauli IV. nomen sumpsit, et a S. Caietano Tienaeo instituti anno 1524., strictiorem paupertatem vovent, quatenus nec possessionum fructibus, nec mendicando eleemosynas, sed spontaneis tantum oblationibus vitam alere suam, divinaque providentia confidentes solum Deum, et iustitiam eius quaerere debeant.

XXXV. Hospitalitatis cura, ferendique opem peregrinis, infirmis, pauperibus, captivis secernit *Hospitalarios*, et *Eleemosynarios* diversorum ordinum. In his primo fuere monachi, et moniales hospitalis S. Ioanni hierosolymitani eleemosynarii iuxta sepulcrum Christi Domini, Abbati S. Mariae de Latina obedientes, qui infirmos, egenosque peregrinantium ad loca sancta fovebant: mox adscitis militibus ad ea contra Saracenos tuenda equestrem ipsimet ordinem condidere. *Trinitarii* deinde pro redimendis a potestate paganorum captivis tertiam partem rerum undecunque sibi obvenientium erogandi onus susceperunt. Mox *Congregatio S. M. de Mercede* ad idem redemptionis officium superaddita alumnos suos paganis obsides offert pro liberandis captivis in fide periclitantibus. Eleemosynariae, hospitalesque domus *S. Antonii* Viennensis in ordinem monasticum redactae ab Honorio III. anno 1215. aegros igne potissimum sacro tactos suscipiunt curandos. Fratres *Charitatis S. Ioannis de Deo* peculiari voto infirmos iuvant, eorum-

(1) Eiusmodi institutum S. Ignatii probarunt Paulus III. *const. regimini*, 5. kal. Octobris 1540., Iulius III. const. *exposcit* 12. kal. Augusti 1550, Synodus Trid. in *cap. nulla 16. sess. 25. de Regularibus*, Gregorius XIII. const. *ascendente Domino 8.* kal. Iunii 1584., Gregorius XIV. const. *Ecclesiae catholicae*, 4. kal. Iunii 1591., et Paulus V. *const. 84.* Innocentius X. in *const. prospero*, *felicique statui*, 1. Ian. 1646. statuit Congregationem generalem in Societate Iesu singulis novenniis celebrari omnino debere cum novis adsistentibus: cetera officia triennium non excessura, et neminem dimisso officio ad aliud posse, nisi post annum cum dimidio assumi. Alexander VII. instante congregatione generali an. 1661. litteras Innocentii X. quoad triennalem officiorum durationem, cessationemque ab officiis exacto triennio abrogavit, const. *debitum pastoralis officii*, 1. Ian. 1663. Iteratas dein postulationes Societatis pro abroganda necessitate convocandi novennalem Congregationem generalem, novosque in ea adsistentes deputandi Benedictus XIV. maturo examine expendens, et incommoda frequentium eiusmodi congregationum, antedictas Innocentii X. litteras, quod etiam ad novennales congregationes revocavit, easque ad normam statutorum S. Fundatoris reduxit, celebrandas cum novis semper adsistentibus, const. *devotam* 24., data 17. *Decembris* 1746., *to.* 2. Bullarii sui. Videsis dicta paullo superius *num. 13.*

(2) Urban. VIII. in *const. vota 173. to. 5.* Bullarii Cherub.

que corpora reficiunt (1). *Clericique regulares ministrantes infirmis* (2) in extremo praesertim agone moribundis animos erigunt contra nequissimum humani generis hostem.

XXXVI. *Clericos regulares* S. Maioli de Papia, sive *Somaschos* educationi orphanorum, iisque ad pietatem, simul et litteras, artesque mechanicas informandis mancipatos voluit fundator annuentibus Paulo III., et IV. (3). *Fratres*, sive *clerici vitae communis* a Gerardo magno Canonico Ultraiectino, et Aquisgranensi primum collecti, probante Gregorio XI. anno 1376., percelebres olim in Belgio, et Germania scholas habuere, postea Iesuitis commendatas in catholicorum regionibus.

XXXVII. *Minimis fratribus* S. Franciscus de Paula cibos esuriales perpetuo indixit, praeterquam graviter aegrotantibus: eamque austeritatem *Carthusiani* etiam, et *Camaldulenses* tenent, superaddito solitaria vitae instituto in semotis cellis ducendae (*).

XXXVIII. *Equestres* praeterea ordines permulti quum *militares*, tum *hospitalarii*, ut vel religionis causam, vel regionum catholicarum fines contra barbarorum incursiones armis tuerentur, vel hospitalitatem sacra potissimum loca visitantibus, infirmisque exhiberent, a christianis

(1) Supra laudati *num. 8.*

(2) A B. Camillo de Lellis instituti, adprobante Xysto V. die 18. Martii 1585., Gregorio XIV. die 21. Sept. 1591., et Clemente VIII. kal. Ian. 1600.

(3) Paul. III. in *const. ex iniuncto 21. to. 1.* Bull. Pius V. eos regulae Augustinianae subiecit *const. iniunctum* 78. Mox multa ipsis privilegia indulserunt Greg. XIII. *const. 4.* Xystus V. *const. aequum to. 2.*, et Clemens VIII. *const. decet. 22. to. 3.* Bull. Cher.

(*) Quum Religiosi omnes sub militari regimine e Neapolitani regni monasteriis expulsi fuissent, illis dumtaxat relictis, qui mendicantes vocantur, bonaque fere innumera ad corundem Regularium ordinum instituta spectantia alienata essent, Ferdinandus I. Rex pientissimus in suo reditu an. 1815. in nostras ditiones citra Pharum, restituendis ipsis religiosis domibus totus incubuit. Cum vero ob luctuosas temporum conditiones patrimonii regularis ea evasisset conditio, ut omnibus utriusque sexus restituendis Conventibus impar esset, hinc art. XIV. Concord. an. 1818. permulta constituta fuerunt, quae heic recensenda non abs re duximus.

Et 1. cautum religiosas domus eo maiori numero restituendas, quem dotationum, quae superessent, modus patiebatur ex iis praesertim institutis, quae iuventuti in Religione, et litteris instituendae, curae infirmorum, et praedicationi verbi Dei incumbunt.

2. Decretum, bona Ordinum Regularium non alienata religiosis domibus reservandis debita proportione esse adsignanda.

3. Sancitum, quod numerus existentium Conventuum mendicantium, quos Minores Observantes Regulares, Alcantarinos, et Cappuccinos vocant, augeatur quoties circumstantiae, et fidelium necessitates idipsum postulant.

4. Statutum, quod religiosis domibus constitutis, et dotatis ipsorum, acque ac Mendicantium Superioribus liberum foret, Novitios acceptare.

Denique Religiosos omnes in utriusque Siciliae Regno existentes, vel restituendos suis Superioribus generalibus subiectos fore eodem conventionis articulo cautum fuit.

Quae sane pacta tum ecclesiastica, cum civili Potestate executioni mandata fuerunt.

Principibus summorum Pontificum consensione fundati sunt *S. Georgii* equites imperiales Romae primum a Constantino magno feruntur instituti anno 312. post debellatum cum Massentio tyranno : id quod negant recentiores. Ab eoque item Hierosolymis creatus ordo equitum *S. Sepulcri* ad illius custodiam anno 326 , quem alii Carolo M., aliique Godefrido Bullionio, aut Balduino I. fratri eius tribuunt. De Constantinianis eiusmodi Ordinis equitibus aliquot hoc in Regno creatis nuperrime dicam inferius.

XXXIX. *S. Lazari* hierosolymitani equites hospitalarii primum curandis infirmis , praesertim leprosis solummodo addicti, in Oriente divi Basilii regulam profitentes , sedem saeculo IV. in Peloponneso adepti sunt, mox ad Occidentis loca propagati. Ob ereptam barbaris Ptolemaidem anno 1104. Balduino Rege Constantinopolitano primariam inibi fixere domum totius Ordinis caput, iam tunc equestri dignitate adaucti. Eos in Italia , vel suppressos ab Innocentio III. , vel aggregatos Melitensibus cum redintegrasset Leo X. ineunte saeculo XVI. , et S. Pius V. hierosolymitano S. Ioanni Ordini aequasset omnino (1), et paullo post in Sabaudia Gregorius XIII. adnexuit equitibus *S. Mauritii* a Duce Emmanuele Filiberto ortum ducentibus: iam inde Sabaudiae Dux Magistri Ordinis SS. Mauritii, et Lazari personam induit. Hoc in Regno neapolitano , ut religiosis S. Lazari fratribus liceret leprosos a sanis segregare , eosque vel invitos in hospitalibus suis clausos alere , rescripsit Rex Robertus die 29. aprilis 1311. Tum Comes S. Severinae D. Andraeas Caraffa Prorex die 18. Decembris 1525. mandavit Regni officialibus, ut ius redderent Vicario Alphonsi Azziae eiusdem Ordinis Magistri , postulanti bona , hereditatesque leprosorum ad eam religionem ex privilegiis Sedis Apostolicae pertinentia. Dein Dux Alcalensium Prorex quum retulisset Philippo II. litteras S. Pii V., nonnulla eisdem equitibus contra iurisdictionem regiam largiri , in diemque immodicos extra regulam creari equites S. Lazari , qui sibi exemptionem a foro laico etiam coniugati arrogabant: Rex die 12. Iulii 1568. rescripsit eos non admittendos amplius fore, deletisque cunctis antea gestis insignia, vestemque Ordinis cuique interdixit (2): itaque abhinc omnino eliminati.

XL. In regionibus quoque Palestinae saeculo XI. equestris Ordo *SS. Cosmae , et Damiani* plura extruxit infirmorum hospitia, aliusque itidem militaris *S. Catarinae* in monte Sinai protegendis peregrinis sepulcrum Domini visitantibus devovit sese : uterque versa ibi Christiani regni fortuna defecit.

XLI. *Melitensium equitum* Ordo S. Ioannis Baptistae adhuc florentissimum ortum Hierosolymis habuit faustiorem. Ecclesiam , et monasterium S. Mariae de Latina Ordinis S. Benedicti , simul et hospitale ad peregrinos, infirmosque fovendos, et Capellam S. Ioannis Baptistae quum ea in urbe fundassent Neapolitani potissimum mercatores anno 1048. restituto post christianae Reipublicae regno hierosolymitano ab

(1) S. Pius V. *const. 43.* §. 12. , in Bullario M. *to. 4.*

(2) Haec liquent ex monimentis Archiv. regii apud Bart. Chioccarell. *to.* 10. *tit.* 3.

legionibus Cruciatae anno 1099., earum Dux Godefridus Bullionius, ceteri illius successores piam liberalitatem aemulati hospitale S. Ioannis plurimis bonis, censuque ditarunt opissimo, cuius regimen Fratres hospitalarii S. Ioannis consentientibus S. Mariae de Latina monachis suscepere, specialem Sedis Apostolicae protectionem adepti a Paschale II. anno 1113., tum regulam a Calisto II. probatam anno 1120., quae eos tripartita est in *equites* fidem simul, et peregrinos armis propugnaturos, in *fratres capellanos* ad sacra facienda, et *fratres servientes*. Anastasius IV. anno 1154. hospitale, ac religionem S. Ioannis Hierosolymitani sub immediata protectione Sedis Apostolicae suscepit, privilegium exemptionis indulsit, electionemque Praepositi, seu Magistri concessit fratribus eiusdem professis (1). Ioannes XXII. anno 1318. eidem religioni militum S. Ioannis Hierosolymitani tunc habenti annalia beneficiorum vacantium accrescere fructus non residentium statuit (2). Pius IV. anno 1560 privilegia plurima, immunitates, exemptiones, iurisdictionem, Ecclesias, et loca innumera a Xysto IV., Bonifacio VIII., Clemente V., Martino V., Pio II., Innocentio VIII., Alexandro VI., Leone X. largita confirmavit, ampliavitque (3). Tum S. Pius V. (4) eos ab Ordinariis locorum exemit citra curam animarum, Sacramentorumque administrationem (5). Nonnulla circa professionem, et habitum declaravit, statuitque Gregorius XIII. anno 1550. (6), nec non circa iurisdictionem Ordinariorum in corrigendis pravis moribus familiarium, ministrorumque (7), et praeceptorias vacaturas per promotionem ad episcopatum (8). Xystus V. cunctos beneficia, pensionesque militaris Ordinis S. Ioannis Hier. obtinentes etiam S. Romanae Ecclesiae Cardinales ad solvenda communis aerarii iura obstrictos voluit (9). Gregorius XIV. exemptionem a solvendis decimis, aliisque oneribus confirmavit, ampliavitque M. Magistro et Conventui facultatem de beneficiis disponendi: salva Ordinariis locorum iurisdictione quoad personas curam animarum exercentes (10). Clemens VIII. in crimine assassinii, antequam iudex laicus sententiam ferret, vel poenis afficeret sanxit declarationem eiusmodi criminis pertinere quoad milites S. Ioannis Hierosolymitani ad Superiores Ordinis (11). Urbanus VIII. privilegia eis omnia confirmavit (12). Regressis ad locà sancta barbaris ipsi Cyprum demigrarunt, inde Rhodum incoluere annos tredecim supra ducentos, unde *Rhodii* equites olim dicti, Cretam postea, hinc Viterbium, denique in Melitensem Insulam translati eis

(1) Anast. IV. in *const. christianae 2. to.* 1. Bullar.
(2) Io. XXII. in *const. exhibita 5. to.* 1. Bull.
(3) Pius IV. in *const. circumspecta 9., et const. Romani 29. to.* 2. Bullar.
(4) S. Pius V. *const. etsi cuncta 77.*
(5) Idem *const. exposuit 136. to. 2.* Bullar.
(6) Greg. XIII. *const. quo magis 60. to. 2.* Bull.
(7) Idem in *const. circumspecta 67.*
(8) Idem in *const. controversia 82., to. 2.* Bull.
(9) Xystus V. *const. aequum 43. eodem to. 2.*
(10) Greg. XIV. *const. quanta 5.*
(11) Clem. VIII. *const. aequa 37.*
(12) Urban. VIII. *const. universalis 16. to. 4.* Bull. Cher.

traditam a Carolo V. Imperatore anno 1530. In octo linguas seu nationes distribuuntur, unam Italiae, duas Hispaniarum, scilicet Castellae, et Aragoniae, tres Gallicanas, nimirum Provinciae, Alverniae, et Galliae, aliam Germaniae, postremamque Angliae : quarum singulae plures prioratus, baliatus, commendasque habent.

XLII. *Templarios* Terra sancta item protulit saeculo XII., ita dictos a templo Domini iuxta palatium Balduini II. hierosolymorum Regis erecto, qui Patriarchae hierosolymitano anno 1118. polliciti viarum, peregrinorumque tutelam a praedonibus, regulam novi Ordinis militaris habuere a synodo Trecensi anno 1128. (1), crucemque ab Eugenio III. rubram candidae vesti adsutam (2). Sensim dein eos aggeratis divitiis nimium abusos, simul et in flagitiosa facinora collapsos quum extirpasset in concilio Viennensi Clemens V., urgente Philippo Pulcro Galliarum Rege, eorum domos religiosas, commendas, et bona partim equites Rhodii, seu Melitenses obtinuere, partim Theutonici, alibique partim alii mox recensendi.

XLIII. *Theutonicorum Ordinis S. Mariae*, declinante saeculo XII., auctores fuere aliquot Germanorum nobiles, qui hierosolymitanum B. Mariae sacrum xenodochium construxerunt, emisso voto hospitandi nationis suae pauperes, peregrinos et aegros, Coelestino III. adprobante, qui cuncta eis privilegia Templariorum, et equitum S. Ioanni largitus est. Redux e Palaestina Fridericus II. nonnullis Theutonicorum eum comitatis Prussiam eo pacto, ut illinc ipsi extruderent idolatriam, concessit ; ad eos ceteris e Syria profugis dein illuc commigratis. Mox a Borrussis res ipsorum saepe turbatae sic cecidere, ut dimissa Casimiro Poloniae Regi *Prussia Regia* idcirco dicta, illius regionis reliquum sibi retinuerint. Demum plerisque ad Lutheri sectam execrabilem descitis pauci catholicam fidem servantes in Alemaniam remearunt, domorum Ordinis sui, commendarumque inibi ditissimarum potituri, in eorumque sodalitatem nonnisi magnorum Germaniae Principum iuniores nati cooptantur.

XLIV. Gallia militum *pacis*, *et fidei* Ordinem in Vasconia contra turbidos bonorum Ecclesiae, laicorumque direptores Auxitanus Archiepiscopus Amaneus I., adsentientibus Honorio III., et Gregorio IX. fundavit (3).

XLV. Maurorum incursionibus Hispania tres praecipuos equitum Or-

(1) Ei synodo praesedit Matthaeus Cardinalis Episcopus Albanensis Honorii II. a latere Legatus, adfuitque S. Bernardus.

(2) Magistro, et Fratribus militiae Templi in Italia constitutis, ut Praeceptores domorum eius sua in iudicio iura experiri ne prohiberentur, Innocentius III. rescripsit in *cap. cum deputati 16 de iudiciis*. De iisdem Templariis sermo est in *cap. ad sedem 15. de restit. expoliat. cap. patentibus 10., et cap. petistis 20. de privilegiis*. Honorius III. Templariorum Ordinem in Livonia propagatum memorat in *cap. ult. de purgat. vulgari*, quos ab hierosolymitanis diversos putat Cironius in *cap. 1. eod. tit. in quinta Decretalium compil.* ex eo, quod inibi post Viennense Concilium perduraverint ad haeresim usque lutheranam.

(3) De quo Cironius in V. *compil. Decretal.* ad *cap. 1. de tregua, et pace.*

dines *Calatravae* (1), *S. Iacobi de Spatha* (2), *et Alcantarae* (3) obiecit saeculo XII. supremumque omnium magisterium sibi, suisque successoribus vindicavit Ferdinandus V., cognomento Catholicus anno 1495. Hadrianus VI. administrationem trium eiusmodi militiarum S. Iacobi de Spatha, de Calatrava, et de Alcantara in regnis Hispaniarum Ordinis S. Augustini, et Cisterciensis Regiae Coronae concessit cum omnibus iuribus, quae magni ipsarum Magistri consueverunt habere (4). *Calatravensibus* Ordo *Montesiae* (5), qui dudum in regno Valentiae floruit, mox adnexus. In Albigenses, qui Tolosam in primis lethifera lue invaserant, sacram *S. Dominici* militiam crucesignatam indixit Innocentius III. anno 1210, cui ducem dedit Simonem Monfortii Comitem (6): eique vires adiunxit suas S. Ludovicus Galliae Rex, cohortante Gregorio IX. (7). Aliamque *S. Mariae Rosarii* simul equestrem adiecit Fridericus Archiepiscopus Toletanus anno 1235. In Aragonia, extinctis Templariis equites *SS. Salvatoris Montisregalis* sunt continuo suffecti eadem synodo Viennensi anno 1311., quibus postmodum defectis, bona ad Aragonios Reges cuncta obvenere. Ad interitum alii quoque Hispani properarunt Ordines equitum *Columbae* a Ioanne I. Castellae Rege, et *Draconis eversi* contra haereses, ab Alphonso V. Aragonio instituti anno 1420.

XLVI. *Aurei velleris* ordinem amplissimum die 10. Ianuarii 1429.

(1) Sangius III. Castellae Rex urbem *Calatravae*, finium Hispaniae propugnaculum, sibi a Templariis iam enervatis, desidibusque restitutam, concredidit B. Raymundo abbati *Fiterii*, celebris in regno Navarrae monasterii Cisterciensium, et Fr. Didaco Velasunio bellica virtute clarissimo, primis religiosae *Calatravensis* militiae institutoribus, ab Alexandro III. confirmatae, Bolland. *ad diem 1. Febr. de B. Raymundo Fiterii abbate*, P. Labbe in *originibus ordin. equestr.* Robertus Miraeus, ceteri.

(2) Alexander III. anno 1175. militarem Ordinem S. Iacobi de Spatha probavit *const. benedictus* 5. *to.* 1. Bullar. Ad magistrum, et Fratres militiae S. Iacobi de Spatha (qui scilicet tuerentur armis Compostellanam S. Iacobi peregrinationem) Innocentius III. rescripsit in *cap. vestra 7. de cohabit. cleric., et mulier.* ibique Gonzalez. Sunt, qui antiquiorem putant institutionem equitum S. Iacobi, eam tribuentes Ramiro Castellae Regi an. 846. Huius militiae fratribus facultatem testandi, ac disponendi indulsit Clemens VII. *const. ex apostolicae 32. to. 1.* Bull. Cherub.

(3) Hos *S. Iuliani de Pereira* primo nuncupatos voluit Gomesius Fernandez, a Ferdinando II. Aragonio protectos, probatosque ab Alex. III. an. 1177., quoadusque urbis *Alcantarae* potiti sunt beneficio equitum Calatravae. Iisdem de Alcantara militibus, et Ecclesiis Leo X. omnia indulta, privilegia, indulgentias ordinis Cisterciensis largitus est, in *const. in apostolicae 44. to. 1.* Bull.

(4) Adrian. VI. in *const. dum intra 1.*, data 4. Maii 1526. *to. 1.* Bullarii.

(5) A Ioanne XXII. postulante Aragonio Rege, fundatos anno 1317, sub titulo *S. Mariae, et S. Georgii*, qui primarium in *Montesiae* urbe Aragonensi domicilium habuit, uti tradit Mariana *lib. 15. cap. 16.* Alium id genus Ordinem *S. Georgii*, qui iandudum desivit, Ridolphus Auspurgensis Imp. I. Austriacus instituit anno 1280., ad fines Alemaniae, Ungariaeque propugnandos, vel Fridericus IV. Imp., ut ferunt alii, exeunte saeculo XV.

(6) De ea N. Alexander in *hist. saec. XIII. cap. 3. §. 4.*

(7) Raynald. *in annalib. ecclesiast. ad an. 1228.*

fundavit Burgundiae Dux Philippus, cognomento *bonus*, instituitque ad Fidei christianae tuitionem celebrem societatem eiusmodi nobilium militum sub titulo *velleris aurei* pro triginta fratribus militibus, et uno Capite, seu Primate, qui pro tempore Dux Burgundiae, et heres suus legitimus, ac in ordine trigesimus primus foret, cum uno Cancellario, Thesaurario, Secretario, ac Heraldo, eamque diversis honoribus, privilegiis, exemptionibus, et libertatibus decoravit, et ad incitandum animum illius fratrum militum ad virtutem, probitatem, fortitudinem, moresque componendos, et vitia detestanda, nonnulla laudabilia statuta, et ordinationes, inter cetera, quod numerus fratrum dicti Ordinis numerum maiorem quam triginta non excederet, et nihil quod ad forum, vel iudicium ecclesiasticum spectet continentia, quae singuli Confratres in eorum assumptione sub fide, et verbo nobilis viri observare promitterent, fecit, et edidit, illaque apostolica auctoritate confirmari procuravit. Tum postulante Carolo V. Hispaniarum, et utriusque Siciliae Rege, Burgundiae Duce, et Archiduce Austriae Leo X. auctoritate apostolica societatem eiusmodi equestrem, eiusque statuta confirmavit, et numerum triginta ad *quinquaginta* fratres ipsius Ordinis, praeter illius Primatem extendi posse decrevit. Simul indulsit *Primati, Cancellario, Thesaurario, Secretario, et Heraldo eiusdem Ordinis praesentibus, et futuris, eorumque coniugibus, et utriusque sexus liberis, ut Cancellarius ipsius Ordinis pro tempore existens ad Sacerdotium rite promotus, seu presbyter idoneus per ipsum ad hoc deputandus ipsos, et eorum singulos ab omnibus, et singulis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Iure, vel ab homine latis, et promulgatis, ac votorum quorumcunque, et mandatorum Ecclesiae transgressionibus, manuum violentarum in quasvis personas, non tamen pontificali, aut superiori dignitate fulgentes iniectionibus, ieiuniorum, et poenitentiarum eis iniunctarum in toto, vel in parte omissionibus, et periuriorum, et homicidii voluntarii, mentalis, seu casualis, non tamen presbytericidii, seu clericidii, necnon adulterii, incestus, sacrilegii, et fornicationis reatibus, et omnibus, et singulis aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumcunque gravibus, et enormibus, et dictae Sedi qualitercunque, reservatis, exceptis contentis in Bulla in die coenae Domini legi consueta, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, de reservatis videlicet semel in anno, et in mortis articulo; de aliis vero eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opus fuerit*, absolvere *ac eis, et eorum cuilibet pro commissis debitam absolutionem impendere, et poenitentiam salutarem iniungere, necnon* vota *quaecunque per eos pro tempore emissa (ultramarinae visitationis liminum Beatorum Apostolorum, ac S. Iacobi in Compostella, necnon castitatis, et Religionis votis exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac* iuramenta *quaecunque, ex quorum relaxatione alteri praeiudicium non generetur, relaxare necnon semel quolibet anno, et in mortis articulo, etsi mors non subsequatur,* plenariam *omnium peccatorum suorum* remissionem, et absolutionem, *ita ut huiusmodi plenaria remis-*

sio in ipso mortis articulo eis suffragetur, dicta auctoritate apostolica impendere possit, quodque liceat eis, et eorum singulis habere altare portatile *cum debita reverentia, et honore. super quo in locis ad hoc congruentibus, et honestis, et etiam ecclesiastico interdicto ordinaria, vel apostolica auctoritate suppositis, dummodo caussam non dederint eiusmodi interdicto, nec eis specialiter interdictum sit, ac fecerint quantum in eis fuerit, ut in his, propter quae interdictum ipsum dicta auctoritate apostolica pro tempore appositum fuerit, paritio fiat, et ea executioni debitae demandentur, ac per eos non steterit, quominus pareatur, et etiam, antequam illucescat dies, circa tamen* diurnam lucem, *ac etiam* circa, vel post meridiem, *per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum in sua, et cuiuslibet, et ipsorum familiarium domesticorum, parentum, consanguineorum pro tempore existentium praesentia* Missas, et alia divina officia *celebrari facere, et tempore interdicti huiusmodi in Ecclesiis ianuis clausis divinis Officiis interesse, et illa (ut praemittitur) celebrari facere, nec non si eos tempore interdicti huiusmodi decedere contingat, eorum corpora ecclesiasticae* sepulturae (*sine tamen funerali pompa*) *tradi, ipsisque Eucharistiam, et alia ecclesiastica Sacramenta a quocunque presbytero idoneo, ubicunque voluerint, salvis iuribus parochialium Ecclesiarum, et in die Paschatis recipere, ac Sacerdotibus eligendis huiusmodi, ut Missam, et alia divina Officia (ut praemittitur) celebrare libere, et licite possint, quodque unam, vel duas Ecclesias, seu unum, vel duo altaria unius, vel diversarum Ecclesiarum in partibus, ubi singulos eorum residere contigerit, per eos, et eorum quemlibet eligendas, seu eligenda, Quadragesimali, et aliis diebus stationum Ecclesiarum urbis, et extra muros, eas visitando, omnes, et singulas* indulgentias, *et peccatorum remissiones tam plenarias consequantur, quam consequerentur, si eisdem diebus omnes, et singulas stationum huiusmodi, ac septem principales, necnon* S. Mariae de Populo, *et Sancti Gregorii intra, ac capellae Scalae Coeli extra muros huiusmodi Urbis Ecclesias personaliter visitarent. Necnon* tam quadragesimalibus butyro, caseo, et lacte, *quam aliis anni temporibus*, et diebus prohibitis *eisdem* butyro, caseo, ovis, lacte, et aliis lacticiniis, *ac tempore necessitatis de utriusque medici consilio* carnibus, *absque conscientiae scrupulo, uti* et vesci *libere, et licite valeant, apostolica auctoritate praedicta*, de speciali gratia indulsit. *Ac singulorum praedictorum* uxoribus, et filiabus, *ut cum aliquibus aliis honestis mulieribus* monasteria Monialium *S. Clarae, et aliorum Ordinum quorumcunque, et etiam inclusarum ter, aut quater in anno, de licentia tamen earum, quae dictis Monasteriis praefuerint*, ingrediendi, *et cum eisdem monialibus refectionem suscipiendi (dummodo ibi non pernoctent), auctoritate apostolica licentiam, et facultatem* concessit (1).

XLVII. Sacros *milites Christi* adhuc habet Lusitania, a Dionysio I. Lusitano Rege in Castromarino Algarbiorum primo locatos, transla-

(1) Leo X. in *const. praeclarae,* quam dedit Romae 6. Idus Decembris 1516.

tosque inde Tomarium, crucem rubram albis intersectionibus intextam ferentes (1), quibus bona Templariorum eius regionis addixit Ioannes XXII. anno 1319., Regemque Lusitanum Iulius III. dedit supremum perpetuo Magistrum anno 1550.

XLVIII. Non unus pariter in Italia stetit Ordo militaris in hostes Romanae Ecclesiae, fideique propugnaturus, quoad eorum vires deprimerentur. *Fratres gaudentes S. Mariae gloriosae*, qui pacem tuerentur adversus Ghibellinorum, Guelforumque turbas, a Bartholomaeo Ordinis Praedicatorum Vicentino Episcopo delecti anno 1233., ab Urbano IV. ad regulam Augustinianam redacti anno 1261. (2). Equites *SS. Petri, et Pauli* Leo X. primum anno 1520., tum Paulus III. anno 1540. conscripsere in haereses tunc temporis maxime grassantes. Ceteri, quos longum esset singulatim cunctos memorare (3).

XLIX. Ut innumeros tot regnorum Ordines eximios praeteream abs re nostra quidem alienos: haud iniucundum erit cursim percurrere Neapolitanos insigniores. In primis equites *Lunae* Carolus I. Andegavensis delegit anno 1268., instauratos post ab Ioanne Andegavensi Renati filio anno 1448. II., Ordinem *Nodi* a Ludovico Rege, Ioannae I. secundo viro, ornatum laqueo aureo, et argenteo, vel pectus (4), vel brachium circumdante (5). III. Alium *Navis* S. Nicolao Archiepiscopo Mirensi sacrum condidit Carolus III. Dyrrachiensis anno 1381. Quartum *Ergatae* Ladislaus, et Margarita parens eius anno 1388. Quintum *Leaenae*. Sextum *Arrellini* Ferdinandus I. Aragonensis anno 1483.

L. Novissimum *divi Ianuarii* huius urbis, regnique patroni eximium Ordinem LX. equitum, egregio *Velleris aurei* similem, instituit anno 1741. Rex Carolus D. N. semetipsum, suosque successores Caput eorum, et Primatem faciens, ad Religionis catholicae tutelam, et propagationem, christianaeque pietatis augmentum: multis ab Apostolica Sede gratiis auctum, scilicet eligendi sibi Confessarium ab Ordinariis adprobatum, ab eoque absolutionem a casibus Sedi Apostolicae reservatis semel in vita, et in mortis articulo, atque a non reservatis qualibet vice obtinendi, nec non commutationem votorum simplicium, exceptis quinque superius enumeratis (6), et plenariam tum in mortis articulo indulgentiam, tum cunctis per annum diebus S. Ianuarii festis, etiam infra Octavas, audiendi Missam in privato Oratorio quisque suo, una etiam ante auroram, vel post meridiem hora, dum aliqua urgeat necessitas, lucrandi quoque indulgentias visitantibus stationes Basilicarum Romae largitas, quotiescunque unam, pluresve Ecclesias, Capellasve ubicunque positas ii visitaverint, et comedendi nedum ova, et lacticinia, sed carnes etiam adhibito utriusque medici consilio cunctis Quadragesimae diebus, praeterquam die cinerum, hebdomada maiore,

(1) Mariana *lib.* 15. *cap.* 16.
(2) Videsis Girardacium *in hist. Bononiensi.*
(3) De iis est consulendus Petrus Eliot in *hist. Ord. monast. religios. et militar. et Congr. saecular. utriusq. sexus.*
(4) Constantius *lib. 6. hist. Neap.*
(5) Eugenius in *Neap. sacr. de Ord. Nodi.*
(6) *Hoc tit. num. 46. pag. 615.*

vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, SS. Petri, et Pauli, et Assumptionis B. M. V., et quatuor temporibus. Haec liquent ex apostolicis litteris in forma brevis a Benedicto XIV. datis die 30. Iunii 1741., ad quas regium accessit placitum.

LI. *Constantiniani* etiam Ordinis equites aliquot creavit idem Rex noster Carolus, tanquam Dux Parmensium. Tametsi non liquere satis ordinem istum a Constantino M. institutum paulo superius praemonui: tamen in aula Imperatorum Orientes effulsisse imperantibus, praesertim Palaeologis tradit historia. Tum eversa inibi christiani nominis fortuna, Ioannes Andraeas Angelus Flavius Comnenus ex Palaeologis ortus, Macedoniae Princeps nuncupatus, et magnus Magister Militiae aureatae Constantinianae sub titulo S. Georgii, et regula S. Basilii M. solus familiae suae Angelae Flaviae Comnenae superstes sine spe liberorum, cupiens dari successorem sibi praevalidum, Francisco Farnesio Parmensium Duci, eiusque successive natis, nepotibus, descendentibus, aliisque ipsius Francisci, familiae Farnesiae successoribus Parmae, et Placentiae Ducibus pro tempore existentibus, officium, seu munus praedictum magni Magistri, seu perpetui administratoris aureatae militiae Constantinianae, reservato Sedis Apostolicae beneplacito, resignavit. Cuiusmodi resignationem Innocentius XII. confirmavit pontificiis litteris in forma Brevis die 24. Octobris 1699. Exinde Parmensium Dux Franciscus summum se ipsius ordinis Magistrum, et Primatem gerens, nonnullas fundavit commendas equitibus distribuendas. Cumque Dux idem sacro bello in Turcas contulisset duo millia equitum anno 1716: factum inde est, ut eo flagitante Papa Clemens XI., qui Cardinalis Protector ipsius Militiae Sacrae fuerat, iterum probaverit auctoritate apostolica an. 1718. equestrem huiusmodi Ordinem Constantinianum sub titulo S. Georgii martyris confirmarit eidem Duci Parmensium, eiusque successoribus in perpetuum dignitatem Primatis, supremique Magistri cum arbitrio deligendi equites Confratres. Simul indulsit perpetuam ei, eiusque successoribus iam dictis facultatem erigendi, et instituendi novas etiam commendas, Cappellas, et Ecclesias, easque eidem Militiae perpetuo incorporandi, nec non reservandi fundatoribus, ac dotatoribus commendarum iuspatronatus, et instituendi auctoritate apostolica personas idoneas ab his praesentandas, exemptionemque ab Ordinariis locorum. Praeterea erexit Parmensem Ecclesiam B. Mariae dello Steccata in Ecclesiam, et Sedem Conventualem eiusmodi sacrae equestris Religionis Constantinianae, aliaque plura concessit, quae sacras magni Magistri vestes, et insignia, et ritus celebrandi divina attinent (1). Tum Pontifex idem die 15. Iunii 1720. plenariam perpetuo indulgentiam concessit omnibus utriusque sexus fidelibus visitantibus eamdem conventualem Ecclesiam Parmensem B. M. della Steccata in festis diebus

(1) Haec omnia liquent ex Clementis XI. *const. militantis*, data 6. Kal. Iunii, 1718., quam exscriptam habet Ioannes Christ. Lunig. *to.* 4. Codicis diplomatici Italiae *sect. 4. num. 9. pag.* 1439., et ex *to.* 7. historiae *delle guerre di Europa*, quam conscripsit Comes, et Marchio Franciscus Maria Ottieri, typis Romae editam anno 1756.

Conceptionis, et Annuncialionis B. M. V., et SS. Georgii, et Basilii (1). Faruesianis iuribus ad Regem nostrum Carolum materno sanguine delatis, Rex idem Constantiniani Ordinis magnus Magister plures equites in eundem Ordinem cooptavit: necnon perpetuam commendam annuorum ducatorum tercentum a Tullio Canale cive Cavense fundatam sibi, suisque descendentibus masculis lineae tantum virilis erexit anno 1762. eo pacto, ut iis deficientibus ad Ordinem Constantinianum devolvatur, in eaque ipsum equitem dotantem primo instituit (2).

LII. Huiuscemodi equestres Ordines, et religioso, et saeculari statu *mixtos* dixerim, discreturus eosdem ab Ordinibus Equitum sincere profanis, licet sacra caeremoniarum specie, decorisque insignibus, et privilegiis ab Apostolica quoque Sede concessis utentium. Hos quippe nullis regularibus votis, nec sacrae militiae obstrictos instituendi mos Regibus ideo fuit, ut vel discrimen haberent stirpes procerum nobiliores, vel virtuti stimulus, proemiumque honoris accederet.

LIII. Status religiosi leges inspiciendae supersunt. Forma regiminis initio monarchica summum abbatibus arbitrium tribuens (3), paulatim in aristocraticam deflexit, maxime firmatam ab Innocentio III. in concilio Lateranensi IV. (4): dum constituit, ut comitia Regularium generalia singulis triennis haberentur, observantiam regularem instauratura, et moderatura collatis abbatum, priorum, aliorumque vocalium consiliis, et suffragiis. Tametsi vero quisque professus debet obedientiam singulis ordine praepositis suis exhibere: tamen isti communes monasteriorum res agere, eoque minus distrahere sine fratrum consensu nequeunt (5).

LIV. Abbates, aliaque monasteriorum officia obeuntes eligebant olim Episcopi (6), quousque divus Gregorius M., et Pelagius iusserunt non alios fore abbates praeficiendos, nisi quos concors fratrum societas delegerit (7), expers arbitrio eos canonice semel electos amovendi (8). Priores etiam canonica Capituli electione institutos destitui sine causa interdixit Alexander III. in concilio Lateranensi (9). Secus est in aliis ministeriis, quippe quae nutu Superiorum, uti conferuntur, ita revocantur: eaque idcirco *obedientias* appellant. Modum celebrandi electiones in Capitulis Regularium praescripsere primum synodus IV. Lateranensis (10), et Tridentina (11), mox peculiares cuiusque Ordinis pontifi-

(1) Ex aliis Clementis XI. litteris datis die 15. Iunii 1730, apud Lunig. *ibidem num.* 10. *pag.* 1446.

(2) Id liquet ex regio rescripto die 18. Octobris 1762. dato ad Comites Maratianum, et Tarasconem.

(3) Uti superius dictum *hoc tit. n. 4.*

(4) Innoc. III. in *cap. in singulis 7. de statu monachorum.*

(5) S. Greg. M. in *can. quaesisti nobis 41. C. XVII. qu. 4.* Alex. III. in *cap. continebatur 2. de his fiunt a Praelatis sine consensu Capituli.* Conc. Later. sub Alex. III. in *cap. 1. de his, quae fiunt a maiori parte Capituli.*

(6) Toletana Synodus IV. in *can. 1.*, et Aurelian. in *can. monasterium 17. C. 18. qu. 2.* — (7) *Can. 2., 3., et 4. eadem C. et qu.*

(8) Pelagius in *can. 9. eadem C. et qu.*

(9) *Cap. monachi 2. de stat. monach.*

(10) *Cap. in singulis 7. eod. tit.*

(11) Trid. in *electione 6. sess. 25. de Regularibus.*

ciae constitutiones, quibus fundatorum regulae probatae, reformataeque sunt.

LV. Hac etiam synodo cautum, ut Episcopus, aliusve Superior praesit electionibus abbatissarum, secreta singularum monialium suffragia audiens, vel accipiens ante fenestellam clausurae cancellis munitam: utque non minores annis 40., quae a professione octo annos probe vixerit, iisque deficientibus, tricenariae saltem spectatis per quinquennium moribus religiosis, deligantur (1).

LVI. In regularia Superiorum munia, dignitatesque non paucis extra ordinem per Curiae Romanae rescripta irrepentibus, qui nimirum votis Fratrum in electionibus canonicis diffiderent: intercessit Rex Carolus D. N. ad postulata Fratrum Minimorum, mandavitque Troiano Cardinali Aquavivae suo apud Sedem Apostolicam Legato die 26. Septembris 1741., ut summo Pontifici panderet suum Regis studium pro libertate regularium capitulorum tuenda in electionibus. Pontifex autem optimus animum suum ea in re esse Regi concordem, et illuc pronum, ut integra semper sit regularium Ordinibus libertas eligendi Superiores, et cuiusque statuta serventur adamussim, respondit. Haec habet epistola pontificia a secretis Status ad eundem Cardinalem Aquavivam data die 7. Octobris 1741, cuius exemplum est regio rescripto ad Curiam Capellani Maioris transmissum die 28. eiusdem mensis (2). Sunt ita perrupti hoc in regno cuniculi ambientium regularia contra regulam officia.

LVII. Professio religiosa quum habeat vim contractus ultro, citroque obligantis: nonnisi mutuo singulorum profitentium, et religionis consensu perficitur. Hunc vero consensum dare, vel ad monasterii, seu conventus capitulum, vel ad solum pertinet abbatem, seu superiorem conventus (3).

LVIII. Vicissim fieri monachos nedum professione propria, sed paterna quoque devotione canones inhebant antiqui (4): adeoni impuberes a parentibus monasterio traditi prohiberentur ad saeculum regredi (5),

(1) Idem in sequenti *cap. abbatissa 7.*

(2) Verba epistolae sunt: *Dalla lettera del Signor Duca di Salas de' 26. Settembre scritta a V. Em. d'ordine del Re delle due Sicilie, e ch' ella si è compiaciuta di comunicare al Signor Cardinale Segretario di Stato, ha questi preso motivo di riferire a nostro Signore i regali sentimenti degni della giustizia, e pietà della M. S. la quale tanto s' interessa, perchè i religiosi Minimi, ed altri Ordini regolari de' suoi dominii si lascino in piena libertà di eleggere ne' loro rispettivi Capitoli i propri superiori, e procedere alle provviste dalle cariche senza restrizioni, in virtù di Brevi Apostolici: e S Beatitudine, la quale ha goduto di simil rappresentanza, si è con tutta benignità spiegata d'essere egualmente propensa a secondare nelle future occasioni quelle savie massime della M. S., le quali concordano appunto coi sensi dell' animo apostolico della Santità sua inclinata sempre al mantenimento della libertà delle sudette elezioni, e della osservanza delle costituzioni di ciascuna Religione. Si partecipa dunque all' E. V. in tal guisa la sovrana mente pontificia, perchè possa servirle di norma in dar risposta alla detta lettera, che si rimanda etc.*

(3) *Cap. ult. de Regularib. in VI.*

(4) Apud Gratianum *Caus. XX. qu. 1.*

(5) *Can. 3., et seqq. eadem C. et qu.*

eosque insciis, invitisve parentibus ingressos, isti ad se avocandi potestatem haberent (1). Disciplina recentior minorennes, nisi post pubertatem sponte sua ipsi paternam firmassent oblationem, noluit nexu religionis obstrictos (2): maioremque annis 18. aetatem praefixit profitentibus regulam duriorem (3). Demum Tridentina synodo constitutum, ut in quavis religione, qua virorum, qua virginum, nonnisi post decimum sextum aetatis annum expletum, decursumque simul probationis annum professio fiat, alias habeatur irrita (4). Hocce decretum abrogavit decretales Innocentii III. (5), et Bonifacii VIII. (6), non irritantes vota professorum solemnia, vel intra curriculum tyrocinii emissa, vel neglecta claustrali probatione: quemadmodum nec tacitam professionem ex spontaneis professorum gestis officiis, eorumque habitus gestatione praesumptam (7).

LIX. Invitos profitentes ad statum religiosum retinendum lex non cogit (8): sed professionem vi, metuve gravi, qui vel constantem virum perterreat, admissam dissolvit. Quique virum, vel mulierem ad Statum religiosum adegerint, vel contra divertant ab eo, in excommunicationem ipso facto incidunt (9).

LX. Per vim, ac metum, vel ante legitimam aetatem, aliamve ob causam (10) lege, aut statuto probatam irrita vota professis non licet proprio marte in saeculum abscedere: sed ipsimet debent intra quinquennium a die professionis iudicium nullitatis coram dioecesano Episcopo, locive Ordinario, simul et Superiore monasterii, in quo sint professi, rite instruere (11): expensas interea litis, alimentaque a monasterio suo accepturi, non secus, quam a parentibus filii, et a dominis servi de statu collitigantes iure accipiunt. Postea non audiuntur, nisi ab Apostolica Sede restitutionem in integrum obtinuerint adversus lapsum quinquennii, quae solet re cognita indulgeri. Scilicet reclamantis preces ad S. Congregationem Concilii Papa remittit, haec ad dioecesanum Episcopum litteris mandantibus, ut is cum regulari Superiore monasterii iudiciarias probationes expositae nullitatis rite accipiat, easdem cum relatione, ac voto suo ad eam inde trasmissurus. Et ubi res ita postulaverit, secundum S. Congregationis sententiam apostolicae litterae in forma Brevis expediuntur, in integrum restituentes oratorem,

(1) *Can. I.*, *et seqq. C. XX. qu. 2.*
(2) Alex. III. in *cap. ad nostrum* 8., *et cap. significatam 11. de Regular.* Alex. IV. in *cap. 1. eod. tit. in VI.*
(3) *Cap. quia 6. de Regularibus.*
(4) Trid. in *cap. in quacunque 15. sess. 25. de Regular.*
(5) *Cap. ad apostolicam 16. et cap. sicut nobis 17. de Regular.*
(6) *Cap. constitutionem 3. eod. tit. in VI.*
(7) Honor. III. in *cap. ex parte tua 22., et cap. vidua 4. de Regular.* cit. *cap. constitutionem 3.*, *et cap. un. de statu regular. in VI.*
(8) *Can. 1.*, *et seqq. C. XX. qu. 3.*
(9) Trid. in *cap. anathemati 18. sess. 25. de Regular.*
(10) Puta ob furorem, mentemque non sanam, ex *cap. sicut 25. de Regular.*, aut eam corporis infirmitatem, morumque noxam, quae iuxta regulam inhabiles, ineptosque reddit ad Statum religiosum.
(11) Trid. in *cap. quicunque 19. eadem sess.*

ut sua valeat iura experiri apud eosdem loci Ordinarium, Superioremque regularem, non obstante quinquennali silentio. Sed obstat haud semel reclamantibus ratihabitio professionis quum expressa, tum facita (1). Qui religiosam abiecerit vestem arbitratu suo, nedum non auditur, sed eam resumere, atque ad monasterium redire cogitur, ut fugitivus, vel apostata (2).

LXI. Benedictus XIV. saluberrimam edidit constitutionem de ordine servando in causis super nullitate professionis regularis. In primis enim decreta uniformia S. Congregationis Concilii probans declaravit causas eiusmodi, tam a regulari professo, quam a religione ob aliquod impedimentum dirimens a profitente non revelatum, deductas in iudicium intra quinquennium cognoscendas esse ab Ordinario loci, una cum Superiore regulari. Quinquennium vero computandum semper a die professionis, etiamsi metus ultra quinquennium perseveraverit, impediens professo liberam interea facultatem reclamandi. Quod coeptum semel iudicium, serioque intentatum a reclamante intra quinquennium, dein desertum diu possint iidem ambo iudices post quinquennium cognoscere, ac definire. Quod Superior cum loci Ordinario coniudex censeatur non generalis ordinis moderator, nec provinciae rector, sed abbas, vel guardianus, vel prior, vel quovis nomine praepositus, seu rector illius coenobii, in quo reclamans professionem emisit, quique regimen ipsius coenobii exerceat, dum causa nullitatis professionis in iudicium defertur. Monialium vero intra quinquennium reclamantium causas, ubi monasterium Ordinario loci subiectum immediate sit, quum nullus adsit Superior regularis, Ordinarium solum audire, ac iudicare. Si autem Regularium regimini subsit monasterium: tunc una cum Ordinario regularem Superiorem ipsius monasterii, non confessarium regularem partes coniudicis adsumere. Quod Superior regularis nequeat sese ab officio coniudicis abdicare, solique Ordinario loci illud dimittere: sed possit pro se alium subrogare, vel *regularem*, vel *ecclesiasticum saecularem* Iuris canonici peritum, qui una cum Ordinario iudicis partes exerceat. Dissentientibus inter sese iudicibus ipsis, causam tunc devolutam censeri ad Sedem Apostolicam (3).

LXII. Moniales praesertim in Italia contra professionem suam, aut raro, aut nunquam reclamare consueverunt. Muliebri porro libertati satis consuluit Tridentina synodus cavens, ut singularum Deo dicandarum voluntas, conditionesque necessariae, antequam ad profitendum accedant, ab Episcopis explorentur diligentissime (4). At perinde foeminis, atque viris professis ius reclamandi contra suam nulliter initam professionem a synodo Tridentina datum, aperte docet Benedictus XIV. Quia *licet in littera* Tridentini decreti (ait) *virorum regularium duntaxat mentio fiat*, nihilominus etiam foeminae religionem professae comprehenduntur: quum ex regulis Iuris masculinum genus etiam foemininum inclu-

(1) *Cap. 1. de Regularibus in VI.*
(2) *Cit. cap. un. de stat. Reg. in VI.*
(3) Benedict. XIV. in *const. si datam 47. to. 2.* Bull.
(4) Trid. *cit. cap. quicunque 19.*

dat, ubi una, eademque causa pro foeminis, aeque ac pro masculis militat (1).

LXIII. Ceterum, sicuti cunctis novitiis fas est, quandocunque libuerit, ad saeculum dimissa veste religiosa remeare (2) : ita semel professis nefas, quippe qui perpetuo manere in vocatione sua eatenus obstringuntur, ut aufugientes, aut saecularem adpetentes vitam, poenas apostatarum peracerbas subeant (3). Quin prohibentur omnino Regulares a conventibus suis praetextu etiam adeundi Superiores, nisi ab his vocati, aut missi, discedere (4). Superioribus vicissim non licet, nisi processu rite instructo secundum canones, et constitutiones quemlibet regularem professum eiicere (5). Verum apostatas, fugitivos, eiectos quoque quotannis, ut redeant, monendos iussit Gregorius IX. (6).

LXIV. Vix transitum ad strictiorem religionem, petita quamvis non obtenta Superiorum licentia, indulgent canones (7) : secus ad laxiorem (8), nisi ex speciali Apostolicae Sedis dispensatione (9). Si vero quis vovisset simpliciter strictiorem : valida eius, sed illicita erit sequens professio in laxiori (10).

LXV. Moniales perpetuae clausurae voto iam detentae nunquam sine sacrilegii crimine pedes extra monasterii claustrum promovent quavis causa ad tempus vel brevissimum. Vix in extrema necessitate terraemotus, incendii, leprae, epidemiae, aliusve id genus periculo communis poterit loci Episcopus eas alio, qua par est tutela, transferre (11). Septa earum ingredi licet nemini cuiusvis generis, gradus, sexus, aetatis sub anathematis poena latae sententiae, nisi cui ob necessitatem permiserit scripta licentia Episcopus, vel Superior, puta medico, pomarii cultori, caementariis, aegrotantium confessariis, ceteris (12). Accessum quoque ad eas interdixit Bonifacius VIII. (13), nempe collocutionem, praeterquam praeseferentibus manifestam, probamque causam, simul et Episcopi permissum.

LXVI. Clausurae inviolabilis custodiam in monasteriis etiam exemptis cum demandasset Tridentina synodus (14) Episcopis auctoritate Sedis Apostolicae delegata : horum idcirco edictis, synodorumque decretis

(1) Bened. XIV. in *cit. const. si datam 47. to. 2.* Bull.
(2) Trid. in *cap. libertati 17. eadem sess.*
(3) *Cap. consulti 20. de Regular.* Trid. in *cap. nulla quoque 16. loc. cit.*
(4) *Cap. 1., et seqq. de apostatis.* Trid. in *cap. quicunque 19.*
(5) Puniendos, non eiiciendos fore delinquentes Regulares sanxit Trid. in *cap. 14. sess. 25. de Regul.* ibique Callemart, Bened. XIV. in *const. si datam 47. to. 2.* Bull.
(6) Trid. *ibidem in cap. prohibet 4.*
(7) *Cap. de religios 24., et ult. de Regularibus.*
(8) *Cap. sane 10. eod. tit.*
(9) *Cap. licet quibusdam 18. eod. tit.*, et Trid. in *cap. quicunque 19. sess. 2.*
(10) Quam Romano solum Pontifici reservavit Benedictus XIII. in *const. licet sacra* idib. Febr. 1726.
(11) S. Pius V. in *const. curae pastoralis 8.*, et *const. decori to. 2.* Bull.
(12) *Cap. un. de statu Regul. in VI.* Trid. in *cap. Bonifacii 5. eod. sess. 25.*
(13) Trid. *ibidem.*
(14) Trid. in *cit. cap. Bonifacii.*

parere coguntur exemptae quoque sanctimoniales. At quae ab Regularibus, capitulorumque generalium deputatis reguntur, Regularibus ipsis earum et cura, et custodia relicta est (1). Quomodo autem regularis Superior cum sociis isthaec monasteria visitare debeat, Alexander VII. constituit (2). Gregorius XV. exempta etiam monasteria monialium in iis, quae animarum curam, Sacramentorum administrationem, confessarios, et praedicatores verbi Dei Episcopis locorum, tanquam Sedis Apostolicae delegatis subiecit (3).

LXVII. Benedictus XIV. sanctiones ecclesiasticas pro clausura monialium sanctius custodienda confirmavit, et extraordinarias facultates circa ingressum, et egressum ex ea revocavit, salva Ordinariorum auctoritate (4). Idemque statuit pro clausura virorum regularium: salvis tamen privilegiis, quae Sedes Apostolica rite concesserit fundatoribus, sive insignibus benefactoribus, eorumque consanguineis (5) (*).

LXVIII. Cuncta olim monasteria, omnesque monachos, et sacras virgines, non secus, quam clericos iurisdictioni Episcoporum paruisse iam liquet (6). Cunctosque interea monachos ab ordinibus ecclesiasticis, et ministerio Sacramentorum, ac praedicationis plerunque semotos, perinde ac laicos esse (7), paucis exceptis ad Clericatum, arbitrio Episcoporum assumptis (8). Nonnullis deinde Regularibus Ecclesias, et sacerdotalia munia paulatim conferre satius duxerunt Episcopi (9), tum episcopalia quandoque iura cathedratici, et synodatici, et visitationis, et decimas etiam remittere: harum rerum immunitatem eousque adolescere passi, ut eam, ubi vellent convellere, amplius nequissent, iure praescriptionis

(1) Idem in *cap. monasteria 9. ead. sess. 15. de Regul.* Vide Greg. XV. *const. 18. to. 3.* Bull. §. 2. et 6.

(2) Alex. VII. in *const. felici 156. tom. 5.* Bull., et Greg. XIII. in *const. ubi gratiae 23. to. 2.* Bull.

(3) Greg. XV. in *const. inscrutabili 18. to. 3.* Bull.

(4) Bened. XIV. in *const. salutare 40.*, *to. 1.* Bullarii.

(5) Idem in *const. regularis disciplinae 39.*, *eod. to. 1.* Bullar. Ambas eiusmodi constitutiones quum promulgari hoc in Regno rescripsisset primum Rex Carolus cum clausula, *quoad ecclesiasticas personas tantum*: altero deinde rescripto die 28. Iulii 1742. ad Regalem Cameram S. Clarae, et Curiam Capellani maioris dato permissa earundem publicatio est hac lege, *que con las mismas bulas non se entienda inferido perjuicio alguno a la razon y derecho de las fundatrices de los monasterios de uno y otro sesso en el caso, que estas se hallen en posesion de entrar en los epunciados monasterios de su fundacion.*

(*) Concordat. lege an. 1818. art. XIV. sanctum fuit, quod restitutis religiosis Monialium domibus, liberum foret novitias recipere, necnon puellarum dotes, quae Deo sese in posterum mancipaverint, Monasteriis respectivis iuxta canones cedere.

(6) Ex supradictis, *hoc tit. num. 5.*, et infra dicendis *lib. 3. num. 11.*, *et seq.*

(7) *Can. 1., et seqq. C. XVI., qu. 1.*

(8) *Si populus, vel Episcopus te in clericum elegerit: age ea, quae clerici sunt*, scripsit S. Hieronymus ad Rusticum monachum in *can. sic vive 26. eadem C. et qu.*

(9) *Can. visis I. eadem C. XVI. qu. 2.*

defensam initio (1), mox tutatam apostolica divi Gregorii M. (2), et succedentium Romanorum Pontificum auctoritate.

LXIX. Posthac iugum iurisdictionis, correctionisque episcopalis paulatim excusserunt monachi, immediatam Sedi Apostolicae subiectionem adepti, et personalem ab Episcopo exemptionem, seu si dicere mavis *emancipationem*, quam alii cum divo Bernardo (3) oderant, probabant alii cum Petro Cluniacensi (4). Multum, dinque in conciliis Lateranensi III, Viennensi, Constantiensi, et Tridentino ea de re conquestis Episcopis iurisdictionem suam exemptionibus, et perturbari, et destrui, exemptisque occasionem laxioris vitae praeberi: praevaluit sententia moribus probatissima, ut cunctos Regularium Ordines, personasque summus Pontifex immediate sibi subiectos retinens ordinariam in eos iurisdictionem Superioribus regularibus dimitteret, delegatam Sedis Apostolicae Conservatoribus (5), aliisve Iudicibus mandaret ad libitum suum. Nonnullae vix excipiuntur causae, in quibus, vel relicta, vel mandata Episcopis est iurisdictio in Regulares a Patribus Tridentinis, vel pontificiis constitutionibus, alibi opportunius edisserenda (6). Propterea non valent nunc Episcopi Regularibus vetare praedicationem in propriis suorum Ordinum Ecclesiis, tametsi licentiam praedicandi teneantur ii petere (7).

LXX. Hinc abbatibus Ordinum regularium, qui iurisdictionem quasi episcopalem in monasterus, personisque sibi subiectis obtinent, Benedictus XIV. facultatem perinde, ac Episcopis esse probavit impertiendi pontificiam benedictionem super populum statis diebus a Sede Apostolica indultis (8).

LXXI. Clerici saeculares de Oratorio, aliique id genus, quamvis in congregationem, et collegium redacti, nullam habent ab Ordinariis locorum exemptionem S. Philippi Nerii Florentini, tanquam Praepositi, et presbyterorum clericorum ipsius instituta sectantium precibus indulgens

(1) *Can. I., et seqq. XVI. qu. 5. et 7.*

(2) Quod divus Gregorius primum monachos exemerit ab Episcoporum potestate quod ad electiones abbatum, solutionesque cathedraticí, et decimarum putat Thomasin. *to 1. de vet., et nov. eccl. discipl. lib. 3. cap 30.*, *et seq.*

(3) S. Bernardus *ep. 42. Abbates*, inquit, *spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se, ne obediant.*

(4) Petrus Cluniacensis *in apologia*, *hunc unum solum*, *et maximum*, respondit, *nos habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo, si causa quod absit, exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possumus.* Et Goffridus Vindocinensis *lib. 2. ep. 27. Acephali.* ait, *non sumus, quia Christum Salvatorem caput habemus, et post ipsum Romanum Pontificem.*

(5) De iis loquitur textus *in cap. 1., et ult. de offic. deleg. in VI.*, et Trid. *sess. 14. de reform. cap. 5.*, et nonnulla dixi *tit. 30.*

(6) *Lib. 3.* harum Inst. *tit. 12. num. 40.*, *et seqq.*

(7) Ex Clem. X. *const. superna 7. §. 3. to. 3.* Bull.

(8) Bened. XIV. in *const. exemplis Praedecessorum nostrorum 48.*, die 19. Martii 1748., *to. 2.* Bullarii, cuius publicationem Rex Carolus permisit regio rescripto ad Regalem Cameram S. Clarae, et Curiam Capellani Maioris dato die 19. Aprilis 1748.

Gregorius XIII. anno 1575. *Congregationem presbyterorum, clericorumque saecularium de Oratorio, sine alicuius praeiudicio* erexit, et instituit in parochiali Ecclesia S. M. Vallicellae regionis pontis, seu parionis de urbe, quam eidem Congregationi concessit cum omnibus bonis, redditibus, et iuribus, ut curam animarum ei imminentem presbyteri ipsi ab Apostolica Sede, eiusve Vicario generali approbandi exercerent, eique inservirent: et statuta sibi condendi facultatem indulsit (1). Mox Paulus V. anno 1612. eiusdem Congregationis instituta probavit (2). In his cautum speciatim, ut si quae aliorum locorum collegia, et congregationes eadem instituta servare voluerint, et obtinuerint, non sint Romanae Congregationi adnexa, eorumque clerici non sint e Congregatione Oratorii romani, ut unaquaeque domus, aut familia eandem formam sectata separatim se ab aliis regnat, et moderetur. Vota Regularium solemnia non profitentes, ut arbitrium habent redeundi ad suas domos saeculares, et ita iudicio duarum ex tribus partium expelluntur. Neapolitana Congregatio eiusmodi Presbyterorum saecularium instituta isthaec S. Philippi Nerii dudum amplexa tenet adhuc (*).

LXXII. Libertas cuique legibus nostris data eligendi sepulturam in causa quidem est, ut Regulares corpora defunctorum salvo parochiali iure deferre, suisque in Ecclesiis tumulare non prohibeantur. Urbanus VIII. speciatim statuit non posse Regularibus vetari, quominus cadavera fidelium associent (3). Et Clemens X, probavit S. Congregatio Episcoporum et Regularium decreta, quod sacras functiones et officia funebria super corporibus defunctorum, qui sunt in Ecclesiis Regularium tumulandi, ipsi tantum Regulares obirent, nec Parochis cadavera sociantibus licere Ecclesias Regularium ingredi, sed ea debere ad ianuam earundem Ecclesiarum dimittere (4).

(1) Greg. XIII. in *const. copiosus 101. to. 2.* Bulla Cherub.

(2) Paul. V. in *const. Christifidelium 92. to. 3.* Bull.

(*) Heic non abs re adnectere libet alia Clericorum instituta, processu temporis in maximam Ecclesiae, et Societatis utilitatem invecta: qui licet sub certis regulis communem agant vitam; nulla tamen solemnia vota emittunt; et merito eorundem Collegia, *Congregationes presbyterorum saecularium* dicuntur, ut a regularibus distinguerentur.

Huiusmodi sunt: *Pii Operarii* a ven. P. Carolo Carafa neapol. instituti an. 1634: Patres *Sacrae familiae Iesu Christi* a Matthaeo Ripa neap. an. 1732. *Doctrinarii* a ven. Caesare de Bus gallo an. 1589: cuius Congregationi adiuncti quoque sunt *Doctrinarii* Status pontificii, ac nostri regni neap.: *Patres Missionis* a S. Vincentio a Paulo gallo an. 1632. Denique *Patres Congregationis SS. Redemptoris* a S. Alphonso M. de Ligorio an. 1749., et Patres Congregationis SS. Sacramenti a Patre Vincentio Mannarini calabro, aliique id genus.

(3) Urban. VIII. in *const. nuper 188. §. 2. to. 2.* Bull.

(4) Clem. X. in *const. nuper 55. §. 2., et 3., et const. alias 58. §. 2. to. 5.* Bull. Cherub.

Explicit Liber I.

INDEX

TITULORUM ET CAPITUM

LIBRI I.

Tit. I.	*De Iure Canonico.*	pag.	5
II.	*De sacris Scripturis.*		10
III.	*De sacris Traditionibus.*		19
IV.	*De Consuetudinibus.*		22
V.	*De Constitutionibus, et Legibus.*		29
VI.	*De Conciliis.*		41
Cap. I.	*De Conciliis generalibus.*		45
Cap. II.	*De Nationalibus.*		57
Cap. III.	*De Provincialibus.*		58
Cap. IV.	*De Dioecesanis Synodis.*		60
Cap. V.	*De mixtis, et regiis Synodis.*		62
VII.	*De pontificiis Decretis, Decretalibus, Epistolis, Bullis, Brevibus, et Regulis Cancellariae.* .		63
VIII.	*De sanctorum Patrum sententiis*		69
IX.	*De collectionibus canonum*		71
X.	*De Concordatis.*		81
	Additiones de Ecclesia, eiusque proprietatibus, et characteribus		86
XI.	*De iure Personarum*		91
XII.	*De Summo Pontifice.*		93
XIII.	*De Cardinalibus.*		112
XIV.	*De Patriarchis.*		131
	Additiones de Patriarchatu Romano		137
XV.	*De Primatibus, et Exarchis.*		152
XVI.	*De Metropolitanis, et Archiepiscopis.* . . .		158
XVII.	*De Pallio archiepiscopali.*		167
XVIII.	*De Episcopis.*		173
XIX.	*De Episcoporum electione, et nominatione.* .		195
	Additiones de nova Dioecesium citra Pharum circumscriptione		213

Tit.	*XX.*	*De confirmatione, et consecratione Episcoporum.*	216
	XXI.	*De Papae electione, et electoribus.*	223
	§. *I.*	*De officio, et potestate Cardinalium Sede vacante.*	240
	§. *II.*	*De rebus ante conclave gerendis.*	244
	§. *III.*	*De clausura conclavis.*	245
	§. *IV.*	*De forma electionis Papae.*	249
	XXII.	*De Legatis, et Nuntiis.*	256
	§. *I.*	*De Siciliae Rege Legato, et Iudice Monarchiae.*	268
	§. *II.*	*De Nuntio Neapolis.*	280
	XXIII.	*De Capellano Maiore Regis neapolitani.* . .	291
	XXIV.	*De Praelatis inferioribus.*	314
	XXV.	*De Iudicibus ordinariis, et delegatis, synodalibus, et conservatoribus.*	328
	XXVI.	*De Vicariis generalibus Episcoporum.* . . .	335
	XXVII.	*De Vicario capitulari, et apostolico.* . . .	342
	XXVIII.	*De Capitulo cathedrali, eiusque Dignitatibus, et Canonicis.*	349
	XXIX.	*De Dignitatibus, et Personatibus, et officiis cathedralium, et collegiatarum.*	368
	XXX.	*De Parochis, et oppidanis Archipresbyteris.* .	383
	XXXI.	*De Presbyteris, diaconis, ceteris inferiorum ordinum clericis.*	395
	XXXII.	*De Regularibus.*	415

3809